Gram. Lat.

LATINA GRAMMATICA,

Ex decreto Illuſtr. DD. Hollandiæ, Weſt-Friſiæque Ordinum,

IN USUM SCHOLARUM

ADORNATA;

Multis quidem in locis LUDOLFI LITHOCOMI verbis, quibus Scholæ adſueverant, reſervatis: ſed erroribus, quibus ſcatebat, emendatis; inutilibus reſectis; pluribus, quæ deficerent, ſuppletis; & omnibus meliori ordine diſpoſitis;

Studio, atque opera

GERARDI JOANNIS VOSSII.

Editio decima & ultima, nova hujuſce anni cura aliquot in locis caſtigatior prioribus, notis verò longè auctior.

AMSTELODAMI,
Sumptibus NICOLAI RISPOLI.

MDCCX.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS
BENEVOLO
LECTORI.

PArentum nostrorum memoria, magna Dusseldorpiensis Scholæ existimatio fuit: idque ob præfectorum ejus, Joannis Monhemii, ac Francisci Fabricii, cultissimam eruditionem. Post quorum excessum, non leve ibidem nomen erat Ludolfi Lithocomi: præsertim cùm anno CIↃ IↃ LXXV. in gymnasii sui usum, præcepta edidisset linguæ Latinæ. Magno enim ea cum applausu excipiebantur in multis Germaniæ oppidis: ac, jam me puero, in plerisque etiam Bataviæ Scholis, Dordrechtana præcipuè, & Leidensi, recipi cœperunt. Multis nihilominus, ut fieri solet, magis arridebant vetera: aut juniorum quempiam palmam præripuisse Lithocomo contendebant: nonnulli etiam, quibus nihil horum satis placeret, maluerunt, ea de arte cudere libellos novos. Tanta animorum dissensio non leve secum traxit incommodum. Nam si aliò migrandum puero foret, aut ejusdem etiam Scholæ præfectus mutaretur, continuò dediscenda erant priora; aliisque nihilo melioribus tenellum fatigandum ingenium fuit: quam infelicem conditionem aliqui ter quater subire sunt coacti. Ita plurimis miserè effluebant primi illi, & optimi anni; tardéque omnino animus appellebatur ad graviores disciplinas: nec pauci, desperatione quadam, studia penitùs deserebant. Jam ante annos XL, malè ea res habuit viros graves, ac cordatos; qui partim ea

de causa, quam dixi; partim etiam, quòd usque adeò multa perperam traderentur vulgaribus libellis, summo illud studio postularunt à V. CL. Justo Lipsio, novam ut Grammaticen contexeret: ac maximam ei spem faciebant, autoritate illam, & mandato Illustrium DD. Ordinum, à totius Fœderatæ Belgicæ Scholis receptum iri. Nec diffitebatur vir summus, futuram rem istam instituti utilissimi: sed à genio suo impetrare non poterat, ut se demitteret ad tetricas hasce minutias pueritiæ captui accommodandas; quippe magis factus ad emaculandos veteres scriptores, & eruenda præclara multa, quæ ad Romanas antiquitates pertinerent; quali opera magnam doctissimorum etiam hominum admirationem se consecutum jam videbat, nec benigna minùs posteritatis sibi judicia pollicebatur. Ita Scholarum hoc malum permansit diutissimè magno multorum damno; ac graves sæpè, & parentum & discentium, querimonias concivit. Id cùm Illustres Hollandiæ, & West-Frisiæ DD. Ordines indignum planè, nec ulteriùs ferendum judicarent: hujusmodi fecere decretum, ut eadem Latinæ linguæ præcepta per omnem obtinerent ditionem suam: atque ut in adornanda ejus editione nova, cujus mihi onus injunctum fuit, ratio imprimis haberetur Ludolfi Lithocomi; sed ita haberetur, ut & veritas in præceptis, & brevitas in methodo, & claritas in exemplis, & utilitas in singulis, ante omnia spectaretur. Utrùm hæc universa assecutus fuero, penes alios judicium esto. Adlaboravi certè, non sine meliorum studiorum jactura. Nec dubito, quin, siquis non Hypsea cæcior sit, nec penitùs turgeat loliginis succo; visurus sit facilè, quantum mihi exhauriendum fuerit laboris in hoc, penè dixerim Augiæ stabulo, repurgando; ac supplendis tam multis quæ deessent. Nec propterea inficias iero, futurum nihilominus, ut, postquam animo

ade

eſſe cœpero magis libero, ac defæcato, quædam ipſe offendam παροράματα, vel alieno etiam monitu cognoſcam. Nam quis, in humanarum hac mentium caligine, videt omnia? nedum homullus ego. Verùm enimverò non defugiam, quicquid tale erit, corrigendi laborem. Video eſſe, qui mirentur multa à me in Notis moneri, quæ tenellæ ætatis captum excedant. Quaſi illa ſcripſerimus incipientibus, & non ad ſuperiores claſſes translatis, imò jam Scholas Claſſicas emenſis: atque adeò præceptoribus ipſis, quos non paullò plus pueritia in talibus ſapere oportet. Præterea cogitare convenit, alios etiam homines eſſe; quibus fortaſſe minùs aliqua ſatisfacient, quæ rationibus nituntur certiſſimis. Atque hoc, ſi Deus ſiverit, teſtabuntur propediem Exercitationes noſtræ Grammaticæ, volumen grande: in quo omnia penè, quæ nunc ſtrictim propono, explico fuſiùs, & validis ſuffulcio argumentis; longè etiam plurima, aliis pariter, ac nobis indicta, adfero; quæ nunc ne attigi quidem; partim ne libellus hic excreſceret nimis; partim quòd ſufficere iſta pueritiæ putarem. Vale. Lugd. Bat. cIↄ Iↄ cxxvi. Kal. Nov.

AD
EUNDEM.

PRodit iterum Grammatice hæc Latina, eaque locis quibusdam castigatior. Feci enim, quod anteà in tanta festinatione non licebat. Priorem quippe editionem nostram percurri, ac mendas aliquot, quas ei, vel descriptoris, vel typothetæ, affuderat incuria, his secundis sustuli curis. Ultra istæc pauca, in ipso sermonis contextu, qui majusculis excusus est literis, atque ad verbum ediscendus pueritiæ præscribitur, immutandum nihil putavi. At non paullo amplius mihi concessi in cæteris; idque, ut arbitror, non sine aliquo docentium, & discentium, emolumento. Compluribus enim locis ea subjunxi, quæ à provectioribus desiderari posse viderentur: atque ad oram etiam adjeci notas, breves illas, sed, ni fallor, utiles; quandoque etiam necessarias omnino. Quarum tamen plerisque careri faciliùs potuisset, si canonas semper verbis contexuissem meis. Nunc postquam publicè ita expedire judicabatur, ut daretur aliquid gymnasiis illis, quæ jam adsuevissent Lithocomo: satius fore duxi, si retinerem ejus verba, quoties ferri posse opinarer: utcunque non raro occurrerent animo meo meliora. Quod eò factum, ne, ut dixi, nihil hìc illius agnosceretur ab iis, qui jam olim ejus libellos in sanguinem, & succum vertissent. Ita, ut onus levarem aliis, geminavi mihi laborem, eumque inglorium. Cùmque vulgò persuasum habeant, esse hominis non insulsi, transferre alieni in se inventi gloriam; contrà nunc conducibilius fore existimavi, si etiam ea, quæ de proprio huc fonte attulissem (atque idem de nostris linguæ Græcæ institutionibus dictum velim) aut planè, aut penè vetera, ac in Latinis Lithocomi, in Græcis Clenardi, plurimùm esse putarentur: vel certè crederetur,

tur,

*tur, utrobique leve omnino esse, quod industriæ nostræ deberetur. Quomodo cùm animatus forem, necesse fuit, quoties admitterem illa è Lithocomo, in quibus desiderari aliquid arbitrarer, ut ne laborem defugerem ad oram illud annotandi. Nec libido tamen fuit resecandi omnia ad vivum. Supervacanea enim curæ credebam, nihil ville relinquere scholarum præfectis. Quod eò nunc minùs facere operæ duxi; quia quicquid omissum hìc est nobis, modò alicujus foret momenti, de eo in alio à me tractaretur opere, quemadmodum superiori etiam exposui præfatione. Neque illud prætereundum, quandoquidem discentium captus est alius, atque alius; eò hìc minùs necessaria minusculis excudi typis, quos ipsos nota hæc asterisci * antecedit: ac quia & in illis, quæ charactere exprimuntur majusculo, sæpiùs discrimen est non leve; eò quæ ab incipientibus omitti possint, istiusmodi nota † ab alis distingui. Interea de tota hac re fruatur quisque judicio suo. Nihil enim præscribo cuiquam; cùm satis perspecta sit eruditio multorum, qui præsunt Bataviæ scholis: ac pauci sanè in hisce non per se sapiant satis. Quare si quibus aliter de isto, ac nobis, videatur; ipsi lineola ad oram ducta, vel aliter, quæ edisci ad verbum velint, à cæteris secernant. Vide, ad quas relabar minutias. Minutæ hoc mentis esse cogitabunt, qui penitus imbiberunt, omnem hujusmodi præceptionum curam longè positam esse infra cogitationes eruditioris, & elegantioris hominis. Meo verò animo obversabatur, haud negligenter illud exsequendum esse, quod auctoritate mihi publica imponeretur: nec levia nimis duci debere adminicula illius ætatis, quæ adminiculis ejusmodi maximè eget; quæque vel meliorum, vel deteriorum temporum est seminarium: ut à qua civium mores, & civitatum salus, dependeant.* Anno CIↃ IↃ C XXXI. Kal. Martiis.

B E-

BENIGNE LECTOR.

Quartùm nunc emitto hæc Latinæ Grammatices præcepta: nempe post editionem principem tertiùm recognita, notis verò longè auctiora. Quod scire tua interest, ne imponant editiones, quæ ab aliquot retrò annis prodierunt, me ignaro: & tamen in titulo promittunt, quod non præstant. Præferunt enim nomen quartæ, quinctæque editionis: atque ejus emendatioris, quàm forent priores universæ. Cùm nihil in iis sit additum, aut mutatum, nisi subinde in pejus; sive ob typothetarum imperitiam, sive nimiam festinationem. Mea verò sic fert sententia, nihil debere emendatiùs excudi, quàm quod manibus terendum pueritiæ, quæ judicio destituatur per se aliquid corrigendi. Aliter si fiat, quid nisi errores imbibit, quos difficulter postea eluat? Equidem ut iis obviam irem, qui sic fucum faciunt lectori, fucorumque instar gaudent intercipere alieni laboris fructùm: testari hoc loco volui, me solùm pro mea agnoscere hanc Grammatices editionem; quam relegi ipse, & excudendam curavi anno hoc CIↃ IↃ C XLVIII. *Gravi hac ætate, uti & bis antè, istoc laboris sumsi, non sine aliquo rei, sed majori meliorum studiorum damno. Solus hoc suasit publici boni, ac teneræ ætatis amor. Tantò æquius est, ut videant scholarum præfecti, ne pueritia, quibusvis adsuescendo editionibus, aliquid capiat detrimenti.*

TYPOGRAPHUS LECTORI S. P. D.

QUàm necessaria Latinæ linguæ sit cognitio, omnes probi atque eruditi satis sciunt. Ideòque eandem summo semper studio propagandam curarunt, quos inter non minimum præstitit *Cl. Vir Ger. Joh. Vossius*, qui, nullo adhuc extante Grammatices opere, quin & multa continebat superflua, & multa rursum in eodem deficiebant, talem Juventuti præscripsit Grammaticam, in qua nil ampliùs desiderari potest: hæc quàm avidè etiam arrepta sit, testantur toties iteratæ illæ Editiones: sed, ut omnia, sic & hoc præstantissimum opus paulatim ob correctionem minùs accuratam non nihil corruptum est; quàm multa enim in id irrepserint vitia, judicare potest, qui posteriores illas Editiones legit quare considerantes Puerorum falsum à vero secernere nescientium libros debere esse correctissimos, nostrum esse putavimus, hæc Grammatices præcepta diligenti adhibita correctione de novo typis nostris describere: quo nostro labore fruere & vale.

GRAM-

GRAMMATICA LATINA.

GRammatica est ars benè loquendi [1]. Partes Grammaticæ [2] sunt quatuor; Orthographia, Prosodia, Etymologia, & Syntaxis.

1 Eòque & scribendi: atque id Latinis Latinè Nomen sortita est à primis artis initiis; quæ sunt γράμματα, hoc est, *literæ*: ut γραμματικὴ ad verbum *literatura* sonet. Propriè igitur nomen *Grammatices* convenit Orthographiæ: sed per synecdochen tribuitur arti universæ. Nempe olim, cùm lingua Latina, ac Græca, vernaculæ forent, vulgò solùm discebant legendi ac scribendi scientiam. 2 Puta Methodicæ, quæ artis præcepta continet. Præter quam & altera est Grammatices pars: nempe Exegetice, quæ vocum significationes exponit, ac Lexicis traditur. Sed Exegetice quidem pars est Grammaticæ ἁπλῶς ita dictæ: at non artis Grammaticæ; quia ars tota in præceptis consistit.

DE ORTHOGRAPHIA.

ORthographia [1] est prima pars Grammaticæ, quæ docet discrimina literarum. Literæ [2] vulgò statuuntur tres & viginti [3]:

1 Ὀρθογραφία quasi ὀρθὴ γραφή, hoc est, *recta scriptura*. Non tamen elementorum tantummodò figuras docet, sed etiam diversam potestatem; ita ut comprehendat ὀρθοέπειαν, sive *rectam pronunciationem*. Per synecdochen igitur à scribendi arte nuncupatur, cùm sit legendi scribendique scientia. 2 Litera est pars orationis indivisibilis. Vel, si characterem attenderis, est nota soni individui. 3 Sed perperàm, cùm *c*, *k*, & fortasse etiam *q*, eadem sint litera: & *h* non magis litera sit apud Latinos, quàm Græcos: & *y* specie non differat ab *u*: & *x* ac *z* non litera sint unica, sed duarum literarum compendia: & contrà *j* & *v* consonæ, malè eædem censeantur literæ, ac *i* & *u* vocales, cùm tota differant natura: imò majus sit discrimen earum, quàm unius vocalis ab altera, aut quàm est inter duas consonantes. Quare, si rem ad orationis trutinam expendamus, videntur solùm literæ esse undeviginti: nempe vocales quinque; A, E, I, O, U: consonantes verò quatuordecim; B, C, D, F, G, Jod, L, M, N, P, R, S, T, Vau.

a 4, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, *h*, *i*, *k*, *l*, *m*, *n*, *o*, *p*, *q*, *r*, *ſ*, *t*, *u*, *x*, *y*, *z*. * Ex quibus *k* idem eſt ac *c*, & in paucis interdum non tam ob uſum, quàm ob luxum, uſurpatur: ut, *Kalendæ*, *Karthago*. *y* & *z*, nonniſi in dictionibus Græcis 5, aut peregrinis, ſcribuntur: ut *Zephyrus*. *h* adſpiratio 6 magis eſt, quàm litera.

4 Pronunciatio literarum nunc longè eſt alia, ac olim: nam diſtinxere Romani inter *i* breve & longum: nec aliter pronunciabant *c* in *dicis*, & *dices*, quàm in *dico*, & *dicam*: nec aliter *t* in *artium*, quàm in *arti*. *v* conſonum proferebant, uti nos *vv*. Suntq; alia id genus plura. Sed à multis retrò ſeculis obſurduerunt aures noſtræ ad genuinam pronunciationem. 5 Nec ſemper tamen, cùm ſæpè ſubſtituerint *i*, ut *hiems*, *ſilva*, *lacrima*. 6 Nempe Græci quidem & lenis & aſperi ſpiritus notam habent: Latinis ſolùm eſt aſperi nota H: Athenæus lib. 9. Διόπερ καὶ Ῥωμαῖοι πρὸ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ H προγράφουσι. *Itcircò Romani omnibus adſpiratis nominibus in ſcribendo præmittunt H*. Vide Jovianum Pontanum libello de Adſpiratione.

Litera eſt vocalis, aut conſonans.

Vocalis eſt litera, quæ per ſe ſonat ac vocem edit: ut *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, & *y* [1]. Ex quibus *i* & *u* fiunt conſonantes [2], quando altera vocalis ſequitur in eadem ſyllaba: ut, *jaceo*, *venio* [3].

Conſonans eſt litera, quæ non per ſe, ſed cum vocali, ſonat: ut *b*, *c*, *d*, *f*, & cæteræ omnes præter vocales.

1 Y non eſt ſexta vocalis, ſed eadem ac U. Nam ſonus olim erat idem, vel ſaltem valdè vicinus, ut accidenti ſolùm differret. Hodie perperàm pronunciat vulgus, ut I. 2 Cùm conſonæ ſunt, eas, *ja* & *va*, poſſis vocare; vel cum Hebræis, *jod* & *vau*. Plerique etiam figura, ſeu charactere, diſtinguunt; ut in obſervationibus de Orthographia dicetur. 3 Excipe, ſi *u* & *i*, per ſynæreſin coaleſcant: ut in *cui* & *huic* monoſyllabis, ubi *ui* eſt diphthongus.

Conſonans eſt Muta, aut Semivocalis.

Muta eſt, quæ ſonum habet obſcuriorem [1]: ut Latinæ [2] omnes in quibus ſonus

1 Semivocalis aliquid, muta nihil ſoni habet à ſeipſa: atque ex eo utrique eſt nomen. Vide Feſtum in *Mutæ*. Itaque in *ab*, *ac*, *ad*, *at*, non poſſis ſonum continuare: poſſis verò in *ſal*, *rem*, *res*: quaſi eſſet *ſall*; imò, ſi lubet *ſalll*: ſic pro *rem*, *remm*, vel *remmm*. Atque ita in aliis. 2 Quippe *z*, quæ Græca eſt litera, excipitur.

vo-

vocalis sequitur: ut, *be*, *ce*, *de*, *ge*, *ka*, *pe*, *qu*, *te*. Item *ef* [3]; ubi vocalis antecedit [4].

Semivocalis est, quæ sonum habet clariorem: ut, præter *f*, consonantes omnes, in quibus sonus vocalis præcedit. Sunt hæ, *el*, *em*, *en*, *er*, *es*, *ix*. Item *z*, ubi vocalis sequitur [5].

3 Nam Græcorum φ, cui *f* respondet, mutam esse constat. Præterea, *l*, vel *r*, sequente, (ut in *refluo*, *refringo*, & similibus,) præcedens syllaba est anceps: quod non fieret, nisi *f* mutæ obtineret naturam, 4 ac fortè *j*, & *v* consonæ. Sed de isto mox videbo. 5 De *j*, & *v* consonis, utrum mutæ sint, an semivocales, tacent veteres. Pro priori sententia facit, quòd in Hebræa earum appellatione *jod*, & *vau*, sequitur vocalis. Pro posteriori est illud, quòd adeò prope accedant ad vocalium naturam, ut in eas quandoque mutentur, ut cùm *Iesus*, *suavis*, *sylua*, *voluo*, trisyllaba sunt. Ac vicissim & *i*, & *u* vocales, interdum in consonas degenerant: ut cùm *arjete* fit trisyllabum, *genva* disyllabum.

Semivocalis est Liquida, aut Duplex [1].

Liquida est, quæ post mutam in eadem syllaba posita liquescit; hoc est vim suam amittit [2]: ut, *l*, *m*, *n*, *r* [3].

Duplex est, quæ pro duabus literis ponitur: ut, *x*, & *z*. *x* enim ponitur pro *cs*, vel *gs*: ut *dux* pro *ducs*, *rex* pro *regs*, *z* pro *ds*, ut *Zephyrus*, pro *dsephyrus*. Sed Latini in media voce convertere solent in duplex *s*: ut *patrisso* pro *patrizo*.

S nec liquida est, nec duplex [4].

1 Mox excipietur *s*; quibus addimus *j*, & *v* consonantes. Possis igitur sic dividere. Semivocalis est liquida, vel firma. Liquidæ sunt, *l*, *m*, *n*, *r*. Firmæ, sed simplices tamen, *s*, *j*, & *v* consonæ: duplices verò, *x*, & *z*. 2 Quo pacto vim suam amittant, meliùs intelligetur, ubi deventum erit ad doctrinam de quantitate syllabarum. 3 Si laxiùs vocem liquidæ sumas, etiam *s*, & *v* consonum, iis possis accensere: ut planius mox fiet. 4 Uti nec *j*, & *v* consonæ: si eas inter semivocales lubet referre. Interim *s*, & *v* consonum, magis accedunt ad liquidæ naturam, quàm duplicis. Nam interdum liquescunt: *s* quidem in vocis fine apud antiquos, ut *falcibu'* pro *falcibus*: at *v* consonum, si præcesserit, *g*, *q*, vel *s*: *g*, ut *lingua*, *anguis*: *q*, ut *æquus*, *linquo*: *s*, ut *suadeo*, *suesco*. Itaque & corripitur prior in *aqua*, *equus*, *sequor*;

altera in *siliqua*, *reliquus*, *aliquis*, & similibus; etsi duæ consonæ sequantur. Atque hæc de orthographia nunc suffecerint. Nam canones orthographiæ, qui hujus propriè sint loci, demum referemus post doctrinam de octo vocum classibus; in quo doctrinæ potiùs, quàm naturæ ordini, insistemus.

DE PROSODIA.

PRosodia [1] est secunda pars Grammatices, quæ docet discrimina syllabarum.

Syllaba [2] est litera, aut comprehensio literarum, uno spiritu prolata.

Syllaba unius literæ est quælibet vocalis: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*. Hæ καταχρηστικῶς, id est, *abusivè*, syllabæ vocantur [3].

Comprehensio literarum est aut vocalium tantùm, aut consonantium cum vocali.

Comprehensio vocalium duarum in unam syllabam vocatur Diphthongus [4].

Harum præcipuæ sunt quatuor; *æ*, *œ*, [5], *au*, *eu*: ut, *ætas*, *pœna*, *aurum*, *eurus*.

* Quibus accedunt hæ minùs usitatæ: *ai*, ut *Aiax*: *ei*, ut *hei*: *oi*, ut *Troia*: *ui*, vel *yi*, ut *huic* monosyllabum & *Harpyia*.

Comprehensio consonantium cum vocali in una syllaba, numerum senarium non excedit: ut, *ad*, *ars*, *mors*, *frons*, *stirps* [6].

1 Προσῳδία ad verbum notat *accentus*, à προσᾴδω, *accino*. Sed accentus nomine hìc non tonus duntaxat, sed etiã quantitas syllabæ intelligitur.
2 Vel sic potiùs: Syllaba est pars orationis sono indivisa.
3 Nempe quia συλλαβὴ sonat *comprehensionẽ*; comprehensio autem literarum statui nequit, ubi unica tantùm litera est. Sed cogitandum, nomen *syllabæ* esse impositum ex eo, quòd plurimum fit. 4 Quasi dicas *bisona*, à δὶς, *bis*, & φθόγγος, *sonus*. 5 Veteres pro *æ* dixere *ai*; pro *œ*, *oi*: ut *aulai*, pro *aulæ*; *poina* pro *pœna*. Corruptè autem hæ diphthongi hodie pronunciantur, instar unius vocalis. 6 Ubi tres consonæ sequuntur vocalem: sed tres præcedunt in *scrobs*.

Syl-

Syllabæ diſcernuntur Accentu, & Quantitate.

† *Sed cùm accentuum, & quantitatis cognitio, ante pleniorem vocum intelligentiam percipi nequeat, ultimum ei locum aſſignandum putavi.*

DE ETYMOLOGIA.

Etymologia [1] eſt tertia pars Grammatices, quæ docet diſcrimina dictionum [2].

Dictiones ſunt variabiles, aut invariabiles [3]. Variabiles dicuntur, quæ per caſus, vel tempora, in fine poſſunt variari: ut *Nomina* [4], *Pronomina*, *Verba*, *Participia*.

Invariabiles, quæ non poſſunt in fine eo modo [5] variari: ut *Adverbia*, *Præpoſitiones*, *Conjunctiones*, & *Interjectiones*.

1 Quam cū Varrone meliùs *Analogiam* dixerimus. At ἐτυμολογία propriè ſonat λόγον ἐτύμων, *ſermonem*, ſeu, *orationem originum*. Ut propriè dicatur doctrina, quę vocum origines exponit. Quamquam nec *Analogiæ* vocabulum examuſſim reſpondeat. Nam ſic propriè dicitur ſimilitudo in vocibus flectendis. Quare propriè convenit primis quatuor vocum claſſibus. Verùm accommodatior appellatio non ſuppetit. Niſi περιφραστικῶς lubeat vocare *octo partes orationis*. 2 Cum Fabio, & Grammaticis, ita loquimur; non ignari, Tullio, & aliis melioris ſeculi ſcriptoribus, *dictionem* de oratione uſurpari: non de voce, ut loquuntur, incomplexa. Quod ſi cui diſplicet; dicat, etymologiam eſſe, quæ vocum ſingularum proprietates exponit. Eſt autem dictio, ſeu vox, pars orationis, quæ ipſa aliquid ſignificet; ſed in partes ſignificantes dividi non poſſit. 3 Vide an non plenius apertiuſque ſit. Voces ſunt declinabiles, aut indeclinabiles. Declinabiles dicuntur, quæ, præter numerum, habent caſum, vel perſonam. Indeclinabiles, quæ nec habent numerum, nec caſum, vel perſonam. 4 Quædam tamen nomina in fine non variantur, ut aptota & monoptota. Quædam item verba in uno tantùm tempore uſurpantur. De illis in nominibus; de his in verbis defectivis agetur. 5 Nam per gradus etiam adverbia variantur.

* Hæ octo dictionum species vocantur *Partes orationis*; quia ex his omnis oratio conficitur 6.

6 Potuere Grammatici has octo revocare ad classes quatuor: duas principes, nominis, & verbi: duas his servientes, adverbii, & conjunctionis. Ita pronomen accensebitur nomini, pro quo ponitur: item participium, quod extra structuram, qua convenit cum verbo, non aliter differt à nominibus adjectivis, quàm quia tempus significet. Sub adverbiis autem comprehenduntur tum præpositiones; tum etiam, uti apud Græcos fit, interjectiones.

Accidunt omni dictioni species, & figura 1.

Species duplex; primitiva, & derivativa.

Vox primitiva est, quæ non derivatur ab alio: ut, *arbor*, *amo*, *cras* 2.

Derivativæ speciei est vox, quæ derivatur ab alio: ut, *arbustum*, *amicus*, *crastinus*. Cujusmodi sunt omnia participia.

Figura item duplex; simplex, & composita 3. Simplex, ut, *animus*, *ego*, *dico*. Composita, ut, *magnanimus*, *egomet*, *prædico*.

† Componuntur dictiones, vel ex vocibus significativis 4: ut, *indoctus*, *quare*: vel ex voce significante, & syllabica adjectione; quales sunt, *dem*, *dam*, *piam*, *met*, *te*, &c. ut *idem*, *tantundem*, *quiddam*, *quippiam*, *egomet*, *tute*, &c.

† Conflantur item voces, vel ex duobus

1 Quæ duo *notationis* voce complecti licet.

2 Fortasse in lingua Latina nulla est vox primitiva: sed habentur hìc ea omnia pro primitivis, quorum origo vel ignota est, vel incerta. Nec repugno, quò minùs etiam hìc primigenia censeantur omnia, quorum origo è lingua Latina peti nequit. Quo pacto & primitivum censebitur *ego*, etsi Græci dicant ἐγώ. Item primigenium erit *Musa*, etsi Latini acceperint à Græcis: qui ipsi suum Μῦσα vel Μῶσα, habent ab Hebræis: nam מוֹסָר *mosar*, iis *ars*, *disciplina*. 3 Quippe figura decomposita inane est Grammaticorum commentum. 4 Significativæ vel sunt ejusdem classis; ut *respublica*: vel diversæ; ut *vaniloquus*, *nihilum* ex *ne*, & *hilum*.

in-

integris; ut, *respublica*, *advenio*: vel ex duobus corruptis; ut, *afficio*, *intelligo*: vel ex integro, & corrupto [5], ut *traduco* pro *transduco*; *affero* pro *adfero*.

† In corruptis observandæ sunt literarum mutationes; ut *afficio* pro *adfacio*; *intelligo*, pro *interlego*.

5 Trifariam à simplici receditur: vel addendo, ut, *redeo*, ex *re* & *eo*; *ambedo*, ex *am*, & *edo*; *comburo*, ex *con*, vel *cum*, & *uro*: vel demendo, ut *trado*, pro *transdo*; vel immutando, ut *inimicus*, pro *inamicus*.

† Dictionibus variabilibus accidunt hæc quatuor; analogia, anomalia, numerus, & persona.

† Analogia est, cùm similia ex similibus judicantur; sive cùm est convenientia cum regula communi: ut, *ager*, *agri*, *agro*; *clamo*, *clamavi*, *clamatum*.

† Anomalia est, cùm deflectitur à similibus; sive cùm regula communis non habet locum: ut, *ambo*, *amborum*, *ambobus*; *do*, *dedi*, *datum*.

Numerus est unius, & multorum, discretio.

Estque singularis, vel pluralis.

Singularis, qui de uno dicitur: ut, *homo*, *ego*, *amo*, *legens*.

Pluralis, qui de pluribus: ut, *homines*, *nos*, *amamus*, *legentes*.

[1] Quædam nomina in singulari numero

1 Et hic, & proximus canon, ad solam pertinet nominis doctrinam: eòque non incommodè, imò rectiùs fortasse, tradi potuit in nomine; ubi agitur de numeri anomalia.

significant multitudinem: ut sunt collectiva, *populus*, *plebs*, *turba*, *pars*, *gens*, &c.

Et contrà quædam ex consuetudine sermonis in plurali significant rem unam: ut *Athenæ*, *Philippi*, *nuptiæ*, *literæ*, *ædes*, &c. quæ singulari numero carent.

* Quædam etiam sunt utriusque numeri: ut, *pondo*, *nequam*. Verba etiam infinitivi modi promiscuè usurpantur, tam de numero singulo, quàm plurativo; ut, *amare*, *scripsisse*.

Persona est distinctio ejus, qui loquitur; ejus, ad quem loquimur; & illius, de quo est sermo.

Est igitur triplex; prima, secunda, tertia.

Prima est, quæ loquitur: ut, *Ego Antonius scribo canens*. *Nos poma natamus*.

Secunda est, ad quam loquimur: ut, *Tu Antoni scribis canens*.

Tertia est, de qua loquimur: ut, *Hic puer* [2] *scribit canens*.

Ego, & *nos*, semper sunt primæ personæ.

Tu, & *vos*, & omnes *vocativi*, sunt secundæ personæ.

† Nomina, pronomina [3], & participia, sunt primæ personæ, si addatur, vel intelligatur, *ego*, aut *nos*: secundæ, si *tu*, vel *vos*, exprimatur, vel intelligatur: cæteroqui sunt tertiæ.

† Verba quoque pro pronomine addito, aut intellecto, vel primæ, vel secundæ, vel tertiæ sunt personæ: sed variante terminatione. Primæ, ut, *amo*, *amamus*: secundæ, ut, *amas*, *amatis*: tertiæ, ut, *amat*, *amant*.

2 Vel scribe, *Antonius hic*, ut in personis omnibus idem nomen retineatur.

3 Non omnia pronomina; sed omnia, præter ea, de quibus jam dictum. Quippe *ego*, & *tu*, natura sua sunt certæ personæ; non autem propter aliquid vel additum, vel intellectum. Ac ne relativa quidem excipiuntur. Unde Plautus Menæch. *Uter meruistis?* Sic, *Qui estis?*

D E

DE NOMINE.

Nomen est dictio, quæ rem primò [1] sine tempore [2] significat.

Nomen est aut substantivum, aut adjectivum.

Substantivum [3], quod verbo junctum per se perfectam efficit sententiam: ut, *homo*, *equus*, *arbor*. Nam perfecta sententia est; *homo ridet*: *equus currit*: *arbor floret*.

Adjectivum [4] est, quod verbo junctum non efficit sententiam perfectam, nisi substantivum aut expressè ponatur, aut tacitè ad illud respiciatur [5]: ut *bonus*, *albus*, *niger*. Nec enim perfecta erit sententia; *Bonus ridet*, nisi *homo* [6] vel addas, vel intelligas.

Nomen substantivum est proprium, vel appellativum.

Proprium, quod uni rei singulatim [7] datum est: ut, *Petrus*, *Colonia*, *Rhenus*.

Appellativum, quod multis commune est ob communem naturam: ut *homo*, *urbs*, *flumen*.

1 Non secundariò; ut voces, quæ pro nomine ponuntur, eòq; *pronomina* vocantur. 2 Hoc est sine adsignificatione temporis: quo differt à verbo, & participio. Nam nomen interdum quidem significat tempus; ut *dies*, *hora*, *priscus*, *novus*: sed verbum, & participium (ut loquitur Aristoteles) προσσημαίνουσι, sive adsignificant tempus: hoc est, primariæ significationi addunt significationem temporis; seu præsentis, ut in *amo*, *amans*; seu præteriti, ut *amavi*, *amatus*; seu futuri, ut *amabo*, *amaturus*; ubi tempus non propria est vocis significatio; sed ad propriam significationem adjunctio temporis. 3 Ita dicitur, quia per se in oratione substat, sive subsistit. 4 Sic vocatur, quia non subsistit per se in oratione; sed substantivo adjicitur. Cæterùm quod de adjectivis nominalibus hìc pronunciatur, idem dictum volo de pronominalibus, ut *iste*, *meus*; & participialibus, ut *amans*, *complexus*. 5 Sic mos Grammaticis loqui. Puto classici potiùs dicerent, *tacitè intelligatur*, vel *animo observetur*. 6 Vel *Petrus*, aut simile. 7 Nam plures quidem dicuntur *Marci*, plures *Alexandriæ*. Sed singulatim tamē priùs huic, posteà alii, atque alii, datum nomen *Marci*: singulatim item priùs huic urbi, posteà alii, & inde alii, impositum fuit nomen *Alexandriæ*: non autem universè; rationéque habita communis naturæ; uti fit in appellativis.

8 Hæc tria propriè accidunt. Species verò, & figura; item numerus, & persona, sunt accidentia magis communia; ut antea dictum. Nec temerè præteritur quantitas: quia, quod per illam hoc loco intelligitur, vocis accidens non est. Siquidem ea dividitur nomen in substantivum, & adjectivum; proprium, & appellativum, sive commune. At distributio illa petitur ab significatione, quæ est forma essentialis, & quasi anima vocis. Porrò tria hæc, genus, casus, declinatio, tum substantivis accidunt, tum adjectivis. At præterea, adjectivis accidunt duo, motio, & comparatio. Motio fit per genera: ut *doctus*, *docta*, *doctum*. Comparatio fit per gradus: ut *doctus*, *doctior*, *doctissimus*. Imò & quædam substantiva moventur, sed tantùm genere masculino, & feminino: ut *dominus*, *domina*; *poeta*, *poetria*; *leo*, *leæna*. De motione adjectivorum agemus paulò pòst, in doctrina de nominibus omnis generis. De comparatione videbimus, ubi egerimus de quintuplici declinatione.

Nomini accidunt genus, casus, & declinatio [8].

1 Genus est discrimen nominis secundùm sexum. Sed sexum hìc non semper physicè intellige, seu ratione naturæ: sed etiam grammaticè, seu ratione similis structuræ. Videlicet, ratione sermonis, maribus quasi accensentur omnia, quæ instar eorum construuntur: ac quasi pro mulieribus habentur, quæ in structura, ut mulierum propria, usurpantur. Ideò non incommodè mihi loqui videntur, qui ajunt, genus esse discrimen nominis, secundùm notam. Cujusmodi nota non unica quidem, sed præcipua tamen est, quòd recipiat *hic*, *hæc*, vel *hoc*. 2 Communia trium generum appellat Charisius. 3 Etiam Epicœna; de quibus mox dicetur.

Discrimen generis [1].

Discrimen generis propter convenientiam adjectivi, & substantivi, inquiritur.

Genera nominum sunt tria. Masculinum; ut, *hic magister*. Femininum; ut, *hæc mensa*. Neutrum; ut, *hoc scamnum*.

Quædam nomina habent hæc tria genera; & dicuntur *Omnis generis* [2]: quædam duo; & dicuntur *Communis* aut *Dubii generis*. Cætera habent unum genus tantùm [3].

1 Seu nomina sint, seu pronomina, seu participia.

De nominibus Omnis generis.

REGULA.

Omnia adjectiva [1] sunt Omnis generis.

Alia

Alia tribus terminationibus [2]; ut, *hic doctus*, *hæc docta*, *hoc doctum*; *hic niger*, *hæc nigra*, *hoc nigrum* [3]. Alia duabus; *ut hic*, & *hæc*, *fortis*, & *hoc forte*; *hic*, & *hæc*, *fortior*, & *hoc fortius* [4]. Alia una; ut, *hic*, & *hæc*, & *hoc*, *felix*, *sapiens*, *concors*, *dives*.

2 Hoc, ut antea quoque dictū, Grammatici vocant *motionem*. Dicunt enim, adjectivorum alia moveri una terminatione, alia tribus. Eam motionis doctrinam hoc loco reliquimus. Sed cùm sit transversæ declinationis genus, uti & comparatio; proprius ei locus foret inter declinationem rectam, & comparationem: ut etiam dicam proximè, antequam de adjectivorum comparatione loquar.

3 Retinui in adjectivis, ut generis notam, pronomen demonstrativum, sive, ut vocant, articulum *hic*, *hæc*, *hoc*. Nota tamen hæc propria est substantivi. Cùm enim dico *hic doctus*, *hæc docta*; non ad *doctus*, sed ad *homo*; non *hæc* ad *docta*, sed ad *femina*, se accommodat. Atque ita in aliis.

4 Anomalia sunt plurima, *duo*, *duæ*, *duo*, *ambo*, *ambæ*, *ambo*.

OBSERVATIO.

† Quædam adjectiva efferuntur tribus, & duabus terminationibus: ut, *hic hilarus*, *hæc hilara*, *hoc hilarum*: & *hic*, & *hæc*, *hilaris*, & *hoc hilare*. Sic composita multa: in quibus tamen feminina in *a* rariùs occurrunt.

Ab	*Animus*,	ut	*exanimus*,	&	*exanimis*.
	Jugum,		*bijugus*,		*bijugis*.
	Frenum,		*effrenus*,		*effrenis*.
	Nervus,		*enervus*,		*enervis*.
	Baculus [1],		*imbecillus*,		*imbecillis*.
	Clivus,		*acclivus*,		*acclivis*.
	Arma,		*inermus*,		*inermis*.
	Somnus,		*semisomnus*.		*semisomnis*.

1 Vel potius ab ejus diminutivo *bacillus*, aut *bacilus*.

† Huc

† Huc referuntur adjectiva, quæ in *er*, & *is*, efferuntur: ut *hic acer*, *hæc acris*, *hoc acre*: & *hic*, & *hæc*, *acris*, & *hoc acre*. Sic *celeber*, *saluber*, *alacer*, &c.

OBSERVATIO II.

† Quædam adjectiva unius terminationis rarò [1] usurpantur in genere neutro: rariùsque vel nunquam, in neutri generis nominativo, accusativo, & vocativo plurali: ut *dives*, [2] *hebes*, *teres*, *memor*, *pauper*, *sospes*, *uber*, *puber*, *degener*, *superstes*, &c. [3].

1 Quomodo Ovid. dixit, *ingenium dives*: item, *opus superstes*: nec non, *tricuspide telo*: Lucanus, *imperiumque comes*: Silius, *ales plumbum*: Juvenalis, *depositum tibi sospes erit*: atque alia alii. 2 At dispar ratio est in *dis*, quàm in *dives*. Nam apud Justinum est lib. 31. *Castraque ditia victoribus reliquit*. 3 Similia videntur *ales*, *artifex*, *compos*, *impos*, *hospes*, *intercus*, *inops*, *locuples*, *præpes*, *supplex*, *vigil*.

OBSERVATIO III.

† Adjectiva sæpè accipiuntur substantivè: ut, *Amicus certus*: præsertim autem genere neutro: ut, *Nova*, id est, *res nova* [1]. Atque hoc perpetuum est in *plus*; uti & pronomine *quid* cum compositis, *aliquid*, *ecquid* *quippiam*, *quiddam*.

1 Huc refer istud; *Triste lupus stabulis*. Item, *Turpe senex miles*, *turpe senilis amor*, id est, res tristis, res turpis. Nisi malis intelligi, *quid*, aut *aliquid*: ut integrè sit *triste quid*, *turpe aliquid*. Aut potiùs *negotium*: ut *nova*, valeat *nova negotia*: *triste lupus stabulis*, integrè sit *triste negotium*. Sic Demosthenes περὶ στεφ. Πονηρὸν ὁ συκοφάντης, *Malum sycophanta*; integrè fuerit, πονηρὸν χρῆμα, *malum negotium*, h. e. res mala.

OBSERVATIO IV.

† Genus adjectivi [1] sæpè cognoscitur ex sub-

1 Puta substantivè usurpari.

substantivo intellecto: ut, *natalis meus*, supple, *dies: hic Januarius, Quintilis, Sextilis*, supple, *mensis: hi molares*, puta, *dentes: oriens, occidens*, scilicet, *Sol: torrens*, scilicet, *amnis* 3: *lectæ bidentes*, scilicet, *oves: duri bidentes*, scilicet, *ligones: hæc continens*, scilicet, *terra: hic cornipes, sonipes*, puta, *equus: hæc bipennis*, scilicet, *securis: hæc biremis, triremis*, scilicet, *navis: hæc vocalis, consonans, semivocalis*, nempe, *litera*.

3 Siniléque *fluvius*. Natura enim est adjectivū, ut *pluvius*. Unde dicimus *pluvia*, supple *aqua*.

* Substantivi autem genus in talibus scitur ex regulis specialibus, quæ posteà adferuntur.

De nominibus Communis generis.

REGULA.

Omnia substantiva, quæ conveniunt [1] viris ac mulieribus, seu maribus ac feminis, sexu discreto, sunt Communis generis; & pro maribus masculino, pro feminis feminino genere usurpantur: ut *hic, & hæc dux, custos, auctor, bos, canis*, &c.

Sed distingui debent ab his, quæ non constructione [2], sed sola significatione, sunt communia: ut, masculina, *fur, latro, homicida, exul, homo*: feminina, *proles, soboles*: neutra, *animal, mancipium*: atque id genus alia.

1 Una nempè terminatione. Nec enim huc pertinent, quæ quidem utrique conveniunt sexui, sed terminatione diversa, ut *servus, serva; leo, leæna; Phœnix, Phœnissa*, &c.

2 Constructione communia dicuntur, quæ in structura admittunt adjectivum utriusque generis: ut *civis Atticus*, & *civis Attica: parens noster*, & *parens nostra*. Sed significatione solùm adjectiva sunt, quæ conveniunt quidem sexui utrique, sed utriusque generis adjectivum non recipiunt. Quomodo mulier quidem fur est; nec tamen eam dixeris *magnam furem*, sed *feminam furacissimam*: & femina homo est, nec tamen appelles *hominem miseram*; sed *mulierem miseram*.

At

At verè communia sunt, quæ his versiculis continentur.

Conjux atque *parens*, *infans*, *patruelis*, & *hæres*,
Affinis, *vindex*, *judex*, *dux*, *miles*, & *hostis*,
Augur, *antistes* 3, *vates*, *conviva*, *sacerdos*,
*Municipi*que addas *adolescens*, *civis*, & *autor*,
Custos, atque *comes*, *nemo*, *sus*, *bos*que *canis*que 4.

* *Nomina, quæ conveniunt maribus, & feminis, sine discrimine sexus, Epicœna* 5 *vocantur, & unum tantùm genus habent, quod cognoscitur ex regula de terminatione : ut*, hic passer, pavo; hæc pica, vulpes, *6*.

3 *Antistes* in feminino etiam *antistita* facit.

4 Ne *testis* excludatur, possis postremum hunc versiculum sic refingere : *Custos, nemo, comes, testis sus bos*que, *canis*que. Porro eorum, quæ hisce versiculis memorantur, alia sunt natura sua substantiva: ut *sus*, *bos*, *canis*, &c. alia veriùs adjectiva: ut *patruelis*, *adolescens*, *conviva*, &c. quæ non videntur natura adsciscere femininum; sed quia κατὰ σύνθεσιν vel ἔλλειψιν, ad *feminina* attenditur. 5 Clariùs, ac breviùs, dixeris, epicœna esse quæ sub una terminatione, & uno genere, utrumque sexum comprehendunt. 6 Similia sunt *liberi*, *catulus*, & alia multa. Itaque de filiabus dicam, *liberos meos*, non *meas*: ac femellam catulum appellem *egregium catulum*, non *egregiam*; & ita in aliis.

De nominibus Dubii generis.

REGULA.

Dubii generis sunt, quæ sine discrimine usurpantur, nunc in masculino, nunc in feminino genere 1: ut, *hic* vel *hæc*, *dies*, *margo*, *adeps*, *clunis*, *finis*, *torquis*, *penus*, *specus*, *serpens*, &c. 2

1 Non quasi idem liceat in prosa, & semper quod in carmine, & rarò: sed quia in quibus hic non attendatur discrimen sexus; sive quia sexus sit nullus, ut in *marga*, *finis*, *torquis*, &c. sive quia sit, sed nulla ejus ratio habeatur; ut in *serpens*, *dama*, *lynx*, &c.

2 Quæ præterea dubia sint, & utro genere magis usitata, commodiùs in regulis specialibus exponetur.

bus

bus usus frequentior [3] observandus est.

3 Quis enim in prosa *talpa*, & *dama*, in masculino ausit usurpare, cùm solus Maro sic utatur; idque semel dumtaxat, fortasse κτ̀ μεταπλασμόν. Quare videndum, utrùm poetæ, an oratores, eo genere usurpent: & seméln e, vel iterum, an crebrò ita utantur.

De nominibus omnis generis.

Nomina unius generis cognoscuntur vel ex significatione, per regulas generales: vel ex terminatione, per regulas speciales [1].

1 Possis addere, etiam genus cognosci declinationis defectu: ut quòd *fas*, *hir*, *pondo*, & similia, neutra sunt.

REGULA I. GENERALIS.

Masculini generis sunt:

I. Nomina virorum [1], & quæ viris tantùm conveniunt [2]: ut *Petrus*, *Paulus*, *Mars*, *Jupiter*, *pater*, *consul* [3], &c.

Sic nomina verbalia in *a* exeuntia [4]: ut, *advena*, *indigena*, *assecla*, *perfuga*, *transfuga*, multaque alia. Item, *lanista*, *rabula*, *lixa* [5], &c.

II. Nomina ventorum: ut, *Eurus*, *Zephyrus*, *Auster*, *Aquilo*, vel *Boreas* [6].

1 Uti & eorum, quæ virili specie concipiuntur: ut sunt *Dii*, *Angeli*, &c. Ita & *Mamona*, vel *Mamonas*, pro divitiarũ Deo, virile est. Sic pluralia *manes*, *penates*.

2 Sub ratione officii, aut simili. 3 Sic *Catilina Pægnium*. Nec enim terminatio hic attenditur. 4 Quamvis enim de feminis etiam dicantur: non tamen iis jungemus adjectivum femininum, nisi veteres idem fecerint: quomodo legimus *convivas meas*. 5 Itidem populorum nomina; ut *Arabes*, *Persæ*, & similia; quæ generis sunt virilis, quia potissimùm attendimus viros, ut sexum digniorem. 6 Sic *Cæsios*, *Ornithiæ*, *Etesiæ*, & alia ventorum nomina: de quibus Gellius lib. 2. cap. 22. Sanè Græcis οἱ ἐτησίαι, supple ἄνεμοι. Excipitur *lælaps*, quia Græcis λαίλαψ femininum est. Sed non existimo, uti eo Latinos; qui *turbinem* vocant.

6 At *uncia*, & ejus composita, similiter exeuntia, feminina sunt; eòque, quod hìc dicitur de partibus assis, restringi ad eas debet, quæ unciam excedunt, nec in A desinunt. Ex quibus *deunx* dicitur, quia deest uncia, quò minùs sit as *decunx*, quasi decem unciæ; qui & *dextans*, quia deest sextans: *dodrans*, quia deest quadrans: *bes*, quia deest triens; nam priùs *dos* dixere, teste Varrone: vel *des* ex *dues*, quia continet duos trientes. Nempe, ut *bonum* ex *duonum*; *bellum* ex *duellum*. Sic Græcis *bes*, διμοιρις. At *septunx*, quasi septem unciæ: *semissis*, quasi semis assis: *semis* verò non quasi, *semias*, ut Varro ait in 4. de L. L. sed ex ἥμισυς, *quincunx*, quasi quinque unciæ: *triens*, quasi tertia pars assis: *quadrans*, quasi quarta pars: *sextans*, quasi sexta pars. Itidem masculina sunt composita ab asse: ut *centussis*, & alia; de quibus in terminatione *is* dicetur.

III. Nomina, quæ significant partes assis 6.

As continet uncias	XII.	*Deunx*	XI.
Decunx, vel *Dextans*	X.	*Dodrans*	IX.
Bes, vel *Bessis*	IIX.	*Septunx*	VII.
Semissis	VI.	*Quincunx*	V.
Triens IV. *Quadrans*	III.	*Sextans*	II.

REGULA II.

Feminini generis sunt.

I. Nomina mulierum [1], & quæ mulieribus tantùm conveniunt [2]: ut, *Maria*, *Venus*, *mater*, *soror* [3].

II. Nomina regionum, insularum, urbium, & pagorum: ut, *Ægyptus*, *Delus*, *Corinthus*, *Bethphage*. Præter masculina *Pontus* [4], *Acragas*, *Narbo*, *Hippo*, *Sulmo*, *Croto* &c. item in *us*, Græcè in ους exeuntia: ut, *hic Pessinus*, *Daphnus*. Et neutra in *um*, *ur* [5], & *e* [6]: ut, *hoc Lugdunum*, *Tibur*, *Præneste*. Adde, *hoc Argos*, *Hispal*, *Gadir*, *Zeugma* [7]. Et masculina

1 Comprehende itidem, quæ muliebri specie concipiuntur: ut Deas gentiũ. 2 Puta, sub ratione muliebris officii vel simili. 3 Sed *scortum* excipitur: fortè, quia & maribus tribuatur: ut simile videatur, ac *mancipium*. 4 *Pontus* non pro mari solùm, sed etiam Asiæ regione, virile est Tullio, & Ausonio; item Straboni, atque aliis. 5 *Anxur* Livio quidem semper neutrum: sed Martiali etiam masculinum est. 6 Intellige breve: ut *Reate*. Silius: *Magnæque Reate dicatum Cælicolum matri*. Sed terminata *e* longo feminina sunt: ut *Mitylene*, & alia primæ declinationis. 7 Item I, vel Y: ut *Illiturgi*, *Æpy*.

plura

pluralia in *i*: ut, *hi Philippi*, *Gabii*. Ac neutra pluralia in *a*: ut, *Cythera*, *Bactra*.

III. Nomina arborum: ut, *hæc pomus*, *pirus* [5], *quercus*, &c. præter masculina, *spinus* [6], *oleaster*; cui simile videtur *pinaster*. Item neutra, *robur*, *acer*, *siler*, & [7] *suber*: item in *um* exeuntia: ut, apud Ovidium, *buxum* pro *buxus*.

5 *Malus*, ut pro arbore est femininum; ita virile est de malo in navi, ut poetæ vocant, velifero.

6 Etiam *dumus* masculinum: sed fruticis est nomen: quod dubium est, ut infrà dicetur. 7 Plinius ita usus lib. 17. cap. 24.

REGULA III.

Neutrius generis sunt.

I. Nomina fructuum [1]: ut *hoc pomum*, *pirum*, *prunum*, &c. præter feminina, *oliva*, *nux*, *castanea*, *ficus*, *glans* [2], *avellana*; quæ duobus postremis exceptis, tam arborem, quàm fructum significant.

II. Nomina literarum, & syllabarum: ut, *a*, *b*, *c*, *d*, &c.

Per synthesin usurpantur hæc sæpè in genere feminino.

III. Dictiones omnes materialiter [3] positæ: ut, cùm dico, *Rex derivatum est à rego*, *Vix illud potui dicere triste Vale*. Ovid.

IV. Verba [4], & adverbia, posita pro

1 Dedi illud Lithocomo & Grammaticorum vulgo, ut ne regulam hanc cōfoderem. Judicio tamen meo, in nominibus fructuum genus cognoscitur ex regulis specialibus de terminatione. Nam *pomum*, & similia sunt neutra, quia terminantur in *um*. *Avellana*, *galla*, similiaque, feminina sunt; quia in *a* exeunt. Uti & *glans*; quia consonantem habet ante *s*. Item *nux*; quia in *x* desinit. *Ficus*, eximitur à nominibus in *us*, ut *humus*, *colus*. *Cucumis* masculinum est, ut *vermis*, *vomis*. *Tuber* pro pomi genere virile est, quia exit in *r*, ut *carcer*, *imber*. 2 Sic inde compositum *juglans*. 3 Hoc est, non pro re, sed pro voce. 4 Puta infinitiva.

Nominibus: ut, *Tuum scire*, idest, *tua scientia*: *Aliud cras*.

REGULÆ SPECIALES.

A, E.

In *a*, & *e*, primæ declinationis [1] feminina sunt: ut, *hæc mensa*, *penna*, *epitome*, *pentecoste* [2]. Excipiuntur masculina: *hic planeta*, *cometa* [3]: & *Adria* pro sinu [4] maris. *Talpa*, & *dama*, poetis interdum masculina sunt [5].

In *a*, & *e*, tertiæ declinationis, neutra sunt: ut, *hoc poema*, *ænigma*, *mare*, *cubile*.

1 Quia genus sæpè ex declinatione cognoscitur: eò nonnulli in declinationum doctrina de genere agendum arbitrantur. Nec sententiæ huic multùm adverser. 2 Reliqui *pentecostes*, exemplum licèt parum idoneum. Nam πεντηκοστὴ, h. e. *quinquagesima*, natura est adjectivum; ac eò femininum, quia intelligitur ἡμέρα, hoc est, *dies*. 3 Quæ & Græcam sæpè terminationem retinent, *planetes*, *cometes*. 4 Nam pro urbe femininum est. 5 Hebræa hæc, *pascha*, & *manna*, neutra sunt. At Latinum *manna* femininum est: quòd notat micas thuris concussu elisas. Etiam *Ossa*, & *Oeta*, vel *Oete*, utroque à poetis genere usurpantur. Sed censeo, natura esse feminina; in masculino autem sumi per synthesin, ut intelligatur *mons*.

I.

In *i* neutra sunt, & indeclinabilia: *hoc gummi*, *sinapi* [1].

1 Pro quibus & in feminino dicitur *gummis*, *sinapis*.

O.

In *o* masculina sunt: ut *hic sermo*, *ordo*, *cardo*, *scipio*, *titio*, *pugio* [1].

Sed in *do*, & *go*, plures, quàm duas syllabas habentia, feminina sunt: ut, *hæc arundo*, *dulcedo*, *imago*, *rubigo*. Præter masculinum, *hic harpago*.

1 Sic *stellio*, *curculio*, *vespertilio*, *pernio*, *papilio*, *senio*, & *unio* pro margarita. Pro concordia vulgò utuntur in feminino: sed ea significatione Latinum non est. 2 Ita Grammatici. Interim auctoritatem desidero. Græcis nihil est subsidii: quibus non ἁρπαγών, sed ἅρπαξ, & ἁρπαγὴ vocatur. Nec de *unedo*, quod virile ajunt, satis est evidens. Etiam *cupido* pro cupiditate in masculino reperias apud poetas, præcipuè Horatium. Sed in feminino longè est usitatius: imò nec aliter usi oratores.

Ver-

Verbalia in *io* feminina sunt: ut, *lectio*, *oratio*; item, *regio*, *legio*, *ditio*, *portio*, *concio*, *optio*, *religio*, *perduellio*, *rebellio*, *talio*, *communio*, *seditio* [3].

Item feminina: *caro*, *grando*, *Argo*, & *echo*. Interdum & *margo* est femininum: sed sæpiùs masculinum. Uti & *arrhabo* [4], ac *bubo* [5].

Neutrum est *pondo*, & indeclinabile [6].

U, Y.

In *u*, & *y*, neutra sunt: ut, *cornu*, *genu*, *moly*.

3 Quorum aliqua quidem à nominibus veniunt; alia autem, etsi formentur à tẽpore præsenti, meritò tamen verbalibus accensentur. Uti & *alluvio*, *contagio*, *usucapio*. At *seditio* quidem est à supino *itum*: sed solùm ratione partis, non verò totius; quomodo ab *ambitum* est *ambitio*. 4 *Arrhabo* femininum est Varroni: masculinum Catoni, Plauto, Gellio; uti & Græcis. 5 Solus in muliebri genere Virgilius utitur. Verùm Servius censet, figuratè ita loqui, ut respexerit ad *avis*. 6 *Pondo* est ἄκλιτον, àc utriusque numeri: sed plurale, cùm pro libra sumitur. Ut, *quod pondo? centum pondo*. Pro pondere, tantummodò est singulare: ac ferè additur *libra*, *uncia*, *dodrans*, vel simile. Ut, *Corona aurea libra pondo*. Item, *Cum dodrante pondo mellis*. Et similia.

C, T, AL, EL, UM.

In *c*, & *t*; item *al*, *el*, & *um* [1], neutra sunt: ut, *lac* [2], *caput*, *animal*, *mel*, *fel*, *scamnum*. Sed *sal* sæpiùs est masculinum; interdum neutrum: in plurali masculinum tantùm.

1 Sunt qui hanc regulã de neutris in *um* generalem arbitrentur; eòque eam extendunt ad propria omnia, etiam virorum. *Pægnium*, *Dinacium*, puerorum nomina sunt apud Plautum; item feminarum, ut *Glycerium*. Sed falluntur; cùm *mi Pægnium*, & *mea Glycerium*, dicatur; non contrà. 2 Ita neutrum est *halec*. Nam *halecem*, quod est apud Martialem, venit ab *halex*; quo semel iterumque usus est Plinius.

IL, OL, UL.

In *il*, *ol*, *ul*, masculina sunt: ut, *mugil* [1], *sol*, *exul* [2].

Nil, & *nihil* [3], neutra sunt.

1 Pro quo & *mugilis* dicitur, quod usitatius. Uti & pro *strigilis* fortasse antiqui dixere *strigil*. Sed cujus hoc generis fuerit, non liquet. Vulgò putatur ejusdem generis, ac *strigilis*: quod femininum est. 2 Mulier quidem *exul* dicitur: ut apud Ovidium Ariadna ad Theseum, *Exul ero*: sed *vaga exul* non dicatur, verùm *vaga & exul*: nec *ejectam exulem reducere*, sed *in exilium ejectam reducere*. Nempe significatione est commune, structura est virile, sed cùm de viro sermo: de femina autem, & hujus & illius generis adjectivum respuit. 3 Nimirum quia κατ' ἀποκοπὴν factum est ex *nihilum*, quod ex *ne* & *hilum*. Uti ex *nihil* κατὰ συγκοπὴν est *nil*, quod proindè & ipsum neutrum est.

AN, IN, ON.

In *an*, *in*, & *on* tertiæ masculina sunt: ut, *hic paean*, *delphin*, *canon*, *agon*. Excipe feminina, *sindon*, *icon* [1], *halcyon*, & *aedon*.

In *on* secundæ sunt neutra: ut, *symbolon*, *idolon*, *symposion*: quæ Latinè per *um* efferuntur.

1 Sed *icon* vix invenitur apud Latinos.

EN.

In *en* neutra sunt: ut, *flumen*, *lumen*, *semen*, *gramen*.

Excipe masculina, *ren* [1], *splen*, *lien*, *pecten*, *lichen*, *attagen* [2].

1 Pro quo apud Charisium *rien*; Priscianus utrumque agnoscit; sed *rien* apud idoneum auctorem necdum occurrit. 2 Etiam *hymen* & *turben*.

AR, UR.

Desinentia in *ar* [1], & *ur*, neutra sunt: ut, *calcar*, *jecur*.

1 In *ar* natura sunt adjectiva ex *are*: sed usu facta sunt substantiva.

Masculina sunt, *salar* [2], *furfur*, *turtur*, *vultur* [3].

2 Fur quoque masculinum tantùm ut superiùs diximus. 3 Nar nunc masculinum est, nunc neutrum. Verùm & *fur*, & *nar*, pertinent ad regulas generales. Non item *jubar*; quod ipsum Ennio masculinum; aureo ævo, ac deinceps, potiùs neutrum est.

ER.

In *er* masculina sunt: ut, hic *liber*, *ager* [1].

Linter dubium; sed sæpiùs femininum est.

Neutra sunt, *hoc ver*, *spinther*, *cadaver*, *iter*, *laser* [2], *uber*, *tuber* pro tumore, aut callo terræ. Et fructuum nomina, *piper*, *cicer* [3], *papaver*, præter *hic cucumer* [4], & *hic tuber* pomi genus [5].

1 Pleniùs sic habe: In *er* masculina sunt; tum secundæ, ut *liber*, *ager*; tum tertiæ; sive non crescant in genitivo; ut *venter*, *uter*: sive crescant; ut *agger*, *carcer*: etiam Græca; ut *aer*, *crater*, *æther*, *panter*, * *clyster*, *præster*, *character*, *halter*. 2 Sic & *laver*. Apud Plinium tamen legas etiam *laver cocta*. 3 Itidem *siser*. Sed Plinius quoque *tres siseres* dixit. Ubi masculino, an feminino utatur, non liquet. 4 Verùm nominativus hic veteribus est inusitatus, qui pro eo *cucumis* dicebant. Nec usitatum est *verber*; unde diptoton *verberis*, *verbere*. Interim neutrum esse, ex plurali *verbera* satis liquet. 5 Nempe *tuber* trium est generum. Pro pomi genere est masculinum: pro arbore ipsa, femininum; at neutrum est pro plantæ genere intra terram proveniente, veréque callo terræ; aut pro tumore, unde *tuberculum* dicimus.

IR.

Hir neutrum est, & defectivum.

OR.

In *or* masculina sunt: ut *color*, *honor*.

Femininum est *arbor*.

Neutra sunt, *hoc cor*, *marmor*, *ador*, & *æquor*.

AS.

In *as* primæ declinationis, masculina sunt: ut, *tiaras*. *

* *Boreas*, *Cæsias*, *Etesias*, esse masculina, ex regula generali de ventis cognoscitur.

In *as* tertiæ, ſunt feminina: ut, *hæc pietas, civitas*. Excipe maſculina, hic *as aſſis, adamas, elephas* [1].

Neutra ſunt, *vas vaſis* [2]: *fas* [3] & *neſas*, indeclinabilia.

1 Etiam *vas vadis* ſtructura, tantū eſt maſculinum; etſi ſignificatione ſit commune. 2 Neutra etiam ſunt Græca, *artocreas* & *eryſipelas*: illud eſt apud Perſium, hoc Celſum. Græcè τὸ ἀρτόκρεας, ατος, τὸ ἐρυσίπελας, ατος. Etiam *buceras* herba neutrum eſt Plinio. 3 Ut apud Juvenalem, *Grande neſas*.

E S.

Terminatio *es* feminina eſt: ut, *hæc ſedes, ſpecies, res*.

EXCEPTIO.

Maſcula ſunt, *paries, palmes*, cum *limite, ſtipes*.

Et fomes, trames, termes, cum *gurgite, ceſpes*.

Pes, tudes, atque *ames, trudes* [1], queis jungito *poples*.

Item *meridies* [2].

Sunt & maſculina Græca: *hic magnes, acinaces, cometes, lebes, tapes* [3].

* Uti *aromatites, abſinthites, hyſſopites* 4, ſimiliaque.

1 Sed in tribus iſtis, *tudes, ames, trudes*, veterum auctoritas non occurrit. Itaque ſatius ſit adjectivo alterutrius generis abſtinere.

2 Quam vocem verſus ſuperiores non receperunt, trium ob breviū concurſum. Ac ſimiliter maſculina fuerint *ſemidies* & *ſeſquidies*; ſi iis uti viſum ad inſtar vocum *ſemihora*, & *ſeſquihora*. 3 Sic *planetes, ſorites, gagates, bootes, Soractes*. 4 Nam ſi neutra hæc forent, non in accuſandi caſu, *vinum abſinthiten, hyſſopiten, abrotoniten*, dicerent Columella, ac Plinius. Nempe intelligitur in iſtis Græcum οἶνος, quod maſculinum: diciturque *vinum abſinthites*, ut *flumen Rhenus*. Sic maſculina quoque ſunt *pyrites, ſelenites*, ſimiliaque; ubi attenditur ὁ λίθος, *lapis*. Cùm contrà *pyrites, ſelenites*, ac ſimilia, per *is* prolata, feminina ſint, quia intelligitur ἡ λίθος, *gemma*. Hoc diſcrimen obſervatum Plinio, ſi melioribus codd. ſtemus: at vulgatis ſubinde negligitur. Et ſanè nihil mirum, ſi *aromatites, pyrites*, ſimiliaque, ſint generis maſculini; cùm Græcis ſint primæ ſimplicium, quæ tantùm eſt maſculinorum.

Neu-

Neutra sunt, *es*, *cacoethes*, *hippomanes*, *nepenthes*, & similia 5 his Græca.

Dubia sunt, *ales* 6, *palumbes*, *torques*, sive *torquis*, & *vepres* 7 tam singulari, quàm plurali: item *dies*; sed in plurali tantùm est masculinum.

5 Videlicet quæ Græcè in ης desinūt, ut quæ hic afferuntur; item *panaces*, Græcè πάνακες.

Nam quæ per ης efferuntur, sunt masculina: ut *acinaces*, Græcè ἀκινάκης, & alia paulò antè producta. 6 *Ales* in feminino, *palumbes* in masculino genere est usitatius. Nempe in *ales* intelligitur *avis*; quod secundùm regulam muliebre est. Sed naturæ ratione in masculino etiam usurpatur: quia avis est utriusque sexus; & ad virilem, ut digniorem, attenditur. 7 Lucretii sanè est, *vepres auctas*. Atque ab eo genere *veprecula* in usu est. Usitatiùs tamen dixeris, *hunc veprem*, quàm *hanc veprem*, & *hos vepres*, quàm *has vepres*.

I S.

In *is* feminina sunt: ut, *avis*, *navis*, *lis*, *tyrannis*.

EXCEPTIO.

Mascula sunt 1, *panis*, *penis*, *glis*, *sanguis*, & *ensis*,
Et *crinis*, *vectis*, *piscis*, *fascis*, *lapis*, *amnis*,
Et *fustis*, *postis*, sic *axis*, *vermis*, & *unguis*,
Et *collis*, *follis*, sic *callis*, *vomis*, & *ignis*,
Et *mensis*, *torris*, sic *caulis*, *colis*, & *orbis*,
Proque angui *cenchris* 2, pro reti *cassis* 3, *aqualis* 4.

1 Possis & pleràque horum canone isto complecti: Omnia in *nis* exeuntia sunt masculina. Qua regula comprehendas, *panis*, *penis*, *crinis*, *cinis*, *ignis*, *amnis*, *funis*. Et videtur huc Fabius respexisse lib. 2. cap. 6. cùm ait; *funis* cognosci masculinum similium comparatione, quia sit ut *panis*. 2 Nam pro ave est femininum. 3 Sed *cassis* in singulari haud temerè invenias: unde inferiùs inter masculina pluralia meritò refertur. Ut verò *cassis*, sic & *cossis* sit hujus loci; si sic dixere. Apud Plinium inconstanter, nunc *cossi*, nunc *cosses* legas. Sed *cossi* est apud Festum: eaque terminatio veteribus etiam glossis approbatur. 4 Sed hoc natura est adjectivum; ac masculino usurpatur, quia intelligitur *urceus*.

Mugilis, & *cucumis*, *sentis*, compostaque ab *asse* 4.

Addere queis liceat, *funis*, *pulvis*que, *cinis*que:

Quæ tria femineo generi junxere poetæ.

Jugalis, *majalis*, *natalis*, *molaris*, masculina sunt: quia intelligitur, *equus*, *porcus*, *dies*, *dens*, aut *lapis*: uti dictum suprà.

Dubia sunt, *anguis*, *clunis*, *torquis*, *finis*, *corbis*, *scrobis* 5, *canalis* 6.

4 Sive assis pars sint, ut *semissis*; de quo actum in regulis generalibus de masculinis: sive assem contineant sæpius; ut *tressis*, *octussis*, *decussis*, *vigessis*, *centussis*.

5 Sive *scrobs*, de quo infrà. 6 Etiam *volucris* masculinum est Ciceroni: sed in carmine, ac semel duntaxat. At in feminino passim invenias, quia intelligitur *avis*. Natura enim est adjectivum.

OS.

Os masculinum est: ut, *hic flos*, *mos*, *ros* 1.
Sed feminina sunt, *cos*, *dos*, *arctos*, *eos*.

* Etiam *diametros* 2. At *glos* ad regulam generalem pertinet.

Neutra sunt, *os oris*, *os ossis*. Item *chaos*, *melos*, *epos*, & id genus 3 Græca.

Quæ usitatiùs per *or* efferuntur, idem hic genus obtinent. Ita *lepos* est masculinum: *arbos*, femininum.

1 Etiã Græca quintæ declinationis simplicis, ut *monoceros*, *agoceros*.

2 Ut apud Vitruvium: *Per mediam diametron*. Usus & Columella.

3 Hoc est, quæ Græcis sunt primæ contractorum. Nam si simplicis sint declinationis, ratio est dispar: ut jam vidimus.

US.

REGULA I.

In *us* secundæ, & quartæ, masculina sunt: ut, *hic annus*, *fructus*. Sic Græca, *paradi-*

radisus, *tomus*, *hyacinthus* [1] pro flore, &c.

Sed in secunda, feminina sunt [2], *hæc humus*, *alvus*, *vannus*, *colus* [3]. Item, *abyssus*, *biblus*, *papyrus*, *balanus*, *crystallus*, *antidotus*, *costus*, *synodus*, *methodus*, *exodus*, *periodus*, aliaque Græca [4].

Neutra sunt, *pelagus* & *virus*.

Vulgus, neutrum, & interdum masculinum.

Dubia sunt, *barbitus*, *grossus*, *phaselus*, *rubus*.

* *Item* smaragdus 5, pampinus 6, & carbasus 7.

In quarta, feminina sunt, *manus*, *porticus*, *acus* [8], *tribus*, & *domus*: quod partim etiam secundæ declinationis est.

Dubia autem in quarta 9 sunt, *penus*, & *specus*.

Ficus pro arbore, & fructu, femininum [10] est, & secundæ, ac quartæ: pro morbo masculinum, & secundæ declinationis est.

1 Nam pro gemma femininũ est. Vide quæ ad dubia de gemmarum nominibus mox adnotabo. 2 Ut *isthmus*, *scyphus*, *dialogus*, *tomus*, *typus*, *catalogus*, & alia multa. 3 Sed *colus* in masculino etiam reperias apud Catullum, & Propertiũ. 4 Inter quæ *arctus* & *dialectus*. Item *nardus*, ac *hyssopus*, quæ duo in neutro quoque per *um* efferuntur. Etiam *diphthongus*, & *eremus*, feminina sunt, ratione substantivi, quod respicitur. Nam illic *syllaba*, hìc *terra* intelligitur. Sunt enim natura sua adjectiva: ut integrè sit δίφθογγος συλλαβὴ, γῆ ἔρημος. 5 *Smaragdus* in masculino tutiùs usurpes. Fortasse in masculino respicitur *lapillus*: in feminino *gemma*. Quòd si in gemmarum nominibus non occurrat Latinorum auctoritas, imitabimur Græcos. 6 *Pampinus* in masculino. 7 *Carbasus* in feminino est usitatius. 8 *Acus aci* masculinum est, & piscis nomen. *Acus acus* femininum, & instrumentum est sartorium. *Acus aceris* neutrum, & paleam notat. Qua in significatione etiam usurpatur genere feminino, & declinatione quarta: ut apud Columellam, *acus resectæ*. 9 Nam in tertia sunt neutra. De his fusè Priscianus lib. 6. 10. Video quædam in contrarium obduci: utcunque est, sæpiùs, tutiùsque, pro fructu usurpatur in feminino.

REGULA II.

In *us* tertiæ declinationis ſunt neutra: ut, *hoc corpus*, *vulnus*, *pecus pecoris* [1].

Excipe maſculina, *lepus*, *mus*, *tripus*, *polypus*, & ſimilia Græca à πȣ̃ς [2]; præter *lagopus*, quod tum pro ave, tum pro herba, femininum eſt.

Excipe etiam feminina, *incus*, *ſubſcus*, *virtus*, *ſalus*, *tellus*, *pecus pecudis*, *palus paludis*, *ſervitus*, *ſenectus*, *juventus*.

Grus dubium eſt [3].

1 Sic *acus aceris*, *glomus glomeris*.

2 Ut *chytropus*, *daſypus*, & *apus*, cujus plurale *apodes*, quomodo dicũtur cypſelli.

3 Horatio eſt maſculinũ. Sed in feminino multò eſt uſitatius.

AUS.

In *aus* duo ſunt, éaque feminina: *laus*, *fraus*.

S, PRÆCEDENTE CONSONANTE.

In *s*, præcedente conſonante, feminina ſunt: ut *hæc ars*, *pars*, *hyems*, *puls*, *ſtirps* pro progenie [1].

Excipiuntur maſculina, *mons*, *fons*, *pons*, *dens*, *bidens*, & *tridens*, inſtrumenta, *ſeps* pro ſerpente [2], *merops*, *hydrops*, *chalybs*, *gryps*. Sic, *torrens* [3], *nefrens*, *rudens*, *confluens*, *profluens*, *oriens*, *occidens*, ſubſtantivè poſita.

Adoleſcens commune eſt.

1 Nam pro arboris trũco quandoque eſt maſculinum; ut mox dicam.

2 Sed cùm ſignatur ſepes, ſive ſeptum, ſequitur regulam generalem.

3 In *torrens*, uti & *confluens*, ac *profluens*, intelligitur *amnis*, aut *fluvius*: in *nefrens* verò, *porcellus*: in *oriens*, intelligitur *Sol*. Quod autem *hanc rudentem* Plautus dixit, id ſimile eſt, ac *aurea funis*; quod apud Lucretium legas. Etiam *bidens*, ac *tridens*, ſunt maſculina, quia intelligitur *liga*. Vide ſuperiùs Obſervationem quartam generalem de adjectivis. *Quadrans*, *trians*, *dodrans*, maſculina ſunt, ut cæteræ partes aſſis: quemadmodum dictũ in regula prima generali de ſubſtantivis maſculinis.

Ser-

Serpens, *scrobs*, quod & *scrobis*, *stirps* pro planta, & *adeps*, dubia [1].

Animans omnis est generis: sed sæpiùs femininum, vel neutrum.

1 Priscian● etiā *forceps* dubium est: sed hodie tantùm in feminino invenitur.

Y S.

In *ys* Græca sunt, & feminina: ut, *chelys*, *chlamys* [1].

1 *Othrys* Lucano, & Statio masculinum est: fortasse per synthesin, quia intelligitur *mons*: quomod● & *Thessalus Ossa* legimus.

X.

In *x* literam desinentia, feminina sunt: ut, *pax*, *nix*, *pix*, *vox*, *lux*, *falx*, *lanx*, *arx*.

Excipiuntur Græca masculina in *ax*: ut, *abax*, *thorax*, *nycticorax*, *storax* [1]. Item Latina, *hic grex*, *caudex*, vel *codex*, *podex*, *culex*, *pulex* [2], *murex*, *ramex*, *rumex*, *apex*, *frutex*, *vertex*, *latex*, *pollex* [3]. Similiter *hic calix*, *fornix*, *phœnix*, *spadix* [4]. Denique *hic volvox*, *tradux*, *oryx*, *calyx* [5], *coccyx*, *bombyx* pro vermiculo [6], & proprium *Eryx* [7].

Atriplex neutrum est.

Dubia sunt, *limax*, *imbrex*, & *varix* [8].

At *cortex*, *pumex*, *silex*, & *calx* pro calcaneo, aut percussione [9], oratoribus sunt

1 Ita & *mystax*, & *dropax*: puto & *cordax*; qui idem ac trochæus.

2 Videtur *cimex* ejusdem esse generis, ac *pulex*. *Sorex* quoque masculinum est Sereno Sammonico.

3 *Vervex* masculinum esse cognoscitur è regula generali. Etiam virilia *sorex*, *tumex*, *irpex*, sive *urpex*. 4 *Hystrix* utrùm virile sit, an muliebre, planè est incertum. 5 Modò fides sit vulgatis Plinii codicibus l. 20. cap. 19. ubi est, *cum tota calyce*. Sed in MSo invenio *tota*. In Ἀνθολογίᾳ quoque feminino legas, ἡ κάλυξ. 6 Nam pro materia vestis bombycinæ femininum est. 7 Etiam *quincunx*, *septunx*, *deunx*, masculina esse dictum, cùm in regula prima generali de partibus assis ageremus. 8. *Varix* in masculino est usitatius. Adde autem dubiis *perdix*. Saltē Græcè est ὁ καὶ ἡ πέρδιξ. Unde & Varro *perdices Bœotios* dixit, Nonio teste. Adjungunt aliqui *natrix*: sed argumento parum firmo. 9. Nam *calx* pro materie, cujus in structuris est usus, feminini est generis.

masculu-

masculina: poetis quoque feminina. *Obex* etiam in masculino est multò usitatius.

Contra *lynx*, *sandyx*, *onyx* [8], *sardonyx*, oratoribus sunt feminina; poetis quoque masculina.

8 Sed in voce *onyx*, attendenda est diversa vocis significatio. Pro gemma, quæ & ὀνύχιον, est femininum: unde *Indica onyx*, & *Mera onyx* apud Plinium. Masculinum verò est, cùm sumitur pro lapide, qui & *onychites*, & *alabastrites* dicitur; aut pro vase unguentario, ex lapide alabastrite facto. Hinc *parvus onyx*, apud Horatium, *flexus*, vel potiùs *fossus onyx*, apud Papinium; & similia, ubi respicitur ad nomen *lapis*. Unus Martialis pro vase semel usurpat in muliebri; modò locus fuerit sanus.

GENUS PLURALIUM.

quæ singulari carent [1].

Pluralia in *i* masculina sunt: ut *cancelli*, *fori* [2].

In *æ* feminina sunt: ut *nugæ*, *tenebræ* [3].

In *a* neutra sunt: ut, *arma*, *castra*. Item Græca in *e*: ut, *cete* [4], *mele*, *tempe* [5].

In *es*, alia quidem masculina sunt: ut, *antes*, *pugillares* [6]: alia autem feminina: ut *ambages*, *grates*, *lactes* [7].

In *us* quoque partim sunt masculina: ut, *artus*: partim feminina: ut, *idus* [8].

1 Horum genus plurimũ invenitur fingẽdo ἀναλόγως nominativum singularem: præsertim in desinentibus in Æ, vel A, sed & aliis: quomodo *fauces* est femininum, quasi à *faux*: *fruges*, & *opes*, quasi à *frux*, & *ops*. 2 Excipe *grossi*, quod inter feminina pluralis numeri inferiùs cõmemorabitur. 3 *Etesiæ* masculinum est; sed per regulam de nominibus ventorum. Nec penitùs destituitur recto, qui est *Etesias*. Usus eo Plinius lib. 18. cap. 34. Itidem iis accessero, qui *pandectæ* putant masculinum, quia integrè sit πανδέκται λόγοι. 4 Pro quo & in masculino *ceti* dicitur, à recto *cetus*. 5 Quæ contracta sunt ex κήτεα, μέλεα, τέμπεα. 6 Quo & alioqui referunt *vepres*: nec malè: quia raro in singulari, aut feminino, invenitur. 7 Quæ autem hujus, quæ alterius generis sint, indicabitur versiculis de iis, quæ singulari numero carent. 8 Item *quinquatrus*, Varroni, & Ciceroni.

DIS-

DISCRIMEN CASUS.

Casus [1] Nominum sunt sex [2]: Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus, & Ablativus.

* Ex his Nominativus *rectus* 3 vocatur: cæteri *obliqui*; etiam Vocativus, quia & ipse cadit à recto: ut, *dominus*, *domine*. Aliis vocativus potiùs rectus censetur, quia, Nominativi instar, rem non obliquè, sed directè significat: atque in ordine Grammatico, sive naturali, contrà quàm in cæteris sit obliquis, semper ante verbum ponatur.

1 Casus est specialis nominis, pronominis, aut participii, terminatio. 2 Grammatici etiam septimum, & octavum casum addiderunt: idque ob plures significationes. Sed si quicquam præter terminationes attendere voluerunt: non octo modò, sed multò etiam plures casus statuere potuerunt. Sex igitur principes esse significationes, fatendum. Quas etiam distinguere est in aptotis, & diptotis. Atque hac mente agnoscimus, sex esse casus in omnibus linguis. 3 Ideò autem nominativus dicitur *rectus*, quia aliorum est quasi parens: ideò casus alii *obliqui*, quia quasi flexione quadam ab recto nascuntur.

DISCRIMEN DECLINATIONIS.

Declinatio est variatio dictionis in fine per casus.

Declinationes nominum sunt quinque.

In his Genitivus fit à Nominativo, mutata terminatione: alii autem casus à genitivo formantur.

Vocativus utriusque numeri ferè [1] similis est nominativo. In neutris [2] etiam accusativus.

In plurali ablativus semper similis est dativo.

1 In plurali id perpetuū: uti & in quartæ ac quintæ declinationis singulari.

2 Nempe in neutris semper tres casus sunt similes; nominativus, accusativus, vocativus.

DE

DE PRIMA DECLINATIONE.

Prima declinatio est, quæ facit Genitivum in *æ* vel *es* [1]. Continet terminationes quatuor, *a*, *as*, *es*, & *e*: ut, *Musa*, *Æneas*, *Anchises*, *epitome*. Suntque in *a* Latina [2], cætera Græca.

1 Sed *es* est terminatio Græca, à nominativis in *e*. Ideò Probus, & Priscianus, tantùm tres agnoscunt terminationes Latinas, *a*, *as*, *es*. Quia nempe solæ illæ in genitivo habent *æ*. 2 Exeuntia in *a*, non origine quidem semper sunt Latina: (nam *Musa*, & multa alia, Græcis ferimus accepta) attamen Latinorum more declinantur. At illa in *as*, *es*, *e*, ut ortu semper sunt Græca, ita in plerisque casibus declinationem etiam Græcam sequuntur: præsertim nomina in *e* in numero singulari. Porrò Latinorum flexionem aliqua etiam Hebræa imitantur; unde *Adæ*, & *Abrahæ*, apud Prudentium, quasi ab *Adas*, & *Abrahas*.

De nominibus in a exeuntibus.

Genitivus & dativus desinunt in *æ*.

EXCIPIUNTUR.

I. Adjectiva feminina [1], *una*, *ulla*, *nulla*, *sola*, *tota*, *alia*, *utra* [2], *altera*, *neutra*: quæ faciunt genitivum in *ius*, & dativum in *i*: ut, *una*, *unius*, *uni*, *unam*, &c.

II. Olim genitivus desiit in *as*, more Græcorum: unde remansit genitivus *familias*, in his compositis, *paterfamilias* [3], *materfamilias*, *filiusfamilias*, *filiafamilias*.

* III. Antiqui etiam genitivi & dativi desiere in diphthongum *ai*, quod poetæ interdum usurpant

1 Adjectiva hæc, quæ novem sunt numero, veriùs sunt pronomina: ut mirandũ non sit, si nunc eodem inflectantur modo ac pronomina, *ille*, *ipse*, *iste*. Veteres tamen etiam dixere *unæ*, *ullæ*, *solæ*, *totæ*, &c. ut in secunda referam. 2 Cùm compositis, *alterutra*, *utraque*, *utravis*, *utralibet*. 3 Legitur tamen quoque *paterfamiliæ*.

per

per diæresim: *aulai in medio*, pro *aulæ*, 3 Æneid. *vis aquai*, pro *aquæ*, 7 Æneid. 4.

Diæresis est diphthongi, aut unius syllabæ, in duas divisio.

Accusativus desinit in *am*.

* *Græca propria in* a *apud poetas faciunt Accusativum quoque per* an: *ut*, Maja, Majam, *vel* Majan.

Vocativus similis est nominativo.

Ablativus desinit in *a*: ut, *ab hac mensa*.

Nominativus pluralis in *æ*.

Genitivus in *arum*.

* *Hic aliquando fit syncope in compositis à gigno, & colo*: *ut*, terrigenûm, *pro* terrigenarum; cœlicolûm, *pro* cœlicolarum 1.

Syncope est rejectio literæ, vel syllabæ, è medio dictionis.

Dativus desinit in *is*.

Excipiuntur pauca, quæ faciunt Dativum in *abus*, differentiæ causa 2: ut, *Filia* 3, *nata*, *dea*, *liberta*, *equa*, *mula*, *duæ*, *ambæ* 4.

Accusativus desinit in *as*: ut, *mensas*.

4 Nec id modò in femininis; sed quandoque etiam masculinis: ut apud Lucretium *Geryonai*, pro *Geryonæ*. Porrò cautè capiendum, quod Grammatici hanc διαίρεσιν, vel διάλυσιν, vocant. Nam genitivi in *ai* antiquiores sunt genitivis in *æ*. Quare in eo est διαίρεσις, quod ex monosyllabo *ai* fecere *ai* disyllabon.

1 Eandem in patronymicis, ac gentilibus, obtinere, mox liquebit, cùm de nominibus in *es* desinentibus agemus. 2 Hoc est, ad sexum discernendum. 3 Legitur tamen & *filiis*, *natis*, *diis*, *equis*. Ac contrà per *abus* quoque efferuntur interdum *serva*, *conserva*, *asina*, *socia*, *anima*. 4 Hoc in quali versiculo si displiceat, quòd in *dea* posterior producatur ob cæsuram, copulam & post eam subjice. Ut sit, *dea & liberta*.

Paradigma nominum in as.

Hic Æneas, *hujus Ænea*, *huic Ænea*, *hunc Æneam*, vel *Ænean*, *ò Ænea*, *ab hoc Ænea*.

* *In plurali se habet, ut in Latinis.*

Para-

Paradigma nominum in es [1].

Hic Anchises [1], *hujus Anchisæ*, *huic Anchisæ*, *hunc Anchisen*, *ò Anchise* [2], *ab hoc Anchise* [3]. Sic *Æneades*, *Æneadæ*, *Æneaden*, &c. Pluraliter, *Æneadæ*, *Æneadarum* [4], more Latinorum.

1 Quædam nomina in *es* Græcis tum primę erant, tum quinctæ, ut ὁ Χρέμης, τοῦ Χρέμη & Χρέμητος. Atque inde est, quòd apud Terent. in vocativo legas, *ò Chreme*, & *ò Chremes*; *ò Lache*, & *ò Laches*. Sed prior solùm terminatio est hujus loci. Similéque est, *ò Socrate*, apud Cic. At *ò Socrates*, ad tertiam declinationem pertinet. 2 Maro tamen 3 Æn. *ò Anchisa*, nempe à recto *Anchisa*, *Anchise* verò ab *Anchises*. Sic Ovid. *ò Æacide*. At Ennius; *Aio te Æacida*. Sed hoc est ab recto *Æacida*: illud ab *Æacides*. Itidem *ò Atride* dicimus, & *ò Atrida*, pro diverso nominativo. Imò & quædam in *es* vocativum tantùm per *a* faciunt, ut *Orestes*, *ò Oresta*, *Thyestes*, *ò Thyesta*, ut Græcis, ὁ Ὀρέστης, ὦ Ὀρέστα, &c. Sic quoque à *zelotes* malim more Græco, *ò zelota*. 3 Item *hoc Anchisa*, à recto *Anchisa*. Sic Maro, *Tum satus Anchisa*: Et *Anchisa generate*. 4 Item *Æneadum* per syncopen, qua poetæ in patronymicis gaudent. Syncope tamen non fit, si malis, ut Græci ab Αἰνειάδης communi lingua dicunt Αἰνειαδῶν; at Æolicè & Bœoticè Αἰνειαδάων: ita Romanos à priori formare *Æneadum*; à posteriori, inserto *r*, facere *Æneadarum*. Cujusmodi *Tyndaridarum* est apud Horatium. Cavendum autem, ne confundamus genitivos in *um* integros cum illis syncopen passis. Nam *Dardanidum*, pro *Dardanidarum*, est à recto *Dardanidæ*. Verùm à *Dardanis*, sive plurali *Dardanides*, citra syncopen *Dardanidum* dicitur. Estque hoc generis muliebris. Sic *Achæmenidum*, pro *Achæmenidarum*, est virile à recto *Achæmenidæ*; *Achæmenidum* autem citra syncopen est muliebre, à recto *Achæmenis*, sive plurali *Achæmenides*. Hesychius Ἀχαιμενίδες αἱ πέρσιδες. Habet & syncope hæc in gentilibus locum: quale *Macetum* pro *Macetarum*, hoc est Macedonum; à recto *Maceta*, vel *Macetes*, ut Græcè Μακέτης.

Paradigma nominum in e.

Hæc Epitome, *hujus epitomes*, *huic epitome* [1], *hanc epitomen*, *ò epitome*, *ab hac epitome*. Pluraliter, *hæ epitomæ*, *harum epitomarum*, *his epitomis*, &c.

1 Vel *epitomæ*, more Latino, ab *epitoma*: quomodo dicimus, *Helena* & *Helene*, *Helenes*,

DE SECUNDA DECLINATIONE.

Secunda declinatio est, quæ facit genitivum in *i*. Continet terminationes octo: quinque Latinas, *er*, *ir*, *ur*, *us*, *um*: ut *magister*, *vir*, *satur* [1], *dominus*, *templum*: & tres Græcas, *eus*, *os*, *on*: ut, *Orpheus*, *Samos*, *Ilion*.

OBSERVATIO I.

Nomina in *ir*, & *ur*, crescunt in obliquis: ut, *vir*, *viri*: *satur*, *saturi*.

OBSERVATIO II.

Nomina in *us*, & *um*, non crescunt: ut, *dominus*, *domini*: *templum*, *templi*.

* *Vtuntur aliquando hic poetæ* i *pro* ii, *si nominativus exit in* ium, *vel* ius: *uti*, peculi *pro* peculii. *Vnde remansit* res mancipi, *pro* mancipii 2.

OBSERVATIO III.

† Nomina in *er*, præcedente vocali, aut semivocali crescunt 3: ut, *puer*, *pueri*: *miser*, *miseri*: *tener*, *teneri*: &c.

† Præcedente muta, non crescunt: ut, *faber*, *fabri*: *cancer*, *cancri*: *liber*, *libri*.

1 Sed ut veteres *puerus* dixere pro *puer*, unde *puere* apud Plautum: sic & *satur* per apocopē factum est ex *saturus*; cujus femininū *satura*; neutrū *saturum*. Quòd si etiam per apocopen facta huc visū referre: erit & alia terminatio, *il* nam secundæ est *nihil*, quod κατ' ἀποκοπὴν factum est ex *nihilum*, uti hoc conflatur ex *ne*, & *hilum*: ut superiùs etiam diximus. 2 Alii apocopen statuunt. 3 Estque in his penè ultima brevis, præterquam in *Iber*, & *Celtiber*.

EXCIPIUNTUR.

† *Liber*, *Liberi*, cùm proprium est, vel adjectivum: *socer*, *soceri*: *lacer*, *laceri*: *asper*, *asperi* [1]: *prosper*, *prosperi*: *adulter*, *adulteri*:

1 *Asper* adjectivum *asperi* facit: *Asper* proprium *Aspri*. Ut in Fastis consularibus: *Duobus Aspris coss*. Atque ita in Codice Juris sæpè. Apud poetas tamen etiam adjectivum κατὰ συγκοπὴν invenias: ut 2. Æn. *Aspris qui sentibus anguem Pressit humi*.

Presbyter, *presbyteri*: adjectivum, *gibber*, *gibberi* [2].

† *Armiger*, *armigeri*: *lucifer*, *luciferi*: & cætera à *gero*, & *fero* composita.

† *Dexter* facit *dextri*, & *dexteri* [3]; unde fit *dexterior*.

† A *Celtiber* est *celtiberi* [4] penultima longa.

2 Imò & *exter*, *exteri*.

3 Horat. lib. 1 Od. 2. *Dextera sacras jaculatus arces*.

4 Græcis est Ἴβηρ Ἴβηρος, sive sit ex Hispania, sive ex Iberia inter Colchos, & Armeniam. Latinis verò *Iber*, vel *Iberus*, pro Hispano, est secundæ. Lucan. lib. 4. *Profugique à gente vetusta Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis*. Sed qui ex Asiatica sunt Iberia, putantur potiùs *Iberes* dicendi, quàm *Iberi*. Sic sanè Priscianus in Periegesi: *Quem juxta terras habitant Orientis Iberes*. Claudianus tamen in primo de laudibus Stiliconis ait: *Mistis hic Colchus Iberis*. Est verò in recto *Iberus* à genitivo τοῦ Ἴβηρος: ut à genitivo τοῦ ἐλέφαντος etiam dicitur *Elephantus*, *elephanti*.

Genitivus desinit in *i*, dativus in *o*.

Excipiuntur adjectiva masculina & neutra novem, quæ genitivum in *ius*, dativum in *i* faciunt: *unus*, *ullus*, *nullus*, *solus*, *totus*, *alius*, *uter*, *alter*, & *neuter*: ut, *unus unius uni*, &c.

† Sed olim analogicè in omni genere declinabantur; unde legitur, *nulli consilii*, pro *nullius*: *alteræ*, pro *alteri*: aliaque ejusmodi. Atque hinc remansit apud grammaticos, *neutri generis*, pro *neutrius*.

Accusativus desinit in *um*.

Vocativus similis est nominativo.

EXCIPIUNTUR.

Nomina in *us*; quæ faciunt vocativum in *e*: ut, *dominus*, *domine*, &c. præter propria

pria [1] in *ius*, quæ faciunt vocativum in *i* [2]: *ut Virgilius Virgili*, *Antonius Antoni*: & duo appellativa, *filius* ò *fili*, *genius* ò *geni*. Item, *deus* quod facit *deus* [3].

* *In propriis, ubi* j *consonum in nominativo fuit, vocativo detrahitur* us, *& consona redit in vocalem* i: *ut*, Cajus Cai, Pompejus Pompei 4.

1 Nã appellativorum dispar est ratio; ut, *fluvius fluvie*, *tabellarius tabellarie*. 2 Cave propriis istis accenseas *Cynthius*, *Delius*, *Tyrinthius*, *Laertius*, & similia. Quippe quæ semper per *e*, Græcorum more, efferantur: fortasse quia natura sua non propria sint, sed epitheta Phœbi, Herculis, Ulyssis, &c. 3 More Attico. 4 Nisi mavis *i* in *Cajus* & *Pompejus*, esse partem diphthongi *ai*, & *ei*. Quomodo dicere licebit, ut ab *Antonius* est *Antoni*, abjecto *us*: ita, abjecto *us*, à *Cajus* esse *Cai*, à *Pompeius Pompei*. Sed in dissyllabis, ut *Cai*, dialysi est opus.

Ablativus desinit in *o*: ut *domino*.

* Sic defectivum *chaos* facit *chao* 1, etsi Græcis sit declinationis quinctæ 2.

1 Nisi malis esse hoc à *chaus*. Nam Priscianus *chaus chai* declinat. 2 Quæ quinta nostræ tertiæ respondet. Similiter *melos* quandoque declinationem mutat, Nonio teste.

Nominativus pluralis in *i* [1], vel *a*, si neutra sunt: ut *hi domini*, *hæc scamna*.

Deus habet usitatè *dii* [2], vel *di*: unde est *diis*, vel *dis*.

Genitivus in *orum*.

* Hìc aliquando fit syncope. Virg. *chara deum soboles*, pro *deorum*. 3 Sunt & in usu apud Oratores *nummum* pro *nummorum*, *sestertium* pro *sestertiorum*: sic *medimnum*, *modium*, *liberum*, *duum*, *senum*, *septenum* 4.

Dativus & Ablativus in *is*.

Excipiuntur *ambo*, & *duo*, pluralia, quæ faciunt *ambobus*, & *duobus*.

1 Vel antiquè *ei*: ut *Captivei* apud Plautũ pro *Captivi*. 2 Nisi hæc malis per syncopen esse ex *divi* & *divis*: ut *audiit* ex *audivit*. 3 Nisi *deum* dici putes, ut Græcis θεῶν. 4 Vide de istiusmodi genitivis longiusculum Ciceronis locum in Oratore: ubi inter alia: *Fabrum, & procum, audeo dicere; non fabrorum, & procorum*. At in neutris hoc rarum est. Ut apud Ennium, *duellum* pro *duellorum*, seu *bellorum*.

Accusativus in *os*: ut *dominos*.

* *Duo* pro *duos*, & *ambo* pro *ambos*, dixit Virgilius 5.

5 Usi & alii utroque.

* Græca in syllabam *eus* exeuntia, etsi Grecis sint quintæ, que tertiæ Latinorum respondet; tamen Latinis fiunt secundæ: sed ita, ut quandoque genitivum à tertia mutuentur: ut apud Ovid. *Tiphoeos* pro *Tiphoei*. Sæpiùsque eandem declinationem sequuntur in accusativo: ut *Persea* pro *Perseum*. At in vocativo semper retinent terminationem Græcam: ut, *Orpheu*, *Theseu*. Etsi Probus putarit, in secunda dici posse, *Penthee*, *Tydee*. Sed desideratur auctoritas.

Paradigma nominum in eus *.

Orpheus, *Orphei*, *Orpheo*, *Orpheum*, vel *Orphea*, *Orpheu*, *Orpheo*.

† Per synæresin dicunt poetæ *Thesei* pro *Thesei*.

† Synæresis est contractio duarum vocalium in unam syllabam.

† In accusativo interdum poetæ producunt *e*: ut *Ilionea*; velut Græcè Ἰλιονῆα.

† Cæterùm etiam in nominativis ab *os*, *us*, vel *on*, retinetur Græca terminatio in obliquis: unde Atticum *Androgeo* pro *Androgei*. Et accusativi in *on*: ut *catalogon*, *diphthongon* [1]. Item vocativus *Panthu* [2]. Et in *e*, à propriis in *ius* [3], ut *Delie*, *Tyrinthie*. Item genitivi plurales in *on*: ut *Cimmerion*.

1 Sic *Delon*, *Menelaon*, &c. Qualia sunt ex tertia simplicium apud Græcos. Ex quarta est *Athon* ab *Athos*: à quo & *Atho* dativus apud Melam, ablativus apud Ciceronem, ac Plinium. Imò & in accusativo *Atho* pro *Athon* dicitur, more Attico. Quandoque etiam nominativus est *Atho*, cujus genitivus *Athonis*: unde *Athonem* apud Tullium. 2 A recto *Panthus*. Nempe Πάνθȣ contractum ex Πάνθοος. 3 Causam paulò antè attulimus.

DE TERTIA DECLINATIONE.

Tertia declinatio est, quæ facit genitivum in *is*. Continet terminationes

omnes,

omnes, præter *um* & *u*.

Genitivus desinit in *is*: ut, *hujus patris*.

* *Græca etiam in* os *desinunt*: *ut* Titan, Titanis, *vel* Titanos: Pallas, Palladis, *vel* Pallados. *Sed Oratores per* is *efferunt*.

REGULÆ.

De formatione genitivi per omnes terminationes hujus declinationis [1].

A.

atis: ut, *poema*, *poematis*.

E.

is: ut, *cubile*, *cubilis*.

O.

onis: ut, *sermo*, *sermonis* [2]: *Màcedo*, *Macèdonis*: *Teuto*, *Teùtonis* [3].

Sed *cardo*, *margo*, *homo*, *nemo*, *ordo*, *Apollo*, *cupido*, *turbo* pro vento, & instrumento ludicro [4]; item feminina in *do*, & *go*, habent genitivos *inis*: ut, *dulcedo*, *dulcedinis*; *imago*, *imaginis*.

Caro facit *carnis* [5]: *Anio*, *Anienis* [6]: *Nerio*, *Nerienis*.

* Græca in ω faciunt *us*: ut *Dido*, *Didonis*, vel *Didus*. Sic per *us* potius efferuntur, *Clio*, *Erato*, *Calypso*,

1 Quę utrùm pueritiæ sint ediscenda ad verbum, an potiùs subinde legenda, ac porrò usu addiscenda, penes pręceptores judiciũ esto. Mihi posterius magis placet 2 Sic *comedo comedonis*: unde apud Lucilium: *Vivite lurcones, comedones, vivite ventres*. Item *unedo*, *unedònis*, Plinio lib. 15. cap. 24. & lib. 16. cap. 21. 3 Sic *Brito*, *Britonis*, penultima ancipiti. Corripit Juvenalis, producit Martialis. *Tendo*, *tendonis*, & *tendinis*, facit. Sed priùs est ἀναλογώτερον. Primus autem Gaza *tendo* effinxit ad instar Græci τένων: quo uti maluit Cornelius Celsus: uti & Cælius Aurelianus lib. 3. c. 6. 4 Nã cùm nomen est gladiatoris proprium: *Turbonis* habet: ut, Sosipatro teste, Plinius ea distinxit lib. de Dubio sermone. Cæsar lib. 2. de Analogia etiam *turbonem* in tempestate jussit dicere. Sed Cicero cum populo maluit, *sævi turbines*. 5 Videlicet ab antiquo nominativo *hæc carnis*. 6 Recto *Anio* utitur Horatius lib. 1. od. 7. Sed prisci dicebant, *Anien*, unde genitivus *Anienis*, 14. Metam. *Anienem*, 7. Æn. ut & genitivus *Nerienis* est à recto *Nerien*.

Manto, *Ino*, *Io*, *Alecto*, *Clotho*, *Callisto*, *Aello*, *Echo*, *Theano*, *Sappho* 7, &c.

7 Sic *Gorgo Gorgus* & *Gorgonis*, penultima brevi: quod Græcè est Γοργὼ Γοργόος οῦς, & όνος. Simileque est Μορμὼ Μορμόος οῦς, & Μορμῶν όνος. Cæteri talium casus in ò desiere. Sed Ciceronis, & Cæsaris ætate, etiam ea quæ Græcè solùm in ò exeunt, inflectebantur more Latino: nempe per *onis*, *oni*, *onem*, &c. Vide Fab. lib. 1. c. 5.

C, D.

Lac, *lactis*: *halex*, *halecis*: *Bogud*, *Bogudis* 1: *David*, *Davidis*, penultima ancipite.

L.

Al, *alis* 2: *el*, *elis*: *il*, *ilis*: *ol*, *olis*: *ul*, *ulis*: ut, *animal*, *animalis*: *Hannibal*, *Hannibalis*: *Daniel*, *Danielis*: *vigil*, *vigilis* 3: *sol*, *solis*: *consul*, *consulis*. Sed *fel* facit *fellis*: *mel*, *mellis*.

N.

An, *anis*: *en*, *enis*: *in*, *inis*: *on*, *onis*: *yn*, *ynis*: ut, *Titan*, *Titanis*: *lien*, *lienis* 4: *delphin*, *delphinis*: *Babylon*, *Babylonis*: *Jason*, *Jasonis* 5: *Phorcyn*, *Phorcynis* 6.

Pan facit *Panos* differentiæ causa.

Sed neutra in *en* habent *inis*: *flumen*, *fluminis*. Sic masculina *pecten*, *pectinis*: *flamen* sacerdos, *flaminis*. Et composita à *cano*: *ut*, *tubicen*, *tubicinis*: *tibicen*, *tibicinis*: *cornicen*, *cornicinis*.

Græca quædam in *on* habent *ontis*: *Phaeton*, *Phaetontis*: *Acheron*, *Acherontis* 7.

1 Ita Livius apud Priscianum lib. 5. & 6.

2 Per *a* longum prætorquàm *sal salis*, & in propriis, ut, *Hannibal*, *Hannibalis*. Quod tamē olim penultimam produxit: ut apud Varronem senario isto: *Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum*.

3 Sic *Tanaquil*, *Tanaquilis*, secundùm Priscianum.

4 *e* longum præterquàm in *hymen*, *hymenis*. 5 *Orion* facit *Orionis*, ac penultimam in obliquis habet ancipitem. 6 Cujus penultima porrigitur Hom. Iliad. ρ. ac Odyss. α & ν. 7. Sic *Ctesiphon*, *Ctesiphontis*: *Xenophon*, *Xenophontis*, &c. At *Ctesiphonis*, *Antiphonis*, *Demiphonis*, apud Terentium sunt à rectis in *o*, *Ctesipho*, *Antipho*, *Demipho*, quæ *onis* faciunt, ut *draco draconis*: etsi Accius, Sosipatro teste, *dracontem* dixerit, quia Græcè est δράκων δράκοντος.

Ar,

Ar, aris: er, eris: ir, iris: or, oris: ur, uris: yr, yris: ut *calcar, calcaris: nectar, nectaris: crater, crateris: aer, aeris* [1] *: Gaddir, Gaddiris* [2] *: color, coloris* [3] *: Hector, Hectoris: fur, furis: guttur, gutturis: martyr, martyris*.

Sed *Lar* [4], viri cognomen, *Lartis* [5] *: far, farris* [6] *: hepar, hepatis*.

Adjectiva in *ber* habent *bris*: ut, *celeber, celebris*. Sic *imber*: & *September, October, November, December*. Item gentile *Insuber*.

Puber [7] & *uber*, sequuntur regulam, ut *aer*.

Adjectiva in *cer* habent *cris*: *acer, acris*.

Pater [8], *mater, frater, uter, venter, accipiter, linter*: item *campester, sylvester*, & similia adjectiva, habent *tris*: *pater, patris: sylvester, sylvestris*. Sed *iter, itineris*, ab antiquo *itiner*: *Jupiter, Jovis* ab antiquo nominativo *Jovis*: *cor, cordis: jecur, jecoris, jecinoris* vel *jocinoris* [9], ab antiquo *jecinus*, vel *jocinus*: *femur, femoris: robur, roboris: ebur, eboris*.

1 Sic *acer, aceris*: ut Priscianus è Solino probat. 2 Ita inflectit Priscianus lib. 6. qui addit ex Charisio, aliquos declinasse *hir, hiris*: quod Probo est indeclinabile. Est verò *hir*, sive *ir*, θέναρ, hoc est, *vola manus*. 3 Sic *ador, adòris: decor, decòris*, penultima longa; ut ostensum Prisciano: indeque *adorea* secunda porrecta apud Maronem, & Horatium. At *adus, adoris, decus, decoris*, penultima brevi. 4 Rectum esse *Lar*, ait Priscianus. Et ita apud Tullium legitur vulgò. Sed apud Livium, atque Ausonium est *Lars*. Unde erit *Lartis*, ut *Mars* facit *Martis, pars, partis*. 5 Ovidium sequimur, cui viri est cognomen. Videtur tamen dignitatis potiùs nomen fuisse apud Hetruscos, iisque significasse πρωτοστάτην, sive *principem*. Vide Scaligerum in Propert. lib. 4. elegia de Jove Feretrio. 6 Ut differat à verbo *faris*: quam rationem adfert Priscianus lib. 5. 7 Nisi *puberis* est à recto *pubis*, ut censuit Cæsar: vel à *pubes*, juxta Probum. Sanè *puber* & *impuber*, quæ Priscianus agnoscit, nusquam, nisi apud grammaticos, reperio. Quare *impubem* quidem, & *impuberem* dicam: at in recto tantùm *impubes* usurpem; idque præeunte Ovidio, cujus est in secundo Fastorum: *Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis*. 8 Sic composita ejus Latina: ut *Marspiter, Diespiter, Semipater*: & antiquis etiam *Iupiter*. At planè Græca sunt secundæ, ut *Antipater, Sosipater*. 9 Aliqui duo priora solùm probant. Nec eos movet, quòd apud Plinium sæpiùs est *jocinoris*, vel *jocineris*, quia id trajectis vocalibus, à librario perperàm esse factum putant. Et sanè id verisimilius videtur.

AS.

Atis: ut, *veritas*, *veritatis*[1]: *anas*, *anatis*: sed *mas*, *maris*: *as*, *assis*: hoc *vas*, *vasis*: hic *vas*, *vadis*.

Masculina Græca habent *antis*: *gigas*, *gigantis*: *Pallas*, *Pallantis*[2].

Feminina Græca habent *adis*: ut, *Pallas*, *Palladis*: *lampas*, *lampadis*. Sic gentile, *Arcas*, *Arcadis*.

1 Similiter *optimas*, *summas*, *infimas*, genitivum faciunt in *atis*. Sed in his nominativus quoque olim in *atis* desinebat: de quo vide Priscianum. 2 Sic & *Acragas*, urbis nomen, sed virilis generis, cujus genitivus *Acragantis*: ut Ἀκράγαντος Thucydidi, Pindaro, & aliis: indeque Lucretio *Acragantinus*, ut Ἀκραγαντῖνος Græcis.

ES.

Es mutatur in *is*: ut, *Achilles*, *Achillis*: *nubes*, *nubis*: *sedes*, *sedis*.

Itis habent, *antistes*, *ales*, *ames*, *cespes*, *comes*, *cocles*, *dives*, *eques*, *fomes*, *gurges*, *hospes*, *limes*, *merges*, *miles*, *palmes*, *poples*, *pedes*, *stipes*, *satelles*, *sospes*, *superstes*, *trames*, *termes*, *tudes*, *veles*.

Etis[1] habent, *abies*, *aries*, *hebes*, *indiges*, *interpres*, *paries*, *perpes*, *præpes*, *seges*, *teges*, *teres*. Item *locuples*[2], & antiquum *mansues*[3], & *quies*, *inquies*[4], *requies*: quod & in quinta *requiei* flectitur.

Græca etiam multa habent *ètis*: ut, *lebes*, *lebètis*: *Cres*, *Crètis*. Sed *Chremes*, *Chremètis*, vel *Chremis*. Sic alia propria: *Dares*, *Darètis*, vel *Daris*: *Eutyches*, *Eutychètis*, vel *Eutychis*: verùm *etis* usitatius est.

Merces, *mercedis*: *hæres*, *hæredis*: *præs*, *prædis*:

1 *Etis* breve. 2 Hujus & sequentiũ, *e* longũ est. 3 Pro *mansuetus*, quomodo usus Varro. 4 Sive sumatur substantivè; ut cùm Plinius ait, *inquies nocturna*; sive adjectivè, ut eidem dicitur, *animus inquies*.

dis: *pes*, *pedis*, cum compositis: item, *obses*, *obsidis*. Sic cætera à *sedeo*: ut, *præses*, *præsidis*.

Æs, *æris*: *Ceres*, *Cereris* 4: *Bes* facit *bessis*.

4 Sic *pubes* adjectivè *puberis*; at substantivè *pubis*. Ab adjectivo est compositum *hic* & *hæc impubes*, & *hoc impube*. Ut *impubes Iulus*: *impube corpus*. Genitivus est *impubis*. Dicitur & *impuberis*: nisi hoc ab *impuber*. Vide quæ ad terminationem *er* notabam.

IS.

Is Latina habent genitivum nominativo similem: ut, *panis*, hujus *panis*.

Eris habent quatuor, *cinis*, *cucumis*, *pulvis*, *vomis* 1: pauca *inis*; *cassis* pro galea, *cuspis*, *lapis*, *capis*, *cenchris*.

Itis habent, *dis*, *ditis*: *lis*, *litis*: *Samnis*, *Samnitis*: *Quiris* 2, *Quiritis*.

Sed *sanguis*, *sanguinis* 3: *pollis* 4, *pollinis*: *glis*, *gliris*: *semis* 5, *semissis*.

Græca quædam sequuntur Latina: ut, *genesis*, hujus *genesis*. Sed & *geneseos*, vel *genesios*.

Quædam 6 habent *idis*: vel Græco more *idos*: *pyxis*, *pyxidis*: *Æneis*, *Æneidos*.

1 Ab antiquis nominativis in *er*. Sed *cucumis* apud scriptores idoneos potiùs facit *hujus cucumis*: unde apud Plinium, tum in dandi, tum in auferendi casu, est *cucumi*; inque accusativo *cucumin*. Plurativum tamen potiùs ab inusitato *cucumer* capit. Neque enim *cucumes* dicitur, sed *cucumeres*: unde *cucumerum* apud eundem Plin. lib. 19. c. 5. 2 Modò *Quiris* in recto inveniatur: quod non arbitror. 3 Extra compositionem: nam *exsanguis* facit *exsanguis*; nempe quia & *sanguis* olim in gen. facit *sanguis*: quomodo Cato declinavit, teste Sosipatro. At *sanguinis* fortasse est ab antiquo *sanguen*: de quo Nonium vide. 4 Nisi rectus est *pollen*, ut aliqui censent. Sed alterum malim. 5 Inusitatus nominativus, qui est apud Varronem in quarto de L. L. Aliis placet in recto etiam *semissis* dici. 6 Paulò antè dictum de Latinis *idis* habentibus in gen. cujusmodi etiam sunt *promuscis*, & *promulsis*. At hìc agitur de Græcis *idis*, & *idos* habentibus: ut sunt, *aspis*, *iaspis*, *Thetis*, *Nereis*, *Tantalis*, &c. in quibus usus attendendus. Nam *Æneidos*, quàm *Æneidis*, malim. At *pyxidos* pro *pyxidis* non dixerim: quia vox vulgo tritissima naturam planè exuit Græcanicam. *Attis*, *Attidis*, vel *Attidos*. Sed *Attinis* est ab *Attin*. Vide quæ dixi lib. 2. de Origine, & Progr. Idololatriæ, cap. 52.

Quædam *inis: Salamis, Salaminis.* Quædam *entis: Simois, Simoentis* 7. *Charis* facit *Charitis.*

7 Simile *Pyrois, Pyroentis.*

* *Quædam tum genitivum habent similem nominativo; tum etiam per* idis *efferuntur: ut* tigris 8, *hujus* tigris, *&* tigridis, *tam pro fluvio, quàm animali.* Tiberis, *hujus* Tiberis, *& olim etiam* Tiberidis: *unde per syncopen* Tibris, *hujus* Tibris, *&* Tibridis. Isis, *hujus* Isis, *&* Isidis. Serapis, *hujus* Serapis, *&* Serapidis.

8 Sic Græcis fera, ἡ τίγρις, τίγριος, vel τίγριδος.

OS.

Os, oris: ut, *flos, floris: os oris* [1], een mond, sed, *os, ossis*, een been: *exos, exossis: nepos, nepotis,* uti & composita. Item *dos, dotis: cos, cotis: sacerdos, sacerdotis: compos, compotis: impos, impotis: bos, bovis: custos, custodis: Tros, Trois: heros, herois: Minos, Minois* [2]. Græca *monoceros, rhinoceros*, similiaque *ótis* habent.

1 Capella ait, *os* contra rationem dici, cùm in genitivo faciat *oris*: atque in *os* exeuntia ἀναλόγως habeāt *oris*. Atqui *oris*, & *floris*, ex eo sunt, quòd veteres *or*, & *flor*, dixerint. Quomodo dicimus *arbor*, & *arbos*, *honor*, & *honos*. Similia sunt, *Fusius, Valesius, Lases*, aliaque quæ postea per *r* extulere: ut Varro docet fusè in 6. de L. L. Charisius tamen lib. 1. & Priscianus in 6. inflectunt *glos, gloris*, si codices non fallunt. Omninò tutiùs obliquis ejus abstinebimus. 2 Maro in Ciri: *Fugiens Minois amores.* Sallustii tamen est in 5. Histor. *Minonis iram, atque opes.* Sed est hoc à *Mino. Minos Minois*, ut *Tros Trois. Mino Minonis*, ut *Plato Platonis.*

US.

Us facit *oris* regulariter: ut, *tempus, temporis* [1]: *melius, melioris:* hoc *pecus, pecoris.*

Per *eris* breve flectuntur, *acus, fœdus, funus, genus, glomus, latus, munus, olus, onus, opus, pondus, rudus, scelus, sidus, vellus, Venus, vetus, viscus, ulcus, vulnus* [2].

1 Sic *decus dècoris*. At *decòris* est à *decor:* uti dictū. A priori *indecòres* ab altero *indecòri* dicimus. 2 Olim similiter *fœneris*, ac *pigneris* dixere: unde remanserunt *fœnero* vel *fœneror*, *pignero*, & *oppignero.*

Quæ-

Quædam *uris*: ut, *Ligus*, *Liguris* [3]: *tellus*, *telluris*. Sic omnia monosyllaba: ut, *pus*, *puris*: *crus*, *cruris*: *jus*, *juris*, &c. præter *sus*, *suis*: *grus*, *gruis*.

Quædam *udis*: ut, *palus*, *paludis*. Sic *incus*, *subscus*: *hæc pecus*, *pecudis* [4].

Multa *utis*: ut, *virtus*, *virtutis*: sic, *salus*, *servitus*, *juventus*, *senectus*. *Intercus* habet *intercutis*.

Composita à πῶς, *odis* formant: *tripus*, *tripodis*.

Nomina propria urbium quædam habent *untis*: *Amathus*, *Amathuntis*: *Opus*, *Opuntis* [5].

Laus, *laudis*: *fraus*, *fraudis* [6].

3 Cùm corripiat penultimam, videtur genitivũ hunc à *Ligur* mutuari. Lucanus lib. 1. *At nunc tonse Ligur*. *Ligus*, etiam in feminino, est apud Salustium 2. Hist. *Corsa*, *Ligus mulier*.

4 At Charisius *pecudes* carere nominativo singulari ait. Quod verius censeo. Nempe obsoletus nominativus fuit *hæc pecudis*. 5 Sic & unum in o, *Hiericho*, *Hierichuntis*. 6 In *eus* exeuntia, quando sunt tertiæ, faciunt *eos*: ut, *Typhoeus*, *Typhoeos*.

YS.

Erinnys, *Erinnyos*: *chelys*, *chelyos* [1], &c. *Chlamys*, *chlamydis*. Hæc omnia Græca sunt.

1 Sic *Thetyos* Martiali de Spectacul. Epigr. 3.

BS, MS, PS.

In *bs*, *ms*, *ps*, assumunt *i* ante *s*: ut, *Trabs*, *trabis*: *hyems*, *hyemis*: *daps*, *dapis*: *stirps*, *stirpis*.

Sed exeuntia in *eps*, vel *ebs*, mutant *e* in *i*: ut, *princeps*, *principis*: *particeps*, *participis*: *cælebs*, *cælibis*. Excipe *seps*, *sepis* [1], & *auceps*, quod facit *aucupis*: & composita à *caput*, quæ formantur in *cipitis*: *anceps*, *ancipitis*. Sic, *biceps*, *triceps*, *præceps*.

Gryps, *gryphis* [2].

1 A recto *sepes*. Ausonius: *Bucolico sepes dixit Maro*: *cur Cicero seps?*

2 Sic *Cinyps*, *Cinyphis*.

LS,

LS, NS, RS.

Nomina in *ls*, *ns*, & *rs*, mutant *s* in *tis*: ut, *puls, pultis*: *mons, montis* [1]: *ars, artis*: *lens*, *lentis*, legumen: *frons*, *frontis*, capitis pars.

Dis habent, *glans*, *juglans*, *lens* vermiculus, *frons* arboris, *libripens*, *nefrens*: & composita à *cor*: ut; *concors*, *discors*.

Tiryns facit *Tirynthis*.

Participia *iens*, & *quiens*, habent *euntis*, cum compositis. Sed *Ambiens*, *ambientis*.

1 Etiam *evantes*, si singularem habet rectum, is fuerit *evans*: ut *bacchans*, *bacchantis*. Maro: *Evantes orgia circum Ducebat Phrygias*. Quasi ab *evare*, quod sit evan acclamare. At dispar ratio est, si *Evantem* sit viri nomen: ut 1. Æn. Nam dicimus, *Evas Evantis*, ut *Calchas Calchantis*.

T.

Caput, *capitis*: *occiput*, *occipitis*: *sinciput*, *sincipitis*.

X.

X mutatur in *cis*: ut, *fax, facis* [2]: *pax, pacis*: *fornax, fornàcis*: *fex*, *fecis*: *vervex*, *vervècis*: *nex, necis*: *resex, rèsecis*: *radix, radicis*: *fornix, fornicis*: *atrox*, *atrocis*: *præcox*, *præcocis* [3]: *Pollux*, *Pollùcis*: *dux, ducis*: *Eryx, Erycis*: *bombyx*, *bombycis*: *Bebryx*, *Bebrycis*, penultima ancipiti: *falx*, *falcis*: *lanx*, *lancis*: *merx*, *mercis*.

2 Sic *Styrax styracis*. Virgil. in Ciri: *Non styrace Idæo*. *Smilax*, *smilacis*. Ovid. 4. Met. *Cum smilace flores*. Addit Priscianus *Pharnax*, *Pharnacis*. Lucan. lib.2. *Nec Pharnacis arma relinquas*. Sed rectus est *Pharnaces*: ut apud Florum lib.4. cap.2. *Rex Pharnaces*. Imò similiter Cic. ad Att. lib.11. cap.21. & 22. 3 Penè ultima brevi, ut origo ostendit. Quæ eadem ac in *præcoquus*, & *præcoctus*.

EXCIPIUNTUR ista:

Gis faciunt, *harpax*, *rex*, *lex*, *grex*, *aquilex*, *Biturix*, *Strix*, *Allobrox*, *mastix* [1], obsoletum *frux*, *conjux* vel *conjunx*, *oryx*, *Styx*, *Phryx*, *Japyx*, *phalanx*, *Syrinx*, *Sphinx*.

Cætera in *ex* habent *icis*: *judex*, *judicis*:

1 Sic *Homeromastix*, & similia. At fœdè errant qui & *mastichis* dicunt. Nam ablativus *mastiche* est à recto *mastiche*, ἡ μαστίχη: unde accusativus *mastichen* est apud Plinium lib.14. cap.20.

simplex, *simplicis*: *opifex*, *opificis*: *vibex*, vel *vibix*, *vibicis* [2].

Variant, *remex*, *rèmigis*: *supellex*, *supellectilis*: *nix*, *nivis*: *nox*, *noctis*: *senex*, *senis* [3]: *onyx*, *ònychis*: *hylax*, *hylactis*: *Astyanax*, *Astyanactis* [4]: & siqua alia Græca.

2 Puto, si genitivus hic esset à *vibex*, corriperetur, ut dicimus *judex*, *judicis*; eòque potiùs sit à *vibix*; ut à *radix* est *radicis*. 3 Olim à *senex* dixère *senecis*: unde *senecio*, & *senectus*, & proprium *Seneca*. 4 Sic similia ab ἄναξ composita: ut *Demonax*, *Callionax*. Item peregrina quædam: ut, *Bibrax*, *Bibractis*: quod Cæsari est Galliæ Belgicæ opidum.

Dativus desinit in *i*: ut, *huic patri*.
Accusativus in *em*: ut, *hunc patrem*.

EXCIPIUNTUR.

I. Quædam *im* faciunt: ut, *tussis*, *sitis*, *vis*, *pelvis*, *buris*, *ravis*, *cucumis* [1], *amussis* [2].

His adduntur propria, *Araris*, *Tiberis*, *Syrtis*, *Charybdis*, *Opis*, *Fabaris* [3], &c.

II. Quæ *em*, & *im* [4] faciunt: ut, *puppis*, *turris*, *securis*, *sementis*, *febris*, *restis*, *navis*, *clavis*, *aqualis*, *strigilis*.

III. Græca; quorum quædam etiam *a* faciunt: ut, *aer*, *aerem*, vel *aerà*: *chlamys*, *chlamydem*, vel *chlamyda* [5]. Quædam *in*, vel *im* [6]: ut, *genesis*, *genesin*, vel *genesim*. Quædam

1 Sed *cucumer* junioribus *cucumerem* facit, juxta regulã. Antiqui *cucumim* maluere. Vide, quę superiùs notavimus de generibus nominum in *is*. 2 Etiam *præsepis*, teste Nonio. 3 Horum exemplo juniores ab *Albis* dicunt *Albim*. 4 Non tamen utrumque est æquè in usu. Nam *navem*, quàm *navim*; *turrim*, quàm *turrem*, usitatius est. 5 *Pan* tantùm *Pana* facit discriminis causa. 6 Accusativus Græcus nominum in *is*, & *ys*, interdum est *in*, vel *im*, non *a*: ut quæ Græcè vocalem ante *os* habent in genitivo; velut *genesis*, *genesios*, *genesin*, vel *genesim*: *Erynnis*, *Erynnios*, *Erynnim*, non *Erynnia*. Interdum est, vel *a* tantùm: vel *a*, & *in* simul. Fit utrumque in iis, quæ consonam habent ante *os* in genitivo. Prioris generis est, *Lais*, *Laidos*, *Laida*, vel *Laidem*, non *Lain*, vel *Laim*. Alterius generis est, *Mæotis*, *Mæotidos*, *Mæotido*, *Mæotidem*: & *Mæotin*, vel *Mæotim*. *Tigris*, ut *tigridis*, & *tigris*; ita *tigridem*, & *tigrin* facit.

7 Vel *ym*, ut *Halym*, ab *Halys*.

dam *yn* 7: ut, *Erinnys*, *Erinnyn*. Græca feminina in *o* etiam per *o* efferuntur: ut, *hanc Calypso*, *Sappho*, *Dido*.

Vocativus similis est Nominativo.

1 Non tamē quævis Græca: sed in *as* terminata, & facientia genitivum in *antis*: ut, *ò Palla*, *ò Calcha*. Item exeuntia in *is*, & *ys*, neque apud Græcos, acentum habentia in ultima: ut *ò Mæri*, *ò Capy*. Vel accentu quidem prædita in ultima; sed *dis* habentia in genitivo: ut, *ò Amarilli*, *ò Tyndari*. Ad hæc apud Græcos diphthongum habentia ante *s*: quomodo à *Simois*, quod Græcè est Σιμόεις, est *ò Simoi*, & à *Melampus*, quod Græcè est Μελάμπους, dicimus *ò Melampu*. 2 *Plerumque* aio: nec enim id perpetuum, ne in iis quidem, quæ proximè diximus. Nam ut Martialis ait, *ò Thai*; ita Terentius *ò Thais*: & similiter idem *ò Mysis*: nempe terminatione Latina. 3 Non à *Pallas*, *Palladis*, cujus vocativus est *ò Pallas*: sed à *Pallas Pallantis*, quod *ò Palla* facit, more poetico; nam poetæ Græci in talibus abjiciunt ν: ut ab Αἴας Αἴαντος ὦ Αἶαν, & poeticè, sed rarò, ὦ Αἶα. Sic *Calcha* à *Calchas Calchantis*. Nisi *ò Calcha*, & *ò Palla*, malis esse à Nominibus primæ, ut *ò Ænea*. Nam *Calchas Calchæ* dixere, sicut *Chremes Chremæ*, unde vocativus *ò Chreme*.

Græca 1 plerumque 2 abjiciunt *s* in vocativo: ut, *Paris*, *ò Pari*: *Pallas*, *ò Palla* 3.

Ablativus desinit in *e*: ut *patre*.

Excipiuntur multa, quæ *i* faciunt, & multa, quæ *e* & *i* simul.

Quadruplicia nomina faciunt ablativum per i.

1 Sic *mille milli*, apud Lucilium, teste Agellio. Unde liquet, non esse aptotum.

I. Neutra in *e*, *al*, & *ar*: ut, *mare*, *ab hoc mari* 1: *animal*, *ab hoc animali*: *calcar*, *ab hoc calcari*: præter *sal*, *far*, *nectar*, *hepar*, & *jubar*.

II. Adjectiva in 2 *is*, & *er*, quorum neutrum in *e* terminatur: ut, *fortis*, *forti*: *acer*, *acri*.

2 Sed si ex adjectivis fiant substantiva, *e* tantùm habent: ut *Martialis*, *ab hoc Martiale*. Sic *Laterensis*, *Laterense*. Neque id in propriis solùm, sed aliis etiam locum habet. Nam adjectivè dixero, *volucri sagitta*, & *homine rudi*. Substantivè autem, *à volucre comestus*, & *rude donare*. Imò poetæ quandoque *e* amant in adjectivè usurpatis: ut apud Maronem, *cognomine terra*: apud Nasonem, *specie cœleste*; & similia.

III. No-

III. Nomina mensium: ut, *September*, *Septembri*: *December*, *Decembri* 3.

IV. Nomina non crescentia in obliquis 4, quæ accusativum per *im* 5, vel *in*, faciunt: ut, *tussis*, *tussim*, *tussi*: *genesis*, *genesin*, *genesi*.

His adde, *strigilis*, *mugil* seu *mugilis*, & *canalis*. Item hæc substantiva, *sodalis*, *rivalis*, *familiaris*, *bipennis*, *triremis*, *quadriremis*, *ædilis*, *annalis*, *natalis*, *popularis* 6.

Araris habet *Arare*, licèt accusativus sit *Ararim*.

3 Possis hæc de mensium nominibus complecti sub regula, quæ proximè antecessit. Sunt enim natura sua adjectiva, sed substantivè usurpantur. 4 Nam si crescant, ferè aliter fit. Ita etsi dicamus *Parim*, *Daphnim*, *Thetim*, *irim*: ablativus nihilominus est *Paride*, *Daphnide*, *Thetide*, *iride*. *Theti* tamen pro *Thetide* dixit Plautus. 5 Sed tantùm *im* in Latinis: in Græcis, vel *in* tantùm, vel quandoque *im*, & *in*. 6 Hæc quoque natura sunt adjectiva: eaque est causa, cur sequantur naturam adjectivorum in *is*; de quibus reg. 2.

Quintuplicia nomina faciunt ablativum per e *&* i *simul.*

1. Adjectiva omnis generis una terminatione: ut, *felix* 1, *felice*, vel *felici*: *vetus*, *vetere*, *vel veteri*: &c.

Præter *pauper* 2, *sospes*, *dives*, *hospes*, *senex*, & à *pes* composita, aliaque, quæ *e* habent.

Memor contrà solùm *memori* 3 facit.

Participia etiam in *ns*, absolutè posita, per *e* potiùs efferuntur: ut, *regnante Romulo*: *amante Vespasiano* 4.

1 Sed si proprium sit, *e* tantùm habet, *Felice*: ut & *Clemens Clemente*. 2 *Vber*, quod apud Lithochomum, & alios, erat, expunxi; quia Curtii est lib. 3. *Vberi*, *&* *pingui solo*. Item Senecæ Herc. Fur. *Et omne quicquid uberi cingit solo*. 3 Quia olim *memoris* dixere. *Plus* etiam usitatiùs *pluri* facit, quàm *plure*. 4 Sic *Deo volente*, *me præsente*, *te lubente*: non *volenti*, *præsenti*, *lubenti*.

Par

Par [4] adjectivum, tantùm *pari* [5] facit: sed composita ejus utramque habent terminationem: ut, *compare*, *compari*: sic *impar*, *dispar*.

II. Comparativa omnia: ut *major*, & *majus*, *majore*, & *majori*.

III. Verbalia in *trix*, adjectivè usurpata: ut, *victrix*, *victrice*, & *victrici*: *ultrix*, *ultrice*, & *ultrici*.

IV. Quæ faciunt accusativum per *em*, & *im*: ut, *puppis*, *puppe*, & *puppi*, &c.

V. Hæc nomina: *ignis*, *amnis*, *anguis*, *unguis*, *avis*, *civis*, *supellex*, *imber*, & *affinis* substantivum.

Nominativus pluralis desinit in *es*, vel *a*, si neutra sunt.

4 Par substantivum pro socio, vel socia, *pare* facit. Ovid. 3. & 4. Fast.

5 Quoniam rectus quõdam fuit *paris*.

OBSERVATIO.

Quædam habent *ia*, videlicet, quæ ablativum faciunt per *i* tantùm, vel *e* & *i* simul: ut, *maria*, *fortia*, *felicia*, &c.

Præter *vetus*, *vetera*: & comparativa, *majus*, *majora*: *melius*, *meliora*. Item composita à *corpus*: ut, *bicorpor*, *tricorpor* [1], quæ habent *a* tantùm.

Plus facit *plura*, & *pluria*: ut & *aplustre*, *aplustra* [2], & *aplustria* [3].

1 Nisi placet *bicorpora*, & *tricorpora*, esse non à *bicorpor*, & *tricorpor*, (priori Tullius in Tusc. altero usus Maro) verùm ab antiquis *bicorporus*, & *tricorporus*: quomodo Lucretius lib. 5. *tripectorus* usurpat pro *tripector*. 2 Ita Priscianus. Sed dicere possumus, *aplustria* esse ab *aplustre*: *aplustra* verò ab *aplustrum*, quo usus est Lucretius in quarto: *Navigia aplustris fractis obnitier undis*. 3 Dicimus & *tria*; ut Græci τρεῖς τρία: à quo & τρὶς adverbium.

Genitivus in *um*; ut *horum patrum*.

Excipiuntur sextuplicia, quæ faciunt *ium*.

I. Quæ ablativum faciunt per *i* tantùm, vel *e* & *i* simul: ut, *animal*, *animalium*: *fortis*, *fortium*: *turris*, *turrium*: *felix*, *felicium*, &c.

Præter comparativa: *major*, *majorum*: *melior*, *meliorum*: *plus* tamen facit *plurium* [1].

Item *vetus*, *veterum*: *inops*, *inopum*: *supplex*, *supplicum*, &c.

His adde, *memor*, *immemor*, *vigil* [2], *uber*, *puber*, *compos*, *impos*, *degener*, *congener*, *celer*, *bicorpor*, *tricorpor*, *strigilis*, & *mugilis*, seu *mugil*: & in *fex* euntia à *facio*; ut, *artifex* [3], *opifex*, *carnifex*.

II. Substantiva monosyllaba, quæ in duas consonantes desinunt: ut, *pars*, *partium*: *urbs*, *urbium*: *trabs*, *trabium*: *mons*, *montium* [4]; non polysyllaba: ut, *hyems*, *hyemum*: *princeps*, *principum* [5]. Sic *cælebs*, *manceps*, *forceps*, *particeps*, *chalybs*, *Arabs*, *consors*, *Cyclops*, *Æthiops*, *municeps*, *gryps*, *sphinx*, *phalanx*.

Parens, *parentum* [6] sæpiùs facit, quàm *parentium*.

III. Nomina in *es*, aut *is*, non crescen-

1 Nempe quia & *i* assumpsit in nominativo *pluria*.

2 Nam *vigilum* facit; etsi *vigili aure* sit apud Statium. Ut *artifex*, *artificum*; licèt *artifici pollice*, apud eundem legas.

3 Fortasse id fit differentiæ causa; ne confundatur cum *artificium*, *opificium*, *carnificium*: quo postremo Plautus utitur, sed adjectivè. 4 Hæc quatuor, quia monosyllaba sunt, etiam ad regulam sextam pertinent. Sed magis propriè hujus est loci, *cohors*, *cohortium*. 5 Forsitan & hìc differentiam spectarunt, ne confundatur cum *principium*. Similiter distinxere *mancupum* & *mancupium*; *participum*, & *participium*; *municipum*, & *municipium*; *senum*, & *senium*. 6 Oratores *parentum* malunt: quomodo & *responsa prudentum* dicimus.

tia in genitivo singulari: ut, *linter*, *lintrium*: *mensis*, *mensium*: *collis*, *collium*: *sedes*, *sedium*, &c. præter *vates*, *vatum*: *panis*, *panum*: *juvenis*, *juvenum*: *canis*, *canum*: *volucris*, *volucrum* substantivè 7. *Apis*, *apum*, facit & *apium*.

IV. *Assis* partes, & hæc nomina: *caro*, *linter*, *venter*, *uter*, *Samnis*, *Quiris*, *fornax*, *palus*: ex quibus postrema quatuor etiam *i* amittunt. Sic polysyllaba in *as*: ut, *civitas*, *civitatium*; sed sæpiùs *civitatum*.

V. Pluralia: ut, *vires*, *virium*: *manes*, *manium*: *sales*, *salium*: *tres*, *trium*. Præter *opes*, *opum*: *proceres*, *procerum*: *lemures*, *lemurum*. Item, *primorum*, *cœlitum*, *celerum*, *Lucerum*.

VI. Hæc monosyllaba: *os*, *ossium*: *vas*, *vadium*. Sic *crux*, *lar*, *dis*, *lis*, *glis*, *as*, *mas* 8, *mus*, *cos*, *dos*, *nix*, *nox*, *fex*, *faux* 9.

Bos facit *boum* 10.

* *Multa autem ex iis, quæ* ium *faciunt, per syncopen etiam efferuntur: ut,* apum *pro* apium: cœlestum *pro* cœlestium. *Sic* locupletum, serpentum, penatum, optimatum. Volucrum equorum *apud Ovid. Præcipuè à nominibus in* ns, *ut* adolescentum, amantum, *&c.*

Et contrà alituum *pro* alitum, cœlituum *pro* cœlitum, *per epenthesin dicitur.*

Epenthesis est adjectio literæ, vel syllabæ, in medio dictionis.

7 Pro ave.

8 *Marium*, & *maribus*, dixere à *mas*. At *mare*, utroque eo casu in plurali carere, censet Sosipater lib. 1. Cæsar tamē lib. 5. à *maria* dixit, *In reliquis maribus*. Nec Curt. lib. 6. aliò attendit, cùm ait: *Mare Caspium dulcius cæteris*, puta, *maribus*.

9 At contrà, *um*, non *ium*, habent *ren*, *splen*, *fur*, *pes*, *mos*, *flos*, *jus*, *thus*, *crus*, *sus*, *grus*, *laus*, *fraus*, *lex*, *rex*, *grex*, inusitatum *prex*, *vox*, *frux*, *dux*. *Jurium* tamen legas apud Plaut. Epid. act. 2. sc. 4. Quædam autem sunt, quæ non arbitrer in genitivo inveniri apud antiquos: ut *fex*, *nex*. In qualibus, quia veterum deficit auctoritas, satius fuerit, si liceat, utraque terminatione abstinere. 10 Sic *sus*, *suum*, apud Plinium crebrò.

Græca etiam per ὸn *efferuntur: ut*, hæreseὸn, metamorphoseὸn.

Dativus desinit in *ibus*.

Excipiuntur neutra in *ma*, quæ duplices dativos habent: ut, *poema*, *poematis*, & *poematibus*: *epigramma*, *epigrammatis*, & *epigrammatibus*. Bos facit *bobus*, vel *bubus*.

* *In Græcis interdum retinetur casus Græcus: ut*, Dryasin, *pro* Dryadibus. Sic Erinnysin, *pro* Erinnydibus 11.

11. Item *Hamadryasin*, *Thyniasin*.

Accusativus desinit in *es*: ut, *hos patres*.

Græca faciunt accusativum, more Græco, per *as*: ut, *crater*, *hos crateras*, pro *crateres*: *rhetor*, *hos rhetoras*, pro *rhetores*.

Aliquando accusativus effertur per antiquam diphthongum *ei* 12: ut, *parteis*, *omneis*: quod fit in nominibus *ium* habentibus in genitivo plurali.

12 Vel per *i* longum, *partis*, *omnis*. Vide Gell. lib. 13. c. 19.

DE QUARTA DECLINATIONE.

QUarta Declinatio est, quæ facit genitivum in *us*. * Continet terminationes duas, *us* & *u*: ut *fructus*, *cornu*.

* *Olim genitivus exibat in* i, *more secundæ: unde apud Terentium legitur*, fructi, ornati, tumulti, &c. *Item in* uis, *unde apud eundem*, anuis *pro* anus.

* Vel in *u*, à rectis in *u*, ut *cornu*. Sed de his nunc nō agimus, quia talia sunt aclita: de quibus postea in defectivis dicetur. Illud potiùs sit hujus loci; multa quæ nunc in *u* exeunt, olim etiam in recto terminationem *us* habuisse: ut *tonitru*, *tonitrus*. Atque inde est, quòd ab ejusmodi etiam genitivus in *us* invenitur: ut apud Lucanum, *Cornus tibi cura sinistri* quasi à recto *cornus*.

Dativus in *ui*.

* *Hìc aliquando fit apocope* : *ut*, parce metu [1], *pro* metui. *Virg. Æneid.* 2.
Apocope est rejectio literæ, vel syllabæ, è fine dictionis [2].

Accusativus in *um* desinit.
Vocativus similis est Nominativo.
Ablativus in *u* desinit.
Nominativus pluralis in *us*; & *a*, si neutra sunt.
Genitivus in *um*.

* *Hic aliquando fit syncope* [3] : *ut* currùm *pro* curruum. *6. Æn.*

Dativus in *ibus*: ut, *fructibus*.
Excipiuntur pauca, quæ *ubus* faciunt: ut, *arcus*, *artus*, *lacus*, *partus*, *portus*, quod & *portibus* habet; *specus*, *tribus*, *veru* [4], *genu*.

* *Quibus addunt multi*, acus, quercus, ficus. *Sed autoritas desideratur*.

Accusativus in *us*, & *a*.
Jesus hoc modo declinatur: *Jesus*, *Jesu*, *Jesu*, *Jesum*, *Jesu*, *Jesu* [5].

1 Nisi malis statuere cõtractionem, quia *u* hìc producitur; quod in *metui* erat breve.

2 Sic Lucret. lib. 3. *Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu*, pro *usui*.

3 Nisi vocalem elidi placeat per synecphonesin: de qua in Prosodia dicetur.

4 Quamquã Plinius per *i* maluerit, *veribus*, *genibus*. Et *genibus* videtur usitatius.

5 Nempe in obliquis, accusativo excepto, est *Iesu*, more Græcorum.

DE QUINTA DECLINATIONE.

Quinta Declinatio est, quæ facit genitivum in *ei*. Continet terminationem unam, *es*: ut, *species*.

Geni-

Genitivus, & dativus, desinunt in *ei*: ut, *hujus*, & *huic speciei*.

* *Antiqui sunt genitivi*: die, fide; *pro* diei, fidei. *Virgil.*
Libra die, somnique pares ubi fecerit horas.
Etiam in dativo eadem Apocope invenitur. Horat.
Prodiderit commissa fide.

Cæteri casus non variant in hac declinatione à paradigmate usitato; sed ferè omnia carent genitivo, dativo, & ablativo plurali; præter *res*, & *dies*.

OBSERVATIO.

De compositorum declinatione.

Composita ex duobus rectis [1] declinantur utrinque: ut, *respublica*, *reipublicæ*, *rempublicam*, &c. *jusjurandum*, *jurisjurandi* [2], *jurijurando*, &c.

Sed *alteruter* in genitivo *alterius utrius* habet, vel *alterutrius*. Deinceps verò potiùs facit *alterutri*, *alterutrum*, &c.

Composita ex recto, & obliquo, declinantur tantùm altera parte: ut, *paterfamilias* [3], *patrisfamilias*, *patrifamilias*, &c. Sic *jurisconsultus*, *tribunusplebis*, *senatusconsultum*, &c.

Atque hactenus de analogis.

1 Adde, & *integris*. Nec enim id habet locum in *Marspiter*, & *Diespiter*.
2 Apud Ciceronē pro Fonteio Nizolius legit *jusjurandi*. Sed in melioribus libris est *jurisjurandi*.
3 Dicitur tamen & *paterfamiliæ*, & *patresfamiliæ*, & *patresfamiliarum*.

DE ANOMALIS GENERE,

quæ Græcis Heterogenea vocantur.

ANomalorum quatuor sunt [1] genera: heterogenea, heteroclita, deficientia, & abundantia.

Heterogenea inflectuntur alio genere in singulari, alio in plurali.

Suntque sextuplicia.

I. In singulari masculina; in plurali neutra: ut, *Tartarus*, *Tartara*: *Avernus*, *Averna* [2].

Sic montium nomina, *Dindymus*, *Ismarus*, *Mænalus*, *Massicus*, *Pangæus*, *Tænarus*, & *Taygetus*.

II. In singulari masculina; in plurali masculina, & neutra: ut, *locus*, *hi loci*, & *hæc loca*: *jocus*, *hi joci*, & *hæc joca*: *eventus*, *hi eventus*, & *hæc eventa*: *sibilus*, *hi sibili* [3], & *hæc sibila*.

III. In singulari feminina; in plurali neutra: *hæc carbasus*, *carbasa*: *Pergamus*, *Pergama* [4]: *supellex*, *supellectilia*.

IV. In singulari neutra; in plurali masculina: ut, *cœlum*, *hi cœli* [5].

V. In singulari neutra; in plurali masculina, & neutra: ut, *frenum*, *hi freni*, & *hæc frena* [6].

Rastrum, *hi rastri*, & *hæc rastra* [7].

1 Anomala opponuntur iis in quibus obtinet analogia. Vox est ab ὁμαλός, *æqualis*.
2 Utroque usus Maro 6. Æn.
3 Hi *sibili* nõdum legi; sed apud Maronem adjectivè est, *ora & colla sibila*.
4 Ita Diomedes, & alii. Sed dispiciendum, an quemadmodum *Pergama*, pro arce Trojana, vel locis editioribus, crebrò legas; sic pro eo *Pergamus* inveniatur. Nam oppidum id est à Troja diversum, Attalicorum regũ sedes, patria Galeni; unde chartis *Pergamenis* nomen: imò fortasse nec pro oppido apud Latinos *Pergamus*, sed tantùm *Pergamum* reperitur. 5 Ab antiquo *cœlus*. At *cœlum*, sculptorum instrumentum, facit *cœla*. 6 Veteres dixere *frenus* & *frenum*. Indeque etiam dicitur *lupatus*, & *lupatum*: quæ natura sunt adjectiva; in illo *frenus*, in hoc *frenum* intelligitur. 7 Sed *rastra*, rarissimè occurrit. Eòque *rastri*, ut multò usitatius est, ita tutiùs quoque usurpabitur. Vocabulum *rastrum* attenditur in *bidens* & *tridens*.

Capistrum, *hi capistri*, & *hæc capistra* [8].

VI. In singulari neutra; in plurali feminina: ut,

Epulum, *epulæ* [9]: *delicium*, *deliciæ* [10].

Balneum, *balneæ*, & *balnea*.

† Hujusmodi nomina videntur priùs duas habuisse terminationes nominativi singularis, quarum altera abierit in desuetudinem.

8 *Capistra* lego apud Maronem. *Capistri* dicam, ubi invenero apud idoneos scriptores.

9 Ab *epula*, quod natura est adjectivum.

10. A recto *delicia*, quo usus Plautus.

DE HETEROCLITIS.

Heteroclita [1] dicuntur, quæ pro diverso numero, diversæ sunt declinationis. Ea sunt duplicia.

I. In singulari secundæ; in plurali tertiæ: ut, *hoc jugerum*, *jugeri*, &c. *hæc jugera*, *jugerum*, *jugeribus*, &c. ab antiquo *juger* [2], unde & *jugeris* [3], & *jugere* [4] invenitur.

II. In singulari tertiæ; in plurali secundæ: ut, *hoc vas*, *vasis*, *vasi*, &c. *hæc vasa*, *vasorum*, *vasis*, &c. ab antiquo nominativo *vasum* [5].

† Heteroclita etiam dicuntur, quæ aliunde casus suos mutuantur: ut, *iter*, *jecur*, *Jupiter*, & alia, de quibus superiùs [6] diximus.

1. Ἑτερόκλιτον ex ἑτέρως, *aliter*, & κλιτὸν, *declinatum*.

2. Vel *jugus*.

3 Mela.

4. Tibul.

5. Plaut.

6. In genitivis tertiæ decl.

DE DEFECTIVIS.

Defectiva sunt triplicia. Alia enim numero, alia declinatione, alia casu deficiunt.

De iis, quæ alterutro numero [1] deficiunt.

Plurali numero carent,

I Nomina propria: ut, *Petrus*, *Colonia*, *Rhenus*.

* *Excipe, si tantùm pluralia sint; ut*, Delphi, Athenæ, Artaxata: *vel si in regionum nominibus ad partes attendatur; ut*, Galliæ, Hispaniæ: *vel si pluribus idem sit nomen; ut*, Complures fuerunt Socrates; octodecim fuerunt Alexandriæ: *vel si similitudo significetur; ut apud Ovidium*: Et multos illic Hectoras esse puta. *Sic*, Non omnes possunt esse Homeri, aut Pindari. *Ad tertium genus referunt vulgò, cùm dicimus*, trecenti Fabii, familia Scipionum, *& similia. Atqui hujusmodi veriùs appellativa sunt: quippe quæ ob communem originem multis conveniant. At verè propria sunt*, Socrates, Plato, Æschines, *&c. Et prænomina Romanorum: ut*, Titus, Lucius, Sextus, *&c.*

II. Plurali etiam carent nomina ætatis: ut, *pueritia*, *juventus*, *senium*.

III. Nomina pleraque [2] metallorum: ut, *aurum*, *argentum*, *plumbum*, *electrum*, *stannum*, &c.

IV. Nomina multa rerum [3] è terra nascentium: ut, *triticum*, *siligo*, *hordeum*, *avena*, *crocus*, *linum*, *fœnum*, *piper*, *zinziber* [4], &c.

V. Nomina quædam [5] liquidorum: ut, *lac*, *oleum*, *mulsum*, *nectar*, *acetum*, *butyrum* [6], *pix* [7], &c.

1 Alia quidem natura, alia usu; ut monet Priscianus.

2 *Æra* usitatum est. Unde Horat. *Quid distent æra lupinis.*

3 Charisius pro eo ait, aridorum, quæ constãt mensura, & numerari nõ possunt. Virgilii tamen sunt, *frumenta*, *hordea*, *farra*. Sed *far* genitivo, & dativo plur. caret. 4 Sic & *ador*, *cannabis*, *cicer*. 5 Non omnia. Sanè *vinum* integrum habet pluralem. 6 Similiter *sevum*, seu *sebum*. 7 Virgilius tamen dixit, *Idæasque pices, & pingues inguine ceras*. Ejusdem est, *defruta*. *Mel* caret gen. & dat. plurali.

* Unus

* Unus *natura sua singulare est: attamen jungitur quoque pluralibus. Terent.* Unis ædibus. *Cic.* Unis copiis. *Idem:* Unis moribus. *Plautus:* Unis sex diebus.

† At singulari carent nomina distributiva: ut, *singuli, bini, terni* 8, &c.

† Præter hæc & alia sunt, quæ alterutro numero, aut saltem certis ejus casibus destituantur, vel rariùs inveniantur.

8 Poetæ tamen distributivis etiã in singulari utuntur. Virgil. *Terno consurgunt ordine remi.* Plautus: *Singulum video vestigium.*

* *Ea continentur rudibus hisce versiculis, quibus puer cautior factus, altero numero abstinebit, usque dum in contrarium classici scriptoris occurrat auctoritas. Imò nec temerè tum alio utetur casu, quàm eo, quo reperit. Nec frequentabit, quæ raro inveniuntur.*

Masculina singularia, aut raro pluralia *.

Aer, sol 1, *mundus* 2, cum *vespere*, *pontus*, & *æther*,
Sanguis, ros 3, *nemo, pudor*, & cum *carcere* 4, *pulvis* 5.
Et *sopor*, & *cestus* 6, *limus, fimus*, & *penus* adde 7.

* Nisi pueritia his versiculis adsuevisset, maluissem hoc pacto: *Sol, mundus, vesper, jubar, aer, pontus, & æther, Sanguis, ros, nemo, pulvis, carcerque pudorque, Cumque sopore, limus, fimus, cestusque, penusque.* *Jubar* addidi, quia non minùs caret plurali in masculino, quàm neutro, quod est usitatius. 1 *Soles* legimus, quia plures aliquando esse videntur. Livius, *Duos soles visos*. *Soles* pro æstu, & pro diebus, in plurali usitatum est. 2 Cicero: *Et ais Democritum dicere, innumerabiles esse mundos*. Imò hac significatione habet pluralem, quoties usus requirit. At *mundus* muliebris tantùm in singulari dicitur. 3 *Rores* legimus apud Virgil. & Horat. *Roribus* apud Columell. & Plinium. 4 Senecæ est, *plenos carceres*. 5 Horatius *pulveres* dixit. 6 *Cestus*, pro ornamento muliebri, scribitur unica vocali, & caret plurali: *Cæstus* pugilum scribitur per diphthongum, & habet pluralem. 7 Adde & *viscus*, cùm masculinum est: & *meridies*, cujus pluralem sic ἀσειφράζει Ovidius: *Eveniant medii sic mihi sæpè dies*.

Feminina singularia, aut raro pluralia.

1 Columella *nova soboles*. 2 Tacitus *fugas, & exilia*. 3 Cicero *gloriæ dispares*. Gellius *gloriarum*, & *glorias* dixit. 4 *Luces* & *lucibus*, pro diebus, legitur apud Ovidium: *Post septem luces Iunius actus erit*. 5 Cato *prosapias* usurpat.

Fama, *salus*, *soboles* [1], *proles*, *fuga* [2], *gloria* [3], *tellus*,
Lux [4], *pituita*, *lues*, *humus*, & *prosapia* [5], *pubes*,
Paupertas, *plebs*, *gaza* [6], *fames*, *contagio* [7], *labes* [8],
Talio [9], *nex*, *cholera*, & *tussis*, cumque *indole*, *culpa* [10],
Et *bilis*, *pestis* [11], *tabes*, *sitis*, àtque *supellex* [12].
Sic bona [13] pars quintæ, ut *sanies*, *requiesque*, *fidesque*.
Quæque aliquod vitium, aut virtutem, nomina [14] signant.

6 *Gaza*, & *gazas*, legas apud Lucanum, Senecam, Justinum. 7. Cic. *contagiones malorum*. 8 Cic. *Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse?* 9 *Taliones*, & *talionum*, est apud Gellium. 10 Cic. *In hoc uno genere omnes inesse culpas*. 11 Columella, *In morbis, & pestibus*. 12 Pro quo & *hoc supellectile* videntur dixisse, unde pluralis *supellectilia*. 13 Non omnia: cùm pluralem habeant *res*, *dies*, *acies*, *facies*, *spes*, *species*: quamquam & ex his nonnulla quibusdam casibus vix inveniantur apud classicos scriptores. 14. Ut *justitia*, *injustitia*, *pietas*, *impietas*: item *sapientia*, *insania*, *castitas*, &c. Parque ratio in *mæstitia*, *invidia*, &c. Ciceronis tamen est *omnes omnium charitates*; & *domesticæ fortitudines*.

Neutra singularia, aut raro pluralia.

1 Lucretius *pelageque sonora*, τὰ πελάγη. 2 At dispar est ratio in *penus*:

Ver, *pelagus* [1], *barathrum*, *viscum*, *nihilumque*, *penumque* [2],
Lethum, *justitium*, *fel*, *cœnum*, *vulgus*, & *ævum* [3],

unde *penora* apud Columellam, & Festum. 3 Ovid. *Nulli datus omnibus ævis*.

Et

Et *jubar*, atque *ſolum* [4], *halec*, *vitrum*, *faſcinum*, & *album*.
Adde *gelu*, atque *ſalum*, *nitrum*que, *lutum*que, *macellum*,
Hilum, *ebur*, & *gluten*, *virus*, *pus*, *faſ*que, *nefaſ*que [5].

4 Cic. *Sola terrarum ultima*.

5 Sic *par*, *ſebum*, alia: quod uſus docebit.

Maſculina pluralia, aut rarò ſingularia.

Liberi [1], & *annales* [2], *natales* [3], atque *penates*,
Cancelli, *cani*, *faſti*, *ſuperi*, *inferi*, & *artus* [4],
Manes, & *lemures* [5], cum *cælitibus* [6], *primores* [7],
Et cum *carceribus* [8], *gemini* [9], *proceres*que [10], *lares*que [11].
Adde *pugillares*, *faſces* [12], *vepres*que [13], *ſales*que [14],
Et *triplices* [15], *caſſes* [16], *anteſque*, *loci*que [17], *fori*que [18].

1 *Liber* eſt apud Fabium in declam. 2 C. *In tuo annali*. 3 Pro genere, naſcendique cõditione. Nam pro die natali uſitatum eſt in ſingulari. 4 Lucanus in 6. *Tunc artus palpitat omnis*. Sed poeticum eſt. 5 *Lemurem* eſt apud Appul. 6 *Cælite* eſt apud Ovid. 7 Cum ſubſtantivè ſumitur. Nam adjectivè dicitur, *primori Marte*, *digito*, *adſpectu*, &c. 8 *Carcere* de repagulis equorum apud Virgilium legitur. 9 *Geminus* eſt apud Plautum. 10 *Procerem*, apud Juvenal. 11 *Lar*, apud Plautum. 12 Pro magiſtratuum inſignibus. Aliàs in ſingulari eſt crebrum. 13 Ovidius *vepre* dixit. 14 Pro falsè dictis. Sed & ea ſignificatione *ſal* dicit Cicero. 15 Pro tabellis: quomodo uſus Martial. 16 Seneca Agam. *Aper caſſe vinctus*. 17 Pro utero. 18 Addi poſſunt *codicilli*; quam vocem verſus non recipit, niſi Luciliano more dicas, *codi*que *cilli*. Addantur etiam, ſi lubet, *ſentes*, & *menſes* pro fluvio; *horti* pro loco ad voluptatem arboribus conſito. *ludi* pro ſpectaculo; *loculi* pro marſupio. Quæ ordine eodem complecti poſſis hoc verſu: Sic *ſentes*, *menſes*, *horti*, *ludi*, *loculi*que. Apud Columellam tamen eſt *ſentis canis*, & apud Varronem *loculus* ea ſignificatione, qua dictum. *Lumbus* in ſingulari legas apud Plin. & Martial. Sed *lumbi* multò eſt uſitatius. Pluralia etiam ſunt *ſpiritus* pro ſuperbia, *fines* pro termino regionis, *furfures* pro vitio capitis, *panni* pro vili veſte. Sed hujuſmodi uſu potiùs diſcenda. Cæterùm multa eorum, quæ hic adducuntur, natura ſunt adjectiva. Nam *capilli* intelligitur in *cani*; *dii* in *ſuperi* & *inferi*; *fratres* in *gemini*; *libri* in *annales*, *pugillares*, *triplices*; *pueri* in *liberi*.

Et propria: ut, *Gabii*, *Locri*, *Veji* *, atque *Philippi*.

Feminina pluralia, vel rarò singularia [1].

Antiæ, & *ambages* [2], *ædes* [3], *argutiæ* [4], & *Alpes* [5].
Blanditiæ [6], *grossi*que [7], *facetiæ* [8], *opes*que, *fores*que [9].
Copiæ [10], & *excubiæ*, *crates* [11], *diræ*que, *genæ*que [12],
Divitiæ, *sordes*que [13], *inimicitiæ* [14], *insidiæ*que,
Exuviæ, *scopæ*que, *manubiæ* [15], *vindiciæ*que,
Feriæ [16], & *exequiæ*, *fauces* [17], *valvæ*que, *minæ*que,
Gerræ, *apinæ*, *tricæ* [18], *bigæ* [19], *trigæ*, atque *quadrigæ*.

* Propriè hæc populorum nomina; impropriè urbis.

1 Utile erit, si sciat puer, versiculos hosce ita esse à me digestos, ut in prima versus litera ordo alphabeticus observetur. Nam ex principe litera initialem versus vocem colliget: ac ea voce, ob numerorum vinculum, memoria vocũ sequentium refricabitur. 2 *Ambage* est Ovid. & Plin. 3 Pro æde privata: quomodo dicimus *binæ ædes*; at aliud est, *duæ ædes*, h.e. templa. Nempe à recto *ædes ædis*. 4 *Argutia*, Apulejus; *argutiola*, usurpat Gellius. 5 *Alpis*, *Alpem*, *Alpe*, est apud Ovid. Juvenal. Lucan. Claudium. 6 *Blanditia* dicunt Cic. Plaut. Propert. 7 Plinii etiam est *grossus*. Eidem sæpiùs est femininum. Sed masculino usi Celsus, & Columella. 8 *Facetia* Gell. & Appull. 9 Terentius *foris* in recto. Ovidius item *forem* in accus. dixit. 10 *Copia* pro exercitu est Tullii, Maronis, Suetonii. 11 Plaut. *Sub cratim*. 12 *Gena* est Suetonii. 13 *Sordis* ait Plautus, *sordem* Cicero, Tacitus, Appul. *sorde* Horat. 14 Cic. *inimicitiæ*, & *inimicitia*; *culpam*, & *inimicitiam*. 15 κτ̀ συνίζησιν *manubiæ* fit trisyllabum, quia tres breves non recipit hexameter. Quod & alibi in hisce versiculis facere necessitas adegit. 16 Hoc est, dies festi: sed de hebdomadæ singulis diebus dicunt scriptores Ecclesiastici, *feria prima*, *secunda*, *tertia*. 17 Ovid. in Ibin, *fauce præstricta*. 18 *Apinæ*, & *tricæ*, pro nugis, sunt pluralia. *Apina*, & *Trica*, pro oppidis, singularia. 19 Ciceronis ævo unus Varro, quod constet, *quadriga* dixit. Sed postea *biga*, *triga*, *quadriga*, non refugerunt Valerius Max. Plinius, Martialis, Statius, Ulpianus.

Hisce

Hisce *plagæ* accedunt pro reti, *virgiliæ*que,
Illecebræ[20], *grates*, *nonæ*, *idus*, atque *calendæ*,
Literæ[21] item, cum *compedibus*[22], *cunæ*que, *falæ*que.
Multaque prætereà: ut, *lactes*[23], *nugæ*, atque *tenebræ*,
Nundinæ[24], & *inferiæ*, *ceremoniæ*[25]; itemque *salebræ*[26].
Oreæ[27], item *decimæ*[28]: sic *nuptiæ*, itemque *stativæ*,
Partes[29], *clitellæ*, *fortunæ*, *induciæ*, & *antæ*[30],
Quisquiliæ[31], *Parcæ*que, *minutiæ*[32], itemque *salinæ*,
Relliquiæ[33], *phaleræ*, *paleæ*[34], *præstigiæ*[35], *habenæ*[36].
Sortes[37], *suppetiæ*que, *vigiliæ*[38], *primitiæ*que,
*Thermæ*que, *scalæ*que[39], *offuciæ*[40], & oppida multa.

20 *Illecebra*, est apud Cic. Liv. Gell.
21 Poetæ *literam* pro epistola dicunt. Vide Vallam lib. 3. cap. 6.
22 Juvenal. *compede magna*.
23 Titinnius, *lactis agninæ*. Sed hoc obsoletum.
24 Dicitur & *Nundina* in singulari, sed tum Deæ est nomen.
25 *Ceremonia* ajunt Cicero, Cæsar, Suet. Tac. Gell.
26 *Salebra* Cic. Valer. Max. Appul. 27 *Orea*, sive *aurea*, frenum. 28 Cic. *Decimam*. 29 Pro factione. Sic *primæ*, & *secundæ*, cùm partes significo. Cic. in Orat. *Primas eloquentia tenuit semper, secundas juris scientia*. 30 Ostiorum latera. 31 *Quisquilia* Nævius antiquè. 32 *Minutia* Sen. 33 *Reliquia pridiana*, Appul. 34 *Palea* est apud Virgil. & Varr. 35 Quintil. lib. 4. cap. 1. *paulum præstigiæ*. 36 *Habena* est apud Virgil. 37 Pro oraculis, sive Deorum responsis. Ovidii tamen est 5. Fast. *Obscuræ sortis ambages*. 38 *Vigiliæ* plurale est pro insomnio, vel custodibus noctu excubantibus: pro noctis parte, vel officio vigilandi, dicit Cicero, *secunda, tertia noctis vigilia*: *manere in vigilia urbis*: *tradere vigiliam suam alteri*. 39 Cajus J. C. *vel scalam sciens accommodaverit ad adscendendum*. 40 *Offucia* est apud Plautum.

Ut *Thebæ* [41], & similes, quarum pars maxima Grajæ [42].

41 Versum hunc Lithocomi reliquimus; qui si displicet, propterea quòd, licèt *oppida* antecesserit, tamen per synthesin non ad *oppida*, sed ad *urbes* respiciendo, dicatur, *similes*: scribere possis hoc pacto: Ut *Thebæ*, *Tralles*, *Cumæ*, *Gades*, & *Athenæ*. Simile autem *Exquiliæ*, mons Romæ. 42 Iis, quæ versiculis hisce comprehensa, etiam addi possunt, *fidiculæ*, quibus noxii torquentur: *operæ*, pro hominibus ad operandum conductis: *parietinæ*, pro pariete semidiruto: *facultates*, pro opibus, pro quo B. Hieronymus ὑποκοριστικῶς etiam dixit *facultatulas*: *secundæ*, pro membrana partum involvente: *tonsillæ*, hoc est, παρίσθμια. *Cervices* etiam olim plurale tantùm fuit: quo primus in singulari usus Hortensius.

Neutra pluralia, vel raró singularia.

Ilia [1], cum *rostris* [2], *bellaria*, *pascua* [3], & *arma*,
Exta, *parentalia*, *sponsalia*, *munia*, *justa*,
Mœnia, cum *flabris*, *vinacea* [4], *compita*, *tesqua*,
Et *præcordia*, cum *genitalibus* [5], atque *verendis*,
Cum *natalitiis*, *nutricia* [6], *lustra* [7] ferarum,
Acta, *cibaria*, & *adversaria*, *lautia*, *scruta*,
Atque *crepundia*; item *cunabula* [8], *præbia* [9], *castra*,
Et *multicia* [10], sic *æstiva*, *hyberna*, *stativa*,
Sic *oblivia* [11]; item *cete* [12], *tempeque*, *meleque*,

1 *Ile* dixit Plinius. 2 Pro loco ubi Romæ concionarentur. Nam avium, naviumque rostrum, singulari numero dicitur. 3 *Pascuum* habet Varro, *pascuo* Columella. 4 Pro Στεμφύλοις, sive folliculis uvæ, expresso vino. At adjectivè *acinum vinaceum* dicimus. 5 Pro genitali membro. Ac par ratio in *verendis*. Plinius tamen, & Celsus, *genitale*. 6 Pro nutricis mercede. 7 Et pro lupanari. At pro temporis spatio singularem habet. 8 Similiter *incunabula*. 9 *Præbia* sunt amuleta, sive remedia ad malum avertendum. 10 Substantivè. Nam adjectivè, puto, non minùs *tunicam multiciam* dixeris, quàm Vopiscus *tunicas multicias*. 11 Tacit. *Oblivio transmisit*, hoc est, oblivione. 12 *Cetus* dicitur, sed genere virili.

Atque

Atque *mapalia* [13], cum *magalibus*: adde locorum
Propria multa; uti sunt *Artaxata*, *Susa*, *Cythera*.
His artes [14], veluti *Dialectica*, *Musica*; necnon
Plurima festa Deûm [15], ceu *Bacchanalia* [16], junge [17].

13 *Sparso mapali*, est apud Valerium Flaccum.
14 Adde & *biblia, bibliorum*.
15 Sic & ludorum, ut *Olympia, Pythia*, &c.

16 Sic *Liberalia*, *Saturnalia*, in quibus intelligitur *sacra*, vel *negotia sacra*. Similiter natura quoque adjectiva sunt alia nonnulla ex memoratis. Nam *convivia* intelligitur in *sponsalia*; *funera* in *parentalia*, & *justa*; *loca*, vel *castra* in *æstiva*, *hyberna*, *stativa*. 17 Sunt & alia, quæ versibus superioribus non continentur; ut *comitia*, pro populi conventu: nam pro loco *comitium* dicitur. Item *coagmenta*, *fraga*, *lamenta*, *licia*, *parapherna*, *subsellia*, *repotia*, *vivaria*. Item hæc adjectiva substantivè accepta; *præbenda*, *rapacia* seu *rapicia*, quomodo vocantur cauliculi raporum; *serta*, *apiaria*, *mellaria*, *specularia*. *Vtensilia* etiam longè est usitatius, quàm *utensile*, quo Varro usus.

DE INDECLINABILIBUS.

Aclita [1], sive indeclinabilia, sunt quæ una voce in omnibus casibus usurpantur: ut, *sinapi*, *pondo*, *nequam* [2], &c.

Item singularis numerus neutrorum in *u*: ut, *cornu*, *veru*, &c.

Et *mille* substantivum in singulari numero [3].

1 Aliis *aptota*, hoc est, casu carentia: non quasi deficiant casibus ratione significationis; nã *nequam* habet sex casus: *fas* tres: sed quia non habent casus ratione vocis: unde *invariabilia* rectiùs dixissent. 2 Similiter nomina literarum, ut *alpha*, *beta*, &c. & quædam, ut vocant, barbara: velut, *Adam*, *Noe*, *Cham*, *Abraham*, *&c.* Item pluralia neutra, *Cherubim*, & *Seraphim*: ubi Latini dicerent *Cherubi*, *Cheruborum*; *Seraphi*, *Seraphorum*. 3 Ut cùm dico, *mille hominum occiditur*. Et, *mille hominum occiso*. Nisi placet *mille* in ablativo facere *milli*. Vide Gellium lib. 1. cap. 16. Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 5.

Et pluralia: *tot*, *totidem*, *quot*, *quotquot*, *aliquot*, *quotcunque*. Talia sunt & numeralia à quatuor usque ad centum: ut, *quatuor*, *quinque*, *sex*, *septem*, *octo*, *novem*, *decem*, *viginti*, *triginta*, *quadraginta*, *quinquaginta*, *sexaginta*, *septuaginta*, *octoginta*, *nonaginta*, *centum*, & *mille* adjectivum [4].

4 *Mille* adjectivum eò differt à *mille* substantivo in plurali, quòd illud adsciscit adverbium; ut, *bis mille homines*: hoc verò adjectivum exigit; ut, *duo millia hominum*. Prius Græcè sit χίλιοι, posterius χίλιας.

Cætera numeralia variantur: ut, *unus*, *una*, *unum*: *duo*, *duæ*, *duo*: *hi* & *hæ tres*, & *hæc tria*. Sic & à centum composita: ut, *ducenti*, *ducentæ*, *ducenta*: *trecenti*, *trecentæ*, *trecenta*, &c.

DE IIS QUÆ CASIBUS DEFICIUNT.

Quædam nomina certis casibus deficiunt; eaque sunt quintuplicia: Monoptota, Diptota, Triptota, Tetraptota, Pentaptota.

Monoptota sunt, quæ unum tantùm casum habent: ut sunt genitivi, *nauci*, *dicis* [1], *hujusmodi*, *ejusmodi* [2]: dativus *ostentui* [3]: accusativus *inficias* [4]: ablativi *im-*

1 *Dicis* pro *dices*, ut Græcè δίκης à recto δίκη. Nam *dicis causa*, valet δίκης ἕνεκα, *moris causa*. 2 Sic & *cujusmodi*, & apud Cæsarem *aliusmodi*. Sed veteres, teste Festo, pro *aliusmodi* dixere *alimodi*: simileque est *cuimodi* pro *cujusmodi*. Sanè apud Cic. sæpiùs in optimis & M S S. & editis, legas *cuicuimodi*, pro *cujuscujusmodi*, sive *cujusmodicunque*. Vide Prisc. lib. 13. & Victorium in lib. 3. epist. Cic. ad Att. 3 Addunt *despicatui*, *divisui*, *indutui*, *frustratui*. Cujusmodi tamen minimum videntur non carere ablativo. 4 *Inficias ire* dixere, ut *exequias ire*, vel *ire suppetias*: in quibus fortasse præpositio *ad* per ellipsin intelligitur. Simileque μονόπτωτον *inferias*. Statuunt & simile esse *incitas*: ut apud Plautum, *ad incitas redactus*. Ubi intelligitur, *calces*. Nam translatio est à ludo calculorum, seu calcium, quas *incitas* dixere, cùm cieri, h. e. moveri, ampliùs non possent. Verùm pro isto *ad incitas*, etiam *ad incita*, neutro genere substantivè posito, dicitur. Ita semel, iterumque, Lucilius loquitur. Addunt etiam vocativos *macte*, & *macti*. Sed Cato *mactus* quoque usurpat.

pete,

pete [5], *ambage*, *ingratiis*. Quibus addere possis, *natu*, *promptu*, *jussu*, *injussu*, similiaque [6].

5 Insolens illud Silii, *rapidi impetis*. Lucretii est in plur. *impetibus*. Suntque ab inusitato *impes*. Sic ab inusitato *faux* est abl. *fauce*. Sed pluralis *fauces* est in usu. 6 Ut, inter alia, *permissu*, *hortatu*, *relatu*, *affatu*, *rogatu*, *arcessitu*: & illa apud Tacit. *accitu*, *dispositu*, *objectu*. Item, *monitu* & *admonitu*. In plurativo tamen Plinius dixit in panegyrico: *Monitus numinum reverere*.

Diptota sunt, quæ duos casus habent: idque vel sub una terminatione, vel diversis. Sub una, ut *necesse*, vel *necessum* [7], in nom. & acc. [8] *Jupiter*, & *exspes*, in nom. & voc. Sub diversis, ut nom. & acc. *dica* [9], *dicam*; *suppetiæ*, *suppetias* [10]: gen. & abl. ut *tabi* [11], *tabo*; *spontis*, *sponte*; *verberis*, *verbere*; *jugeris*, *jugere* [12].

7 *Necesse* videtur esse à *necessis*, *necessum* à *necessus*.

8 Sic & nom. & acc. est *volupe*, h. e. delectabile: *git*, genus seminis: *frit*, quod est summum in spica jam matura: *instar*, quod idem ac similitudo, sive exemplar. Nominativus est, cùm ait Tullius: *Plato mihi unus instar est omnium*. Accusativus verò est in isto Justini: *Vallis clauditur ad instar castrorum*. Si Probum audimus in Catholicis, *Instar instaris* declinatur. Sed deficit auctoritas. 9 Nisi triptoton malis, quia *dica* in ablativo usurpat Ausonius: Et cur, *à dica*, dicere non liceat? In plurali quoque Cicero Verr. 4. ait, *dicas sortiturum*. 10 Nisi *suppetiæ* etiam vocativo donare est visum. 11 Sic dativ. & abl. *obtentui*, & *obtentu*; item *irrisui*, & *irrisu*, quod apud Tac. 12 *Jugere* est ab antiquo *juger*, vel *jugus*. Sed genitivo *jugeris* malim abstinere. Tantùm enim in singulari tertiæ *jugere* invenio. Addunt *repetundarum*, & *repetundis*: quæ adjectiva sunt ἐλλειπτικῶς usurpata. Nam intelligitur *pecuniarum*, & *pecuniis*. Rectus igitur *repetundæ*.

Triptota sunt, quæ tres casus habent: idque vel sub triplici terminatione: ut *hujus sordis* [13], *sordem*, *sorde* [14]; vel duplici: ut nominat. & acc. *tantundem*, genit. *tantidem*: vel una, ut nomin. accus. & vocat.

13 Etsi nec in recto *sordis* dicere dubitet Ambros.

14 Sic *hujus primoris*, *primorem*, *primore*.

fas, *nefas* 15 : & in plurali *grates* 16 : item *cete*, *mele*, *tempe*. Adhæc, *mulsa*, *defruta*, *mella*, *farra*, *hordea*, *tura*, *rura*, *fora*. Quibus addunt, *æra* 17, *ora*, *maria* 18. Item nomina ferè omnia quintæ decl. præter *res*, & *dies*.

15 Sic *specus*: nec enim *specoris*, *ri*, *re*, legitur. Adhæc *subtel*, vola pedis. Item *Cære* oppidum: nec non *pedum*, ex sententia Phocæ. Sed non video, cur *pedo* non liceat dicere, si usus requirat. Adhæc *cacoethes*, *chaos*, *epos*, *melos*, *virus*. Lucretius tamen dixit *viri*, & *viro*. Ac à *chaos* *chao* reperias, à *melos melo*; ut superiùs dictum. 16 Simile videtur *hiemes*: nisi nec *hiemum* reformides. At *hiemibus* durius fit. 17 *Æribus* & *oribus* legas; ut solus videatur genitivus deficere. 18 Hoc eximunt, ne confundatur cum obliquis à *mas*. Vide, quæ notavimus de genitivis pluralibus tertiæ declinationis. Nec à *sensa*, *sensorum* vel *sensis*, dixero.

Tetraptota sunt, quæ quatuor casus habent: ut, *plus*, quod caret dat. & voc. sing. item *Jovis*, *dapis*, *frugis*, *precis* 19, *opis* 20, *proceris*, *vicis* 21. Sed hoc extra accus. & ablat. vix invenitur.

Pentaptota sunt, quæ quinque casus habent; ut quæ tantùm vocativo carent. Talia sunt interrogativa; ut, *qualis*, *quotus*: negativa; ut *nemo*, *nullus*: partitiva pleraque; ut, *quidam*, *ullus*, &c. 22. *Vis* caret dat. sing. *vices* gen. plur. 23.

19 Genitivum *precis* nusquam reperio: ut potiùs triptoton videatur. *Precem* apud solum invenio Plautum: *preci* & *prece*, sunt usitata. 20 Sed pro Dea in recto *Ops* legitur. Aliis *opi* triptoton, quia dat. *opi* haud temerè reperitur. At *opis nostræ*, est Virgilii: *opem ferre*, Ciceronis: *summa ope*, Sallustii. Imò & in plurali eadem significatione ait Maro, *humanis opibus*: Horatius, *imploravit opes hominis*. 21 Dativum *vici* non puto inveniri. At usitata sunt, *nostram vicem*, & *hac vice*. *Genitivus* rarior quidem. Interim Livii sunt, *vicis regiæ*, & *alienæ vicis*. Ut minimum inter triptota reperiat locum. 22 Ut *uter*, *alter*, *neuter*, aliaque. 23 Sicut & *fex*, *Sol*, & *os oris*.

DE

DE IIS, QUÆ ABUNDANT DECLINATIONE.

† Quintuplicia nomina abundant declinatione.

I. Quædam sunt primæ, & tertiæ declinationis [1]: ut, *hic Orestes*, *hujus Orestæ*, & *Orestis*: *hic Orontes*, *hujus Orontæ*, & *Orontis*, &c. Sic *pascha*, *paschæ*, & *paschatis*.

II. Quædam secundæ, & tertiæ: ut, *sequester*, *hujus sequestri*, & *sequestris*: *Oedipus*, *Oedipi*, & *Oedipodis*: *polypus*, *polypi*, & *polypodis*. Sic *glomus*, *glomi*, & *glomeris* [2]. In genitivo etiam plurali *Saturnaliorum*, & *Saturnalium* dicimus; ac similiter in aliis festorum nominibus: ut sunt, *Compitalia*, *Bacchanalia*. Item in aliis: ut, *anciliorum*, & *ancilium* [3], &c. Itidem in dativo plurali, *poematis*, & *poematibus*. Ac similia, de quibus superiùs diximus.

1 Nomina in *as* primæ declinationis simplicium interdum quidem primæ manent: ut *Anchises*, *Anchisæ*: interdum autem tertiæ fiunt: ut *Æschines*, *Æschinis*: (pro quo Terentius, *Æschinus*, *Æschini*) interdum etiam utroque modo efferuntur: ut *Orestes*, *Orestæ*, & *Orestis*. Quid mirum? quando Græcis etiam quædam & primæ sunt, & quintæ: ut Χρέμης, Χρέμου, & Χρέμητος: Δάρης, Δάρου, & Δάρητος. Sic & legitur, Σωκράτεα, & Σωκράτην. Nempe horum exemplo Latini quoque dixere, *Laches*, *Lachæ*, & *Lachetis*. *Thales*, *Thalæ*, & *Thaletis*: *Bootes*, *Bootæ*, & *Bootis*. Unde *Pigri sacra Bootæ*, est apud Juv. sat. 5. At huic *Booti*, ait Cic. 2. de Nat. D. Imò & quædam in *as* sic extulere. Ut *Calchas*, *Calchæ*, & *Calchantis*. Unde apud Plautum: *Novi cum Calcha simul*. Porrò vera patronymica tantùm videntur primæ, tum Græcis, tum Latinis: ut, *Atrides*, *Pelides*, *Æacides*, & similia.

2 Tutiùs interim *glomeris* dixeris, unde *glomerare* apud Plinium, & verbum *glomero*. *Glomi* nō reperio, nisi apud juniores: in his Erasmum, qui ἀγαθῶν ἀγαθίδες vertit *bonorum glomi*. At veriùs hujus sunt loci, *vesper*, *vesperi*, & *vesperis*: *Mulciber*, *Mulciberi*, vel *Mulcibri*, & *Mulciberis*, vel *Mulcibris*. Nomina etiam in *eus* habent *ei*, & *eos*: ut, *Typhoeus*, *Typhoei*, & *eos*. Sic *Tydeus*, *Perseus*, *Proteus*, &c. 3 Sic *sponsaliorum* & *sponsalium*. Sueton. in Aug. cap. 53. *Sponsaliorum dies*. Item *vectigaliorum* & *vectigalium*. Vide Macrobium lib. 1. Sat. cap. 4.

III. Quædam sunt secundæ, & quartæ: ut *ficus* pro arbore, aut fructu [4]. Nam pro morbo tantùm est secundæ. Item *hæc laurus*, *hujus lauri*, & *laurus*, *lauro*, & *lauru*; in plurali *lauros*, & *laurus*. Sic *colus*, *hujus coli*, & *colus*; abl. *colo*, & *colu*. Cæteri casus utriusque [5] nominis sunt secundæ. Similiter *querci* dicimus, & *quercus*; *quercorum*, & *quercuum*: cæteri casus sunt tantùm quartæ. Sic *pinus*, & *cornus*, è quarta habent casus in *u*, & *us* plurali: cæteros formant è secunda. *Domus* quoque utriusque declinationis est. Sed *domo* in dativo rarum [6]: *dome* in vocativo, vel *domu* in ablativo; *domi* item, & *domis* in plurali, non dicitur [7].

4 Noti versiculi: *Hic ficus fici, malus est in corpore morbus: Hæc ficus fici vel ficus, fructus, & arbor.*
5 Posterius tamen in plurativo etiam quartæ. Stat. 3. Thebaid. *Nigræque sororum Iuravere colus.*
6 Usus Cato: sed is sæpè ἀρχαΐζει. Imitatus interim è poetis Horatius.
7 Unde vulgaris versiculus, *Tolle me, mi, mu, mis, si declinare domus vis.* Plautus tamen ἀρχαϊκῶς *domu*, dixit Mil. Glor. act. 2. sc. 1.

IV. Quædam tertiæ, & quartæ: ut *penus*, & *specus* [8]: unde ablativi *penu*, & *specu* [9]. At *hoc penus* [10], *penoris*; unde *penora* apud Columellam. Item *specus*, *specoris*: si modò id extra nominativum, accusativum, & vocativum singularem, invenitur.

8 Ovidius: *Est specus in medio, natura factus, an arte, Ambiguum.*
9 Sic *acus aceris*, & *acus hujus acus*. Nam & pro purgamento tritici dixit Columella, *acus resectæ.*
10 Gellius operis sui cap. ult. seu veriùs, quod pauci attendunt, præfatione: *Quasi quoddam literarum penus.*

V. Quædam tertiæ, & quintæ: ut, *hæc requies*, *hujus requietis*, & *requiei* [11].

11 Sic dixere, *plebes*, *plebis*, & *plebei*; unde *tribunus plebei*, apud Sall. Liv. alios. *Fames* quoque olim non tantùm *famis* fecit, sed & *famei*: unde est quòd ablat. *fame* ultimam habet porrectam.

* Sunt

* Sunt & quæ eadem *declinatione bifariam inflectuntur*: *ut*, Chremes, Chremis, & Chremetis; Laches, Lachis, & Lachetis; pecus, pecudis, & pecoris, &c.

De iis, quæ duplicem in nominativo terminationem habent.

† Abundantibus etiam accensentur, quæ in eadem significatione plures nominativi terminationes habent. Sunt hæ terminationes variæ.

I. *a*, & *es* [1]. *Avaritia*, *æ*; *avarities*, *ei*. Sic *pigritia*, *segnitia*, *luxuria*, *duritia*, *materia*, *maceria*, *sævitia*, *munditia*, *barbaria*, *mollitia*, &c.

II. *a*, & *um*. *Buccina*, *buccinum*. Sic *ganea*, *margarita*, *menda*, *mulctra*, *postica*, *rapa*, *labrusca* [2].

1 Idque plurimùm declinatione diversa: ut, *nequitia*, *nequities*; *scabritia*, *scabrities*, & alia hìc allata. Interdum autem & declinatione eadem. Quomodo dicimus *cometa*, & *cometes*: *propheta*, & *prophetes*. Ac Terentio est *Geta*, qui Ovidio *Getes*. Idem fit in *a*, & *as*; sed genere mutato. Ut hæc *tiara tiaræ*, & hic *tiaras tiaræ*. 2 Sic *tribula*, *amygdala*, *sesama*, *lixivia*, *ostrea*, & alia. Addunt & *serta*, *sertum*: sed hæc natura sua sunt adjectiva: in priori intelligitur *corona*; in altero *coronamentum*; quo usus Plinius.

III. *us*, & *a*, ut, *syngraphus*, *syngrapha*: *araneus*, *arenea* [3].

IV. *us*, & *um* [4]. *Antidotus*, *antidotum*: *baculus*, *baculum*. Sic *clypeus*, *pileus*, *balteus*, *barbitus*, *commentarius*, *cossus*, *tignus*, *crystallus*, *crocus*, *helleborus*, *hyssopus*, *nardus*, *fimus*, *intybus*, *papyrus*, *punctus*, *supparus*, *sinus* [5], lactis vas, *thymus*,

3 Sic *juventus*, *juventa*: *senectus*, *senecta*: *baptismus*, *baptisma*.

4 Vel etiam *er*, & *um*: ut, *alabaster*, *alabastrum*. Cic. 2. ad Att. *Quibus etiam alabaster plenus unguenti putere videtur*. At *alabastra* in plurativo est apud Martial. & alios. 5 *Sinus* priori longa. Sed sinus κόλπος priori brevi, tantùm *us* habet.

thymus, *viscus*, *visci* [6]. *Porrus*, *porrum*: sed in plurali *porri* tantùm. Item in quarta, *angiportus*, *cubitus*, *eventus*, *sensus*.

6 Sic *jugulus*, *palatus*, *effectus*, *acinus*: pro quo & *acina* Catullus dixit, ut Gellius observat lib. 7. c. 20. Addunt *sestertius*, *sestertium*. Sed hæc differunt significatione. Variant & adjectiva per *is*, & *us*: ut, *exanimus*, *exanimis*; *imbecillus*, *imbecillis*; & similia: quæ hujus propriè sunt loci; sed jam exposita nobis, cum ageremus de genere adjectivorum. Etiam propria in *er* pro Græco *os*. capiunt *us*: ut, *Euander*, *Euandrus*; *Menander*, *Menandrus*; *Thymber*, *Thymbrus*.

V. *a*, & *e* [7]. *Oda*, *ode*: *epitoma*, *epitome*: *cepa*, *cepe*: &c.

VI. *es* & *o*. *Colluvies*, *colluvio*: *proluvies*, *proluvio*: *alluvies*, *alluvio*, quod & *alluvium*. Sic *contagies*, *contagio*, *contagium*. Item *adagium*, *adagio*.

7 Idque vel eadem declinatione, vel diversa. Diversa, ut *cepa*, *cepe*. Eadem, ut, *Helena*, *Helene*, Sic *Circa* apud Plautum, *Circe* aliis: *Grammatica*, *Grammaticæ*; & *Grammatice*, *Grammatices*: *Rhetorica*, *Rhetoricæ*; & *Rhetorice*, *Rhetorices*. Sed per *e* malim: vel in plurali, *Grammatica*, *Grammaticorum*; *Rhetorica*, *Rhetoricorum*: atque ita in aliis scientiis.

Sic in aliis: ut, *cassis*, *cassida*: *crater*, *cratera*: *hebdomas*, *hebdomada* [8].

Item *plebs*, *plebes*: *cucumis*, *cucumer*: *tapes*, *tapete*, *tapetum* [9]: *tonitrus*, *tonitru* [10], &c.

8 Quia vulgatissimæ terminationes sunt *a*, & *us*, inde est, quòd multa adeò aliter exeuntia novas formant terminationes. Ac in *æ* quidem veniunt à primaria terminatione in *is*, *er*, *as*: ut in exemplis allatis, quibus similia *buris*, *bura*; *panther*, *panthera*; *æther*, *æthera*; *lampas*, *lampada*, quo Manilium usum Scaliger censet. Etiam dicitur *vesper*, *vespera*: sed utra primaria sit, minùs hìc apertum, quia Græcè etiam est ἕσπερος & ἑσπέρα. Ab *attagen* quoque *attagena* est apud auctorem Philomelæ. Similiter multa in *us* descendunt à rectis in *as*, *ax*, &c. ut, *delphin*, *delphinis*; *elephas*, *elephantus*; *abax*, *abacus*, &c. cujusmodi veniunt ab obliquis Græcorum. Multa etiam verbalia desinunt in *us*, & *io*: ut *concursio*, *concursus*: *abusio*, *abusus*. Sic *reditio*, *consensio*, *potio*, *cantio*, *circuitio*, atque alia. *Postulatio* etiam, & *postulatum*. Adjectiva item aliqua exeunt in *us*, & *ens*: ut *violentus*, & *violens*, quod apud Horatium; *opulentus*, & *opulens*, quo usus Nepos in Chabria, & Ausonius. Adde quoque memoratis classibus exeuntia in *as*, & *udo*: ut, *necessitas*, *necessitudo*: *concinnitas*, *concinnitudo*: *beatitas*, *beatitudo*.

9 Itaque legimus *tapetes*, & *tapetia*: item *tapetis*, & *tapetibus*. 10 Sic propria *Perses*, *Perseus*; *Achilles*, *Achilleus*; *Adonis*, *Adoneus*; *Ligus*, *Ligur*; *Ilios*, *Ilium*; *Arar*, *Araris*; *Quinquatrus*, *Quinquatria*.

* *Etiam in O sæpè retinent terminationem Græcam in* on: *ut*, Simo, Simon: Agamemno, Agamemnon: Palæmo, Palæmon: Amazo, Amazon.

Hactenus *de declinatione recta, quæ fit per casus. Sequitur transversa; quæ vel* motio *est, vel* comparatio. *Motio fit per genera; de qua dictum in Adjectivis. Solùm igitur nunc superest*

DE COMPARATIONE.

Adjectivo [1] accidit comparatio, quæ est variatio adjectivi per gradus [2].

Gradus comparationis sunt tres, positivus, comparativus, & superlativus.

Positivus [3] est prima vox adjectivi, rem absolutè & simpliciter significans: ut, *doctus*, *niger*, *fortis*, &c.

1 Plautus etiam substātiva interdū comparat. Ut à *patruus*, *patruissimus*. Sed tum *patruus* induit naturam adjectivi. Sic à *Pœnus* format *Pœnior*, h. e. magis perfidus. Simileque foret *Neronior*, pro crudelior. 2 Aliis definitur incrementum significationis per gradus: quo pacto duo tantùm fuerint gradus; comparativus, & superlativus. Cæterùm convenit ea definitio comparationi universæ, qua non solùm est nominum adjectivorum, ut hic definitur: sed etiam adverbiorum. 3 Si est absolutus. Definit autem in *R*, *S*, vel X. In *R*, ut, *par*, *acer*, *memor*, *satur*. In *S*, ut, *locuples*, *acris*, *sanctus*, *prudens*, *solers*. In *X*, ut *rapax*, *felix*, *velox*. Præteritis, quæ non comparantur, septem supersunt terminationes: *r*, *es*, *is*, *us*, *ns*, *rs*, *x*.

Comparativus est, qui supra adjectivum primum, seu positivum, significat *magis*: ut, *doctior*, id est, *magis doctus* [4].

Comparativus est regularis, aut irregularis. Regularis est, qui fit a positivi casu in *i*, addita syllaba *or* [5]: ut, *doctus*, *docti*, *doctior*; *fortis*, *forti*, *fortior*.

4 Vel magis docta.

5 Puta in genere masculino, aut feminino: sed addito *us* in neutro: ut, *doctius*, *fortius*.

Irregularis, qui non fit à positivi casu in *i*: ut, *bonus*, *melior*; *magnus*, *major*.

Superlativus est [6], qui supra adjectivum positivum significat *valdè*, aut *maximè*: ut, *doctissimus*, id est, *valdè*, aut *maximè doctus*.

Superlativus est regularis, aut irregularis: Regularis est, qui desinit in *rimus*, à positivo in *r*: ut, *nigerrimus* à *niger*: aut in *ssimus*, à positivo non desinente in *r*: ut *doctissimus* à *doctus*, *fortissimus* à *fortis*.

Irregularis, qui sic non desinit: ut, *maximus* à *magnus*, *minimus* à *parvus*.

6 Superlativus sine genitivo usurpatus exponitur per *valde*; cum genitivo, per *maximè*.

IRREGULARIA.

Comparativa, & Superlativa.

Bonus melior optimus [1], *Malus pejor pessimus*, *Magnus major maximus*, *Parvus minor minimus*.

Multus [2] *plurimus*, *multa plurima*, *multum plus plurimum*. Unde in plurali comparativum mascul. & femin. est *plures*.

Superlativum per *llimus* formant hæc tria; *facilis* [3], *humilis*, *similis*. Unde est *facillimus*, *humillimus*, *simillimus*. Quibus vulgò [4] addunt *agilis* [5], & *gracilis*.

Vetus, *veterior*, *veterrimus*; ab antiquo *veter* [6].

Maledicus [7], *maledicentior*, *maledicentissimus*.

1 Primus penè ultimam per *i* extulit Julius Cæsar: cùm per *u* antea pronunciarent, & scriberēt, *optumus*, *pessumus*, *maxumus*.
2 Comparativo caret singulari in masculino, & feminino. Sed in neutro comparativus *plus* substantivè sumi solet. 3 Cum compositis, *difficilis*, *consimilis*, *dissimilis*, &c. 4 Præeunte Prisciano lib. 3. cap. de superlativo. 5 Apud Sosipatrum verò est *agilissimus*. Uti & *docilissimus*: pro quo Valla ex B. Hieronymo *docillimus* posuit. 6 Veteres *veter* dixisse, Priscianus ostendit. 7 At *veridien* non comparatur.

Bene-

Benevolus, *benevolentior*, *benevolentissimus*.
Magnificus, *magnificentior*, *magnificentissimus*.
Sic cætera à *volo*, & *facio*[8] composita; quæ comparativos, & superlativos capiunt ab antiquis positivis in *ns*. Sed *mirificus* tantùm habet *mirificissimus*.

Maturus facit *maturior*, *maturissimus*, & *maturrimus*.

Huc pertinent, quorum positivi à præpositionibus, & adverbiis, derivantur.

Exterus[9], *exterior*, *extremus*, & *extimus*.
Citer[10], *citerior*, *citimus*.
Superus, *superior*, *supremus*, & *summus*.
Inferus, *inferior*, *infimus*[11].
Posterus, *posterior*, *postremus*[12].

8 Addunt composita à loquor: ut *vaniloquus*, *vaniloquentior*, *vaniloquentissimus*. Sed satiùs sit talibus abstinere, ubi veterum auctoritate destituimur.

9 Vel *exter*, nam utrumque invenitur.

10 Usus Cato; sed penè obsolevit.

11 Et *imus*, quod per syncopen fit ex *infimus*; ut *summus* ex *supremus*.

12 Et *postumus*: ubi *u* remansit ex usu veteri, quo *optumus*, & similia, per *u* extulere; ut anteà dictum.

OBSERVATIO.

Ex adjectivis comparabilibus quædam carent positivo: ut,

Deterior, *deterrimus*.
Ocior, *ocissimus*[1].
Potior, *potissimus*.
Interior, *intimus*.
Ulterior, *ultimus*.
Prior, *primus*.
Propior, *proximus*.

Quædam comparativo: ut,

Invitus, *invitissimus*.

1 Ab ὠκίων, ὤκιστος; unde per *i*, non per *y*, scribuntur, etsi positivus sit ὠκύς.

Novus, *novissimus* [2].
Nuperus, *nuperrimus*.
Sacer, *sacerrimus*.
Sic *diversus*, *falsus*, *fidus*, *persuasus*, *invisus*, *consultus*, *meritus* [3].
Quædam superlativo : ut,
Adolescens, *adolescentior*.
Juvenis, *junior* [4].
Senex, *senior*.
Proximus [5], *proximior*.
Ingens, *ingentior*.
Satur, *saturior*.
Dexter, *dexterior*.
Sinister, *sinisterior* [6].
Sic *taciturnus*, *communis*, *salutaris* [7].
Anterior solus est comparativus ; uti & *licentior* [8].

2 Pro *extremo*.

3 Item *apricus*, *bellus*, *invictus*, *inclytus*, *mutus*, *sacrilegus*, & alia: quorum & aliqua nec in superlativo reperias.

4 Ex *juvenior*.

5 Tum *proximus* induit naturam positivi.

6 Nam *deximus*, & *sinistimus*, videntur pro positivis usurpari. 7 Item *supinus*, *supinior*, quod apud Martialem : *infinitus*, *infinitior*, quo usus Tullius in Topicis ; *dives*, *divitior*, quod apud Tullium, Ovidium, Plautum, &c. Sed à *dis*, & *ditior*, est & *ditissimus*. 8 Usus Cicero in 3. de Orat.

Adjectivum incomparabile est, quod non comparatur ; id est, quod non habet comparativum, aut superlativum: ut, *idoneus* [9], *magnanimus*, *cicur*, *opimus*, *observandus*, *unicus*, *duplex*, *triplex*, *memor*, *mediocris*, *almus*, *mirus*, *degener*, *dispar* [10], &c. Item diminutiva : ut, *majusculus*, &c. [11].

9 Cùm desinat in *eus*, possis jungere illis in *ius*, & *nus* ; de quibus mox

10 Sic *silvester*, *vetulus*, *egenus*, *claudus*, *canus*, *hesternus*, atque alia, quæ usus docebit. 11 Etiam gentilia; ut, *Romanus* : possessiva; ut, *fraternus* : numeralia ; ut, *septimus*.

Et

Et desinentia in *bundus*: ut, *moribundus*, &c. [12].

Huc referunt grammatici adjectiva, quæ vocalem habent ante *us*: ut, *pius*, *dubius*, *strenuus*, *arduus*, *perpetuus*, *assiduus*, *egregius*, &c. Invenitur tamen, *piissimus* [13], *strenuior*, & *strenuissimus*, *arduior*, *assiduior*, *assiduissimus*, & similia, quæ usus docebit.

* *Hæc usum comparativi, & superlativi, ad evitandam κακοφωνίαν, complent addito ad positivum adverbio* magis *&* valde: *ut*, magis idoneus; valde, aut maximè idoneus. *Quæ circumlocutio & in comparabilibus locum habet: ut*, magis doctus; valde, aut maximè doctus.

DE DERIVATIVIS*.

Derivantur nomina à nominibus, verbis, participiis, adverbiis, & præpositionibus.

A nominibus derivantur quintuplicia: Patronymica, Gentilia, Possessiva, Diminutiva, & Denominativa.

De Patronymicis.

Patronymica magis propriè dicuntur, quæ à parente alterutro, aut majoribus, derivata, significant filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, aliosve posteros.

A patre; ut *Anchisiades*, id est, Æneas, Anchisæ filius.

A ma-

12 Imò & simpliciter in *dus* exeuntia; ut *amandus*, *reverendus*, &c. vel exeuntia in *ivus*; ut *deliberativus*: vel *timus*; ut *legitimus*, *maritimus*:

13 Usus Livius, Curtius, Plinius, sed in Antonio damnat Tullius; verbumque id nullum ait esse in lingua Latina. Nempe postea demum receptum videtur.

* Vel potiùs *derivatis*. Derivantur enim, non derivant; ut ait Cæsar Scaliger. de Causis L.L. cap.123.

A matre[1]: ut *Iliades*, id est, Romulus, Iliæ filius,

Ab avo paterno: ut *Æacides*, id est, Achilles, Æaci nepos[2].

Ab avo materno: ut, *Atlantiades*, id est, Mercurius, Atlantis nepos.

1 Patronymica à matre deducta nulla invenias apud Homerum: ut observat Heraclides Ponticus lib. de allegoriis Homericis.

2 At *Pelides* idem à patre Peleo.

* *At patronymicum universè pro posteris usurpatur, cùm* Æneades *dicimus pro* Romanis; *etsi Romæ annis demum* CCCCXXX. *condita perhibeatur post captum Ilium.*

Terminationes patronymicorum sunt quatuor præcipuæ:

des, cujus exempla vidimus.

as, ut *Thestias*, & *Ilias*.

is, ut *Nerèis*, & *Latòis*.

ne, ut *Adrastine*.

id est, Thestii, Iliæ, Nerei, Latonæ, Adrasti, filia, vel neptis.

† Est & quinta terminatio *ion*, sed rarior: ut, *Japetion*[3] ab Japeto: *Oedipodion* ab Oedipode.

Ex his *des*[4], & *ion*, sunt masculinorum; cæteræ femininorum.

3 More Ionum, qui ἰων dicunt pro ἰδης.

4 Patronymica à nominibus primæ mutant *a* in *ades*: ut, *Æneas*, *Æneades*. At in secunda tertiaque formantur à casu in *i*, addendo *des*: ut *Priami*, *Priamides*: *Hectori*, *Hectorides*: *Pelei*, *Peleides*. Ubi *ei* abit in *i* longum. Sin duo *i* concurrunt, posterius mutatur in *ades*. Ut *Mænætii*, *Mænætiades*.

* *Patronymica impropriè derivantur etiam à fratribus, ut* Phaetontias, *id est, soror Phaetontis*: Phoronis, *id est, Isis, Phoronei soror. Item à regibus: ut* Thesides, *id est, Atheniensis, à Theseo*: Romulides, *id est, Romanus, à Romulo, gentis conditore. Interdum & à*

posteris

posteris illustribus; ut, Ægidæ, *id est, majores Æges:* Timodemidæ 5, *id est, majores Timodemi. Nonnunquam verò patronymica idem valent, ac primitiva. Vt* Scipiades, *id est, Scipio; quasi dicas, aliquis è primi Scipionis posteris.*

5 *Pindar.*

De gentilibus, & possessivis.

Gentilia dicuntur, quæ patriam, vel gentem 1 significant: ut, *Romanus, Coloniensis, Spartiata, Israelita.*

1 Vel etiam partes, sectamve.

* *Exeunt ea in* a, *ut* Galata: *in* o, *ut* Macedo: *in* an, *vel* on, *ut* Acarnan, Lacon: *in* ar, ir, *vel* ur, *ut* Car, Trevir, Ligur, *qui &* Ligus: *in* as, *ut* Arpinas: *in* es, *ut* Cres, Magnes: *in* is, *ut* Atheniensis, Samnis: *in* us, *ut* Ægyptius: *in* ta, tes, *vel* tis: *ut* Spartiata, *vel* Spartiates, *&* hæc Spartiatis: *in* bs, ns, ps, rs, *ut* Libs, Laurens, Æthiops, Tiburs: *in* x, *ut* Thrax, Cilix. *Quandoque autem sic distinguunt scriptores inter illa in* ensis, *&* us: *ut* us *dicant de loco originis,* ensis *de loco habitationis, aut venditionis: ut* Romanus 1, *qui Romæ natus, aut civitate donatus:* Romanensis, *qui Romæ degit. Sic Catoni* Romanensis sal, *non qui Romæ factus, sed qui istic venit.*

1 Sic *Græcus*, & *Græciensis: Siculus*, & *Siciliensis:* quomodo & Thucydides distinguit inter Σικελοὺς, & Σικελιώτας. Vide Festum in *Corinthiensis.*

Possessiva sunt, quæ possessionem, aut proprietatem aliquam significant: ut, *regius* à *rex: patrius,* à *pater: fraternus,* à *frater: Euandrius,* ab *Euander.*

* *Exeunt possessiva* ἀναλόγως *in* is, *vel* us. *In* is *trifariam: in* lis, *ut* herilis: *in* ris, *ut* muliebris: *in* ensis, *ut* castrensis. *In* us *quadrifariam: in* eus, *sive correpto* e, *ut* Herculeus; *sive producto, ut* Sophocléus: *in* ius, *ut* patrius: *in* nus, *ut* paternus: *in* vus, *ut* æstivus.

* *Multa*

* *Multa interim, & gentilia, & possessiva, formam habent patronymicorum* 2 : *ut*, Mæonides, *à Mæonia*; Cypris, *à Cypro*; Aonides, *à montibus Aoniæ, sive Bæotiæ*; Aganippides, *à fonte Aganippe. Sic* Ilias, *pro muliere ex urbe Ilio. Item quædam nomina librorum ab argumento desumpta. Vt* Ilias *Homeri, ab Ilio*; Æneas *Virgilii, ab Ænea*; *Statii* Thebais, *&* Achilleis, *à Thebis, & Achille.*

2 Videntur talia patronymicorum forma extulisse, quia patria, vel locus educationis, est instar parentis. Unde & quidam ea patronymicis malunt accensere.

De Diminutivis.

Diminutiva sunt, quæ diminutionem 1 sui primitivi significant: ut *lapillus, libellus, corculum, misellus, parvulus, majusculus.*

1 Diminutio ea fit, vel ut verè quantitas exprimatur, ut *homuncio* de nano: vel modestiæ gratia, ut *opella, ingeniolum*: vel urbanitatis, aut blandimenti causa, ut *fraterculus, corculum*: vel ad majorem contemptū, ut *Græculus.*

* *Diminutiva desinunt interdum quidem in* io, *vel* ter, *vel* eus: *sæpissimè autem in* lus. *In* io, *ut*, homo, homuncio: senex, senecio: pusus, pusio, *&c. In* ter, *ut* surdaster. *Quo & refer imitativa: ut*, philosophaster, parasitaster, Antoniaster. *Terminantur & in* eus; *ut*, equus, equuleus. *Illa in* lus (*sub quibus &* la, *&* lum, *complector*) *innumera penè sunt: quorum alia exeunt in* olus: *ut*, urceolus, filiolus, filiola, negotiolum: *alia in* ulus: *ut*, vetulus, vetula: adolescens, adolescentula: tantulus, a, um: *alia in* ellus, illus, *vel* ullus: *ut*, cultellus, pagella, flagellum: pugillus, mamilla, sigillum, tantillus, a, um: homullus; *uti* & satullus, *à* satur, *apud Varronem*: *alia in* culus: *ut* majusculus, a, um. Sic dicaculus, fasciculus, flosculus, latrunculus, fornacula, matercula, apicula, uxorcula, ratiuncula, geniculum, crusculum, *&c. At* Syriscus *Græca est terminatio à* Syrus.

Formantur alia à recto: ut cor, corculum; codices, codicilli: *quædam ab obliquis*: *ut à* tegete, teges, geticula, *apud Columellam.*

Quæ-

Quædam verò à genere primitivi recedunt: ut, rana, ranunculus: epiſtola, epiſtolium.

Quædam item videntur diminutiva, cùm non ſint: ut, ſcutella, *à* ſcutum; anguilla, *ab* anguis; umbella, *ab* umbra.

De Denominativis.

Denominativa ſunt, quæ à nominibus derivantur, & nec ſunt patronymica, nec gentilia, nec poſſeſſiva, nec diminutiva: ut, *juſtitia*, à *juſtus*: *ſaluber*, à *ſalus*.

* *In vocum originibus, ubi viri etiam doctiſſimi ſæpè ridiculos ſe præbent, multùm refert ſcire* ἀναλογίαν *in vocabulis deducendis. Quò pertinet terminatio, quæ primigenio accedit. Ac in ſubſtantivis quidem hæ denominativorum terminationes ſunt potiſſimæ*: à *purum*; *ut à* cavus cavea, *à* noctu noctua: al, *ut* cervical, animal 1: are *vel* ar, *ut* altare, cochlear, calcar: arium, *ut* pomarium: as, *ut* primas: atus, *ut* reus, reatus: brum, *ut* candelabrum: brium, *ut* manubrium, ludibrium 2: bulum, *ut* conciliabulum *à* concilium, veſtibulum *à* Veſta 3: ca, *ut* lectica *à* lectus, lactuca *à* lac: cia, *ut* fiducia *à* fidus 4: cilium, *ut* domicilium 5: cinium, *ut* lenocinium, tyrocinium: culum, *ut à* taberna, tabernaculum: do *vel* edo, *ut* gravedo, dulcedo: ejus, *ut* legulejus: ela, *ut* clientela: erna, *ut* caverna, *à* cavum: es, *ut* eques, pauperies: etum, *ut* dumetum, myrtetum: go, *ut* carrago 6, ſalſugo, ferrugo: inium, *ut* vaccinium à vacca, muccinium *à* muccus: inum, *ut* ſal, ſalinum: io, *ut* tabellio, pusio:

1 Sed κατ' ἀποκοπὴν ex *cervicale*, *animale*. 2 Niſi non tam à nomine *ludus*, quàm *ludendi* verbo eſſe malis. 3 Quamquã nec diſplicet, ut *conciliabulum* verbale ſit à *concilio*: *veſtibulum* autem à *ve*, & *ſtabulum*. Gell. vide lib. 16. cap. 5. 4 Niſi verbale eſſe malis à *fido*. 5 Vel dicitur, quaſi *domicolium*, quia incolitur. 6 In *ago* ſæpè ſimilitudinem ſignificant: ut *virago*, in plantis *lappago*, *cunilago*, *citrago*: item *farrago*.

puſio : ium, *ut* conjugium, præconium : lcus : *ut* bubulcus, ſubulcus: le, *ut* ovile, equile : lena, *ut* cantilena: lium, *ut* peculium: mentum, *ut* pulmentum *à* puls: monia, *vel* monium, *ut* caſtimonia, matrimonium: na, *vel* num, *ut* piſcina, annona, ſalinum: nar, *ut* lupanar, *à* lupa: o, *ut* aleo, talio, nebulo, capito, naſo: ona, *vel* onus, *ut*, *ab* anno annona, *à* patre patronus: or, *ut* ſenator *à* ſenex: ta, *ut* rubeta *à* rubus, ſenecta *à* ſenex 7: tas, *ut* pietas, auctoritas : tera, *ut à* mater matertera: tia, *ut* juſtitia, pudicitia: ties, *ut* canities: tilio, *ut* veſpertilio: timus, *ut* æditimus: tis, *ut* ſementis: tor, *ut* olitor, funditor: torium, *ut* territorium: tudo, *ut* habitudo, multitudo: tullium, *ut* meditullium: tum, *ut* verutum *à* veru.

Adjectivorum hæ præcipuæ ſunt terminationes: alis, *ut* Mercurialis, Martialis : anus, *ut* Marianus, Tullianus: arius 8, *ut* argentarius : aticus, *ut* aquaticus, ſcenaticus *apud Varronem* : atilis, *ut* fluviatilis, ſaxatilis: ber, *vel* bris, *ut* ſaluber, ſalubris: ceus, *ut* chartaceus: cidus, *ut* roſcidus: cris, *ut* mediocris : cus, *ut* modicus, civicus : dus, *ut* herbidus: enſis, *ut* Cittenſis : erus, *ut* à quercu quercerus; *unde Lucilio* quercera febris: eus, *ut* aureus, vitreus: gineus, *ut* ferrugineus 9: gnus, *ut* benignus, malignus 10: itius, *ut* lateritius, cratitius: ius, *ut* ſororius: ivus, *ut* furtivus: lentus, *ut* vinolentus: licus, *ut* famelicus: lis, *ut* vitalis, fidelis: lus, *ut* nubilus: nus, *ut* vicinus: oſus, *ut* guloſus, piſcoſus: ris, *ut* familiaris: ſter *vel* ſtris, *ut* campeſter *vel* campeſtris, pedeſtris: ſtis, *ut* cœleſtis, agreſtis: tarius, *ut* proletarius: ticus, *ut* ruſticus, balneaticus: timus, *ut* legitimus, finitimus: tinus, *ut* veſpertinus, inteſtinus: tus, *ut* tunicatus,

7 Nempe à *ſenecis* pro *ſenis*; unde & *ſenecio*.

8 Hujuſmodi etiam ab adjectivis veniunt: ut à *primus primarius*, à *plenus plenarius*, à *planus planarius*; unde *Planaria* inſula, à ſpecie, quia plana, ut ait Plinius lib. 3. cap. 6.

9 Hìc interdum fit ſyncope: ut, *aprugineus*, *aprugneus*, *aprugnus*.

10 Niſi per ſyncopen hæc ſunt ex *benigenus*, *maligenus*. Nempe ab antiquo *geno* pro *gigno*.

mole

molestus, honestus, justus, venustus: us, *ut ab* odor, odorus; *ab* annus, annuus.

De Verbalibus.

Verbalia sunt, quæ à verbis [1] derivantur: ut, *lectio* à *lego*, *cursus* à *curro*.

1. Vel participiis, aut supinis.

* *Verbalium terminationes sunt variæ. Ac substantivorum quidem istæ*: a, *ut* scriba, fabrica, patera, suada, fuga: *& imprimis in compositis*, *ut* accola, advena, homicida, officiperda: arius *vel* arium, *ut* admissarius, auctuarium: ber, *ut* faber *à* facio, tuber *à* tumeo: bra, *vel* brum, *ut* scatebra, vertebra, ventilabrum *à* ventilo: bula, *vel* bulum, *ut* fabula, stabulum, latibulum: cer, *vel* cris, *ut* volo, volucer, *vel* volucris: cia, *ut* fiducia: crum, *ut* lavacrum, fulcrum: culum, *ut* spectaculum, amiculum: do, *ut* uredo, libido: go, *ut* origo, vertigo, vorago: ela, *ut* suadela, loquela: es, *vel* ies; *ut* sero series, trameo trames, tego teges: eus, *vel* ius, *ut* abigo abigeus, *à* geno *pro* gigno genius: ia, *ut* furia *à* furo; attegia, *ἡ σκηνὴ*, *ab* attego; lacinia *à* lacino, *quod* *&* lancino, λακῶ: il, *ut* pugil *à* pugno: ile, ut cubile, sedile: ilium, *ut* ab auxi, *vel* αὔξω, auxilium: itus, *vel* itio, *ut* ambitus, ambitio: io, *vel* ium, *ut* legio, lectio, judicium, solatium: is, *ut* messis, mensis: ix, *ut* offendix, appendix: lum, *ut* jaculum: men, *vel* mentum, *ut* specimen, legumen, juramentum, testamentum: mes, *ut* fomes *à* foveo: monia, *ut* querimonia, alimonia: mnus, *ut ab* alo alumnus: nus, na, num, *ut* colonus, facinus, ruina, regnum: or, *ut* amor, quæstor: orium, *ut* diversorium: ta, *vel* tum, *ut* moneta, viretum, oletum: trus, tru, trum, *ut* tonitrus, tonitru, aratrum, claustrum: ver, *ut* cadaver: ul, *ut* consul *à*

consulo, præsul *à* præsilio: ula, *ut* rabio, rabula: um, *ut* efficio, officium, *pro* efficium: ur, *ut* fulgur: us, *ut* mergus *à* mergo, salius *à* salio: ultus, *ut* tumultus *à* tumeo: ura, *ut* positura, mensura: x, *ut* tradux *à* traduco.

Adjectiva verbalia terminantur in ax: *ut* audax, rapax: bilis, *ut* amabilis, flebilis, nobilis: *qualia sæpiùs accipiuntur passivè: interdum & activè; ut* terribilis, *qui terret; Terentio*, vincibilis causa, *quæ facilè vinceret; Boethio*, risibile, *ridere aptum*, Græcis γελαστικόν: bris, *ut* lugubris: bundus, *ut* ludibundus, palabundus: cer, cris, crus; *ut* volucer, volucris, ludicer, *vel* ludicrus: culus, *ut* ridiculus: cundus, *ut* iracundus, *ab* iratum: *à* veritum verecundus, jucundus *à* juvo: cus, *ut* caducus, amicus: dis, *vel* dus, *ut* viridis, pallidus: er, *ut* piger *à* piget: es, *ut* desideo, deses; resideo, reses: ilis, *ut* coctilis, docilis, facilis; *quæ terminatio plurimùm sumitur passivè, raró activè, quomodo* sessiles lactucæ, *quæ sedent*: itius, *ut* adscriptitius, suppositititius: eus, ius, *vel* uus; *ut* rubeus, saucius, anxius, fatuus, irriguus, pascuus, cæduus: lus, *ut* pendulus, credulus: nus, *ut* egenus *ab* egeo, plenus *à* pleo: rus, *ut* avarus *ab* aveo: us, *ut à* probo, probus: *de* ius, *&* uus, *jam vidimus*: ulcus, *ut* hiulcus *ab* hio: ivus, *ut* sativus, cadivus, vacivus, succisivus: x, *ut* tenax, ferax, præcox *à* præcoquo.

Quædam autem verbalia syncopen, vel apocopen, vel simile quid, patiuntur: ut imago *ex* imitago *ab* imitor: consul *pro* consulis *à* consulendo: utilis *ex* utilibus *ab* utor, *&c.*

Quædam & cum verbo conveniunt: ut formido, verbero, erro: *vel solum* r *abjiciunt, ut* lucro, prædo, epulo.

De

De participialibus, adverbialibus, & a præpositione ortis.

Participialia ſunt, quæ ex participiis in nomina degenerarunt: ut, *ſapiens*, *doctus*, pro ſapientia, aut doctrina prædito.

Adverbialia ſunt, quæ ab adverbiis derivantur: ut, *hodiernus* ab *hodie*, *craſtinus* à *cras*.

Sunt & è præpoſitionibus orta: ut, *contrarius* à *contra*, *propinquus* à *prope* 1.

1 Sic *anticus*, *poſticus*, *extraneus*, vel *extrarius*, &c.

DE NUMERALIBUS *.

* De quibus in Nomine agimus, ex vulgari opinione. Sed verius ſunt pronomina.

* *Numeralia ſunt multiplicia.*

I *Principalia, ſeu abſoluta, quæ vulgò* cardinalia *dicuntur. De his interrogatio fit per* quot? *ejuſmodi ſunt*: unus, duo, tres, *&c.*

II. *Ordinalia*: *ut*, quotus? primus, ſecundus, tertius, *&c. unde* primanus, ſecundanus, tertianus, *&c.*

III. *Diſtributiva* 1: *ut* quoteni 2? ſinguli, bini, terni 3 *&c.*

Multiplicativa: *ut* quotuplex? ſimplex, duplex, triplex, quadruplex, decuplex, centuplex, *&c.* 4.

1 In his uſitata eſt ſyncope: ut, *duceni*, *duceni*; *trecenteni*, *treceni*; *quadringenteni*, *quadringeni*; *quingenteni*, *quingeni*. 2 Uſus Cicero ad Att. lib. 12. epiſt. 32. *In ripa neſcio quotenorum jugerum*. 3 Ergo differunt, *Dedit duobus duos nummos*: &, *Dedit binos nummos*. Qui dedit duos, unum ſingulis dedit. Qui binos dedit, ſingulis dedit duos. Sic aliud, *Octo ibant*, aliud *Octoni*. Octo ſint, licèt alius poſt alium eat. Sed octoni, fit turmatim, ut in acie fit. Nec tamen id diſcrimen obſervant poetæ. Nam Virgilii eſt: *Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra*: hoc eſt duodecim. Oratores verò idem facere coguntur in iis, quæ ſingulari carent. Ut, *binis literis*, pro duabus epiſtolis. Sic, *terni liberi*. 4 Multiplicativis etiam utuntur poetæ pro cardinalibus. Virgil. *Duplices tendens ad ſidera palmas*, id eſt, duas. Porrò ad multiplicativa etiam refer, *bipartitus*, *tripartitus*, & ſimilia.

Proportionalia: *ut*, quotuplum? simplum, duplum, triplum, quadruplum, *&c.*

Temporalia: *ut*, bimus, trimus, quadrimus, *&c.* *item* biennis, triennis, *&c.*

Ponderalia 5: *ut*, binarius, ternarius, *&c.*

5 Ut, *lapis centenarius*, hoc est centum pondo. Sed hæc in *arius* etiam tempus significant; ut, *homo quinquagenarius*: vel numerum absolutum, sive cardinalem: ut, *binarius numerus*, pro duobus; *grex centenarius*, hoc est, centum pecudum.

DE PRONOMINIBUS.

PRonomen est dictio variabilis, quæ pro nomine posita idem penè significat: *Ego* [1], *tu*, *sui*, *ille*, *ipse*, *iste*, *hic*, *is*, *quis*, *qui*: *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, *nostras*, *vestras*, *cujus*, & *cujas*.

Ex his *ego*, *tu*, *sui*, & *quid* [2], sunt substantiva: cætera adjectiva.

Ex iisdem Finita dicuntur, quæ definiunt certam personam: ut, *Ego*, *tu*, *sui*, *ille*, &c.

Infinita, quæ non definiunt certam personam: ut sunt tria, *Quis*, *cujus*, & *cujas*: quæ plerique inter nomina referunt.

Significatio pronominum est quintuplex.

1. Demonstrativa dicuntur, quæ demonstrant personam, vel rem præsentem:

1 Novendecim tantummodò pronomina referimus; quia de cæteris, an non potiùs sint nomina, controversia est.

2 Cum compositis: ut dictum in doctrina adjectivorum.

tem: ut sunt, *Ego*, *tu*, *hic* [3], *ipse* [4], *iste*, & *ille* [5].

II. Relativa, quæ referuntur ad vocem antecedentem [6]: ut, *Is*, *sui*, & *qui*. Imò & *Ille*, *ipse*, *iste*, *idem*, & interdum *hic* [7].

Ex his *sui* etiam vocatur reciprocum [8], eò quòd redit ad eandem personam, quæ præcessit: ut, *Pater rogat, ut venias ad se*: id est, *ad patrem*. Eadem vis est in *suus*, quod inde derivatur.

III. Interrogativa dicuntur, quibus interrogamus: ut, *Quis* [9], *cujus*, & *cujas*.

IV. Possessiva, quæ possessionem [10] significant: ut, *Meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, & *vester*: item *cujus* [11] adjectivum.

V. Gentilia, quæ gentem, vel patriam, significant: ut, *Nostras*, *vestras*, *cujas* [12].

3 *Hic* ad primam personam solet referri, *iste* ad secundam, *ille* ad tertiam. Qua de re Valla lib. 2. cap. 4. *Ille* item ad laudem: *iste* sæpiùs ad contemptũ pertinet. Ut, *Magnus ille Alexander*; *Verres iste*. *Hic* etiam ad propinquius refertur: *ille* ad remotius. Quod tamẽ perpetuum non est. Nam Livii est: *Melior est certa pax quàm sperata victoria: hæc in tua, illa in Deorum manu*. Ubi *hæc* pacem, *illa* victoriam respicit. 4 *Ille*, & *ipse*, etiam junguntur primæ personæ. Ut, *ille ego*, *tu ille*, *tu ipse*. 5 Quandoque & *is* demonstrat. 6 Sive quæ rem, aut personam priùs dictam, in memoriam reducunt. 7 *Ego*, & *tu*, solùm sunt demonstrativa: *qui*, tantùm relativum: sed *ille*, *ipse*, *iste*, *hic*, *is*, nunc sunt demonstrativa, nunc relativa. 8 *Reciprocum* dicitur, quia reflectit eò, unde itum est: ut reciprocatio sit retrogada repetitio. Nam *procare* antiquè est *petere*. Syllaba *ci* inseritur, ut in *concipilo*. Nisi placet *reciproco* esse à *recipio*, quia recipit se ad id quod præcessit. 9 Cum compositis, *ecquis*, *numquis*. Interdum etiam *qui* rogat. Plautus Amphitr. 1. 1. *Qui me alter est audacior homo, aut confidentior?* 10 Possessionem notant primaria significatione: cæteroquin & significant familiam, sectam, vel simile. Vide Vallam lib. 2. cap. 3. 11 Ut, *cujum pecus?* 12 Nam hoc & ad interrogativa, & ad gentilia pertinet.

DE SPECIE [1].

Pronomina primitiva sunt decem: *Ego*, *tu*, *sui*, *ille*, *ipse*, *iste*, *hic*, *is*, *quis*, *qui*.

Derivativa sunt novem: *Meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, *nostras*, *vestras*, *cujus*, & *cujas*. Hæc derivantur à genitivis primitivorum, *Ego*, *tu*, *sui*, & *quis*: ut *Meus*, à *mei*; *noster*, & *nostras*, à *nostri*; *tuus* à *tui*; *vester*, & *vestras*, à *vestri*; *suus* à *sui*; *cujus*, *a*, *um*, & *cujas*, à *cujus*.

1 Existimet aliquis, doctrinam de specie, & figura, postremo debuisse loco tradi; uti factum in nomine, & postea fiet in verbo. Sed dispar hic ratio est; quia certus est pronominum numerus, qui initio erat attendendus: is autem optimè proponitur distinctione secundùm speciem facta.

DE COMPOSITIS.

† I. Quædam componuntur ex nomine, & pronomine: ut, *Aliquis*, *unusquisque*: item genitivi, *Hujusmodi*, *hujuscemodi*, *ejusmodi*, *cujusmodi* [1].

† II. Quædam ex duobus pronominibus: ut, *Quisquis* [2]: item, *isthic*, ab *iste*, & *hic*: *illic*, ab *ille*, & *hic*.

† III. Quædam ex pronomine, & verbo: ut, *Quivis*, ex *qui*, & *vis*: *quilibet* [3], ex *qui*, & *libet*.

† IV. Quædam ex pronomine, & adverbio:

1 Tales genitivi etiam sunt, *illiusmodi*, *istiusmodi*. Par ratio ablativi *reapse*, apud Cic. in Læl. pro *reipsa*. 2 Sed hoc secum componitur, ut vix dici possit duobus pronominibus conflatum, cùm utrobique sit idem pronomen. Nisi dicere visum, ex duobus esse pronominibus, at non diversis. Sic adverbium *idemtidem* est ex *item*, & *item*: q.d. *subinde*, *frequenter*. Ubi *t* in *d* transiit. 3 Quasi dicas, quem velis, sive quemcunque libeat designare.

verbio : ut, *Nequis*, *numquis*, *quisquam* : *eccum* [4], ab *ecce eum* : *ellum*, ab *ecce illum*.

† v. Quædam ex pronomine, & præpositione : ut, *Mecum* [5], *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum* [6].

† vi. Quædam ex pronomine, & conjunctione completiva : ut, *quisnam*, *quisque*, *siquis* [7].

† vii. Quædam ex pronomine, & syllabica adjectione : quales præcipuæ sunt quinque, *met*, *te*, *ce*, *pte*, & *cine*.

† *Met* componitur cum *ego*, *tu*, *sui* [8], per omnes casus [9] : ut, *Egomet*, *meimet*, *mihimet*, &c. *tutemet* [10], *tuimet*, *tibimet*, &c. *suimet*, *sibimet*, &c.

† *Te* [11] componitur tantùm cum *tu*, & *te* : ut, *tute*, *tete*.

† *Ce* [12] componitur cum pronomine *hic* : ut, *hicce*, *hujusce*, *huncce*, *hosce*. Et cum genitivo *ejus* : ut, *ejusce* [13].

* *Pte* componitur cum ablativis *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra* : ut, *Meapte*, *tuapte*, *suapte*, *nostrapte*, *vestrapte*. Et interdum cum *meo*, *tuo*, *suo*, &c. ut, *meopte*, *tuopte*, *suopte*, &c.

4 Sic *eccam*, *ellam*. Nec præter accusativos hosce alii casus inveniuntur.

5 Quæ ab aliis referuntur inter adverbia : sed manifesto errore.

6 Sic *quicum*, & *quibuscum*.

7 *Quisnam* est à *nam*, conjunctione completiva. Porro ut *quisnam*, dixere. Atque ut *quisque*, ita & *ecquis* : ut quod dicatur pro *&* *quis*. Nisi placeat, esse ex *en quis*, vel *ec* esse ex ἤκεν. Ut Odyss. δ. Ἀνδρῶν δ' ἤκεν τίς μοι ἐρίσσεται; ἠὲ καὶ οὐκί; Par ratio principis syllabæ, in *eccubi* & *ecquando*. 8 Interdum & componitur cum *suus*. Livius lib. 9. *A suismet ipsis præsidiis*. 9 Excipiunt aliqui genitivum pluralem ab *ego* : qui esset *nostrimet*, vel *nostrummet*. 10 *Tumet* non est in usu. 11 *Te* est à Græcis : quibus itidem syllabicæ adjectiones sunt τὲ, & κέ. Ac *te* etiam habes in *iste* ab *is*. 12 *Ce* esse à κὲ, jam diximus : Nempe ut ab ὅς est ὅσκε, sic ab *hic* est *hicce*, ab *ejus*, *ejusce*. 13 Item à *cujus* est *cujusce*, & *cujuscemodi*.

† *Cine* componitur cum pronominibus in *c* desinentibus: ut, *hiccine*, *illiccine*[14].

† His adde *dem*: ex quo, & *is*, fit *idem*[15].

† Item, *piam*, *dam*, & *cunque*[16]: unde, *quispiam*, *quidam*, & *quicunque*.

† *Quis* interdum in compositione præcedit: ut, *quisnam*[17], *quispiam*[18]: interdum sequitur, ut, *ecquis*[19]. Est & cùm utrobique invenitur: ut, *quisquis*.

† *Qui* in his quatuor componitur, *quilibet*, *quicunque*, *quivis*, *quidam*.

Pronomini accidunt *genus*, *casus*, & *declinatio*.

14 Ab antiquo *illic*, pro *ille*: ut apud Ter. *Vbi illic est?* itē, *Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est*.
15 *Nam idē* masc. dicitur pro *isdem*: *idem* neutrū pro *iddem*. Ac componitur *dem* similiter cum *tantum*, & *tanti*: ut *tantundem*, *tantidem*. Uti & in *pridem* cum antiquo *pri* pro *præ*: unde *prius*, *primum*, *priscus*, *pristinus*, *privignus*, &c. *Hisdem*, pro *his*, vel *iisdem*, legas in MSSis: & agnoscit Charisius lib. 1. 16 Addunt aliqui, *tim*: ut, *meatim*. 17 Sic & *quisque*. 18 Unde fit compositi hujus posterior pars, sciri negat Festus in *Quispiā*. 19 Similiter *aliquis*, *siquis*, *nequis*, *numquis*.

DISCRIMEN GENERIS.

Omnia pronomina sunt generis omnis.

Alia una terminatione: ut *ego*, *tu*, *sui*, *nostras*[1], *vestras*, & *cujas*.

Alia tribus: ut, *ille*, *illa*, *illud*; *ipse*, *ipsa*, *ipsum*[2]; & cætera omnia.

1 Scio multos putare, in neutro dici *nostrate*, *vestrate*. Sed omninò sequuntur hæc ἀναλογίαν adjectivorum: dicit autem Cic. *iter Arpinas*. Livius, *bellum Privernas*. Nempe istiusmodi priùs sunt prolata per communia in *atis*, & neutra in *ate*. Sed postquam illa in *atis*, contracta sunt in *as*, facta sunt omnis generis. 2 Nimirum quia veteres dixere *ipsus*. Sic *quis*, vel *qui*, *quæ*, *quod*, vel *quid*. *Qua* in fem. perperam addunt, cùm id in compositis tantùm inveniatur: ut, *ecquæ*, vel *ecqua*. Olim verò *quis* erat generis communis: ut apud Plautum Aulul. *Quis ea est, quam vis ducere uxorem?* unde remansit ablativus *quicum*, pro *cum qua*.

DISCRI-

DISCRIMEN CASUS.

Casus pronominum sunt sex, & nominum.

OBSERVATIO.

Sed *ego* caret vocativo: quo casu & cætera rariùs usurpantur; præter *tu*, *meus*, *noster*, & *nostras*. Ex quibus *meus* in vocativo facit *mi*, more nominum propriorum in *ius*.

* Sui *verò non tantùm vocativo, sed etiam nominativo utriusque numeri caret.*

DISCRIMEN DECLINATIONIS.

Declinatio pronominum est triplex.

I. Quædam planè sequuntur declinationem nominum: ut, *Meus* [1], *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, & *cujus*, *cuja*, *cujum*, secundæ, & primæ: *Nostras*, *vestras*, & *cujas*, tertiæ.

II. Quædam nulla ex parte sequuntur declinationem nominum: ut, *Ego*, *tu*, *sui*.

III. Quædam habent declinationem mixtam: ut, *ille*, *ipse*, *iste*, *hic*, *is* [2], *quis*, *qui* [3].

† Composita, in quibus *quis* sequitur: ut, *Aliquis*, *ecquis*, *nequis*, *numquis*, *siquis*, pro *æ* habent *a*, in nominativo feminino numeri singularis, & in neutris pluralibus: ut, *Aliqua*, *nequa*, &c. Dicitur tamen & in singulari, *Ecquæ*, *siquæ*, pro *ecqua*, *siqua*.

† *Idem* ab altera parte declinatur, ut no-

1 Quod olim erat *mius*, unde remansit vocativus *mi* pro *mie*: ut à *filius* est *fili*, pro *filie*.

2 Pluralis est *ii*, vel *ei*. Nam & posterius hoc in manuscriptis Ciceronis codd. crebrò legas: ut Lambinus, & alii, monuere.

3 Septem ista faciunt genitivum in *ius*, & dativum in *i*, in omni genere. Sed antiquè pro *cui* dixere *quoi*. Catull. *Quoi dono lepidum novum libellum?* Sic *quoipiam*, pro *quipiam*.

mina ex recto, & obliquo composita: ut, *Idem, eadem, idem; ejusdem, eidem*, &c.

† *Quisquis*, cujus neutrum est *quicquid*, declinatur ex utraque parte. Unde dicitur, *Quemquem, quoquo, quiqui, quibusquibus*. Sed alii tamen casus aliis sunt usitatiores 4.

4 Legimus, *illic homo, illæc mulier*; ac in recto, & accusativo, *illuc negotium*, inque auferendi casu, *illoc, illac, illoc*. Sed *istic*, sive *istuc*, præter eas terminationes, etiam *istunc*, & *istanc* facit. Genitivis verò & dativis, caret. Quibus & casibus destituitur *hoccine, hæccine, hoccine*. Sed accusativũ habet in omni genere, *hunccine, hanccine, hoccine*. Ab *hicce* etiam *horunc*, pro *horunce*; ut in feminino *harunce*, apud Plautum legas. Similiter adjectivum *cujus, a, um*, (modo & *cujus* in masculino adjectivè dicatur) destituuntur genitivo, & dativo.

DE VERBO.

VErbum 1 est dictio variabilis, quæ agere, pati, vel esse 2, significat.

Verbum 3 est personale, aut impersonale.

Personale, quod conjugatur per tres personas: ut, *Amo, doceo*, &c.

Impersonale, quod tantùm conjugatur in tertia persona singulari: ut, *Oportet, statur*, &c.

Verbo personali 4 accidunt genus, modus, tempus, conjugatio 5.

1 Etiam aliæ voces *verba* sunt: sed, quæ hujus sunt classis κατ᾽ ἐξοχὴν sic appellantur. 2 Sub *esse* comprehendo *fieri*. Utraque hæc dicuntur *substantiva*: Cætera sunt activæ, vel passivæ significationis. Nec præter verba hæc triplicia, sunt alia; juxta Aristotelem. 3 Reliquimus hoc loco distributionem istam; quia persona, unde ea petitur, est accidens commune. Deinceps verò agetur de accidentibus propriis. 4 Imò & impersonali. Sed personalis solùm meminimus; quia proximè de iis agemus, quæ solis conveniunt personalibus. Quatenus verò impersonalibus competant, seorsim inferiùs spectabimus in verbis Defectivis. 5 Nam tum speciem, & figuram, tum numerum, & personam, inter communia accidentia superiùs jam retulimus.

DISCRI-

DISCRIMEN GENERIS [1].

Genera verborum ſunt quinque [2]: *Activum*, *Paſſivum*, *Neutrum*, *Commune*, & *Deponens*. Hæc verborum ſignificationem oſtendunt.

Activa in *o* deſinunt; & accepto *r*, fiunt paſſiva: ut, *amo*, *doceo*.

Significant omnia actionem; eamque tranſitivam, vel in perſonam, vel in rem [3]: ut, *amo patrem*, *amo literas*.

Paſſiva in *or* deſinunt; &, abjecto *r*, fiunt rurſus activa: ut, *amor*, *doceor*.

Significant omnia paſſionem: ut, *amor à patre*, *doceor à magiſtro*.

Neutra in *o* [4] deſinunt; & non accipiunt *r*, ut activa: ut, *ſto*, *ſedeo*.

Significant quædam actionem abſolutam; ut, *ſto*, *venio*, *ambulo*: quædam paſſionem; ut, *caleſco*, *frigeo*, *intereo*.

1 Græcis vocatur διάθεσις τῦ ῥήματος: Latinis fortaſſe *forma* rectiùs, minùs certè ambiguè, dicatur. Sed quia jam obtinuit *generis* vox, ſanè ſic cum vulgo loquamur. Aliud verò *genus*, aliud *ſignificatio*. In genere attenditur terminatio: quæ vel *o* eſt, vel *or*: ac vel *o* admittens *r*, vel non admittens: ité *or* abjiciens *r*, vel non abjiciens.

Sed ſignificatio eſt triplex: activa, ſi recipiat accuſativum patientem; ut, *amo*, *ſequor*: paſſiva, ſi recipiat ablativum agentem; ut, *amor*, *vapulo*: neutra, ſi abſolutè aliquid ſignificet; ut, *ſedeo*, *labor*. Unde hujuſmodi verba quidam malunt vocare *abſoluta*. Sanè & in illis actio eſt: ſed non tranſitiva in perſonam. 2 Niſi placet, quatuor genera aſſignare, omiſſo communi: quia communia penè exoleverunt; de quo paulò pòſt dicetur. 3 Activis quoque accenſe, quæ adſciſcunt accuſativum, non perſonæ quidem, ſed rei. Ut *aro terram*, *bibo vinum*, *cano hymnum*. Itaque formant ex ſe, impersonalia paſſivæ vocis, ut, *terra aratur*, *vinum bibitur*, *hymnus canitur*. Nec prohibet quicquam, quò minùs aliquis hæc ſic loquentia inducat per proſopopœiam, *aror*, *bibor*, *canor*. Ut omninò fallantur, qui iſta neutris accenſent: quaſi neceſſe ſit, ut verbum activum etiam admittat accuſativum perſonæ. 4 Duo in *m* exeunt, *ſum*; quod olim *ſuo*; & *inquam*, quod factum ex *inquiebam*, ab *inquio*.

OBSERVATIO.

Sum, *forem*, *exsto* [1] & *existo*, à Grammaticis Substantiva vocantur: *Nuncupor*, *dicor*, *vocor*, *nominor*, *appellor*, Vocativa: *Vapulo*, *fio*, *veneo*, *liceo* [2], Neutralia passiva [3].

1 De *exsto* & *existo*, Vallam vide lib. 5. Eleg. c. 4.
2 Id est, *æstimor*. Ut *Quanti licuisse hortos scribis. Majori pretio licuit fundus*. Hoc est plus, plus in auctione pro eo oblatum pecuniæ. 3 Vel *Neutropassiva*. Aliàs *neutropassiva* dicuntur, quæ præteritum formant more passivorum: ut, *audeo*, *ausus sum*: *gaudeo*, *gavisus sum*.

COMMUNIA, ET DEPONENTIA,

in *or* desinunt, & non abjiciunt *r*, ut passiva.

Communia significant actionem, & passionem: ut, *dignor te*, *dignor à te* [1].

Deponentia solùm significant actionem [2]: ut, *loquor*, *sequor*.

Communia olim fuerunt, *amplector*, *consolor*, *aggredior*, *adipiscor*, *sector*, *obliviscor*, *meditor*, *veneror*, *detestor*, *interpretor*, *testor*, *experior*, & cætera ferè omnia, quæ nunc sunt Deponentia, quia passivam significationem deposuerunt.

Horum passiva significatio in participiis adhuc usitata est: ut, *meditatus*, *testatus*, *veneratus*, *oblitus*, *expertus*.

1 Sic *tueor te*, & *tueor à te*. Sed hujusmodi paucissima sunt, & ea ipsa rarissimè extra participia passivè invenias: ut illorum gratia vix attineat constituere novum in verbis genus.
2 Paucis exceptis: ut, *orior*, & *morior*.

DISCRIMEN MODI.

Modi Verborum sunt quatuor [1], Indicativus, Imperativus, Subjunctivus, & Infinitivus.

1 Quorum tres priores *finiti* dicuntur, quia definiunt certam personam, ac numerum; contrà quàm fit in infinitivo.

* *Quibus vulgò, Græcorum exemplo, quintus additur, Optativus. Sed Latinis eadem est vox Optativi, ac Subjunctivi: ut distinctus modus esse non possit. Qui Optati-*

ptativum addunt, hoc egere, ne Latini modorum numero viderentur cedere Græcis: tum item, ut liqueret, quomodo Optativus Græcorum Latinè redderetur. Sed cùm apud Græcos quidem diversa sit terminatio Optativi & Subjunctivi; apud Latinos non item: liquet, Latinis eum comprehendi sub Conjunctivo, qui tum Optativi appellationem assumit, cùm eo optamus.

Indicativus [2] est, quo directè, & simpliciter aliquid indicamus, aut interrogamus: ut, *Experientia docet. Adam, ubi es?*

2 Sequentes modorum qualescunque descriptiones petuntur ab eorum usu, non perpetuo quidem, sed frequentiori tamen.

* *Futuro indicativi etiam utimur loco imperativi. Cic. lib.2. ad Att.* Tu hæc silebis. *Idem ad Trebat. lib.7.* Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, ut facis 3.

3 Similia sunt, *Non occides*, *Non furaberis*.

Imperativus est, quo imperamus, aut precamur: ut, *Parentes reverere. Deus, miserere mei.*

Subjunctivus [4], sive Conjunctivus est, qui subjungitur alteri verbo: alioqui per se non absolvit sententiam: ut, *Nihil metuo, cùm sciam lectionem.*

4 Definitio subjunctivi, pressè accepti more Græcorum. Sed quatenus Optativum, & Potentialem modum, complectitur, alia opus sit definitione. Vel dicendum, exprimi usum modi hujus frequentiorem: ut paulò antè universè dicebamus, cùm loqueremur de indicativo. Sanè cùm socientur oratio directa, à qua ordimur; & obliqua, quæ posterior est: prior indicativi esse modi solet: altera, quæ conjungitur, sive subjungitur, postremi hujus ex finitis modi; qui idcircò Conjunctivus, seu Subjunctivus dicitur: ut, *Rogo, ut venias. Jussi, ut compellaret. Significabo, ubi venerit*, &c. Alii malunt, subjunctivum dici, quia subjungitur particulæ *cùm*, *si*, aut simili. Quo sensu Optativus etiam Subjunctivi nomen meretur, quia subjungitur particulæ *utinam*, aut simili.

* *Uti-*

* *Utimur eo etiam pro Imperativo. Ter. Hec.* Tua quod nihil refert, percontari desinas, *pro* desine. *Cic.* Nihil incommodo valetudinis tuæ feceris, *pro* fac.

Etiam explet usum Optativi Græcorum.

O mihi præteritos referat si Juppiter annos! *Pers. sat.* 2.

Utinam istuc verbum ex animo, ac verè diceres! *Ter.*

Utinam spem, quam de me concepit, impleverim! *Plin.*

Quàm vellem Romæ mansisses! *Cic. lib.* 2. *ad Att.*

Nec modus hic tantùm specialem interdum Optativi appellationem habet: sed etiam modi Potentialis, aut Permissivi.

Potentialis autem vocatur, quando verbum per possum, volo, *aut* debeo, *exponitur. Ut,* Roget quis, *hoc est, rogare possit. Terent.* At tu dictis, Albane, maneres, *hoc est, manere debebas. Virg.*

Permissivus dicitur, quando significat aliquid permitti, ac concedi: ut, Habeat, valeat, vivat cum illa. *Ter.* Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces. *Cic.*

Infinitivus est, qui non definit certam personam, aut numerum: ut, *amare, discere.*

Infinitivo adduntur [5] vulgò gerundium, & supinum.

[5] A nonnullis: sed non Diomede; cui infinitivus est modus non quartus, ut nobis, quibus optativus modus est ab substantivo separatus; sed quintus: gerundia verò, & supina, quæ ab infinitivo sejungit, sunt modus sextus, quem *participialem* nuncupat.

Gerundium [6] est, quo significamus aliquid gerere [7], vel administrare. Hujus tres sunt terminationes: *amandi*, *amando*, *amandum*: ut, *Cæsar venit ad oppugnandum urbem* [8].

Supini duas terminationes statuunt: *um*, & *u*: ut, *amatum*, *amatu*. Horum prius [9] frequentiùs activè exponitur: ut, *Venio spectatum*, id est, spectare, sive ut spectem. Posterius sæpiùs passivè [10]: ut, *Turpe dictu*, id est, dici, vel quod dicatur.

6 Gerundia dicunt quæ rectiùs vocarent, *gerunda*; vel cum Servio in Donatũ, *gerundiva*; vel, cum aliis, *gerundi verba*. Ubi vocabulum *verba* laxè sumere oportet. Nam propriè non sunt *verba*; cùm nec tempus habeant, nec personas. Vulgò tamen verbis adjungunt, quia interdum verborum more construuntur; quasi non contingat idem interdum in participiis, & nominibus verbalibus. Quare si rem seriò pensiculemus, comperiemus, gerundia esse nomina, aut participia triptota, vel potiùs pentaptota. Nam gerundia in *dum* sunt nominativi, vel accusativi casus: gerundia in *di*, sunt genitivi: gerundia in *do*, vel dativi, vel ablativi. De genitivo, accusativo, & ablativo, res satis est aperta. Ut, *Amandi causa*, *ad amandum*, *amando consequi*. Omnis scrupulus est de nominativo, & dativo. At nominativus est in hoc Cic. 2. Tusc. *Tuo tibi judicio est utendum*. Et illo Livii lib. 1. de bell. Pun. *Hìc vobis vincendum, aut moriendum, milites est*. Ac dativus est, cùm Plinius lib. 13. cap. 2. de chartis loquens, ait, *Emporetica inutilis scribendo*. Item in illo lib. 15. cap. 18. *Nam Alexandrinæ* (ficus) *vix sunt vescendo*, puta *aptæ*, vel *idoneæ*. Suntque adjectiva substantivè posita. Nam *cupiditas scribendi*, valet scribendæ scriptionis, vel scripturæ. Sic *ad agendum*, valet ad agendum negotium, vel agendam actionem. Etiam supina in *u* potiùs sunt nomina, aut participia monoptota ablativi casus: at illa in *um*, accusativi casus. Supina igitur sunt triptota; quia nominativum, & accusativum, habent in *um*, & ablativum in *u*. 7 Atque inde potiùs verisimile est nomen habere, quàm, uti aliqui voluere, quia constructionem verborum suorum gerant. 8 Formantur ea ab imperfectis, mutando *bam*, vel *bar*, in *ndi*, *ndo*, *ndum*: ut, *amabam*, *amandi*, *amando*, *amandum*: *sequebar*, *sequendi*, *sequendo*, *sequendum*. 9 In priori hoc nec genus nec numerus attenditur. Cato apud Gellium lib. 10. cap. 14. *Contumelia, quæ mihi factum itur*. Curtius lib. 10. *Temeritatem armis ultum ivit*. Justinus lib. 32. *Civitates questum de injuriis venerunt*. 10 Idcircò neutra ferè, ac deponentia, carent hoc posteriore supino. *Ferè* inquam; quia legas *eventu mirabile*, *ardua imitatu*, & quædam similia.

Passiva raro [11] in gerundiis, & supinis, usurpantur: at sæpius Deponentia [12].

11 Interdum enim passivè capi gerundia, verissimum est. Ut apud Cic. 2. Verr. *Convenit hæc frequentia censendi causa*: hoc est, ut censeatur. Justinus lib. 17. *Athenas missus erudiendi causa*; hoc est, ut erudiretur. 12 Sed hæc posteriori supino carent, ut jam diximus.

DISCRIMEN TEMPORIS.

Tempora verborum sunt quinque [1]: Præsens: Præteritum triplex; imperfectum, perfectum, ac plusquamperfectum [2]: & Futurum [3].

1 Fortasse & sextum addere possis, propter futurum subjunctivi: in quo præteriti, & futuri significatio concurrit. 2 Imperfectum significat rem cœptam, at non peractam. Perfectum notat rem completam. Plusquamperfectum indicat rem perfectam, actam ante aliam. Cicero: *Commodum discesseras heri, cùm Trebatius venit*. Sed plusquam perfecto etiam utimur pro futuro. Seneca consolat. ad Marc. cap. 1. *Magnum detrimentum Resp. ceperat, si illum non eruisset*. *Ceperat*, pro *acceptura erat*. Plin. Paneg. *Temerè fecerat Nerva, si adoptasset alium*. *Fecerat*, pro *facturus erat*. Tacitus 3. Annal. *Populus effigies Pisonis traxerat in Gemonias, ni jussu principis projectæ forent*, hoc est, *tracturus erat*. Etiam præteritis Subjunctivi utimur pro futuris. De quo posteà, pag. 99. 3 Pinguiori Minerva, ac populariter, *præsens* dicitur *tempus*; cùm accuratè loquendo, ut in Physicis docetur, illud præteriti sit temporis finis, & initium futuri.

† In Activis, ac Neutris, Indicativus habet omnia tempora: præsens, ut *amo*: imperfectum, ut *amabam*: perfectum, ut *amavi*: plusquamperfectum, ut *amaveram*: futurum, ut *amabo*.

* *Præteritum perfectum activum sæpè per syncopen profertur in secunda utriusque numeri, & tertia in plurali*: amasti, audisti: amastis, audistis: amarunt, audierunt.

In tertia, quartaque conjugatione idem interdum in

in aliis fit personis: ut, petii, petiisti, petiit, *&c.* perii, periisti, periit, *&c.*

Syncope hæc locum etiam habet in temporibus à præterito perfecto formatis: amaram, amarim, amassem, amaro, amasse: petieram, petierim, petiissem, petiero, petiisse: audieram, audierim, audiissem, audiero, audiisse.

Perii, *&* interii, *tantùm per syncopen dicitur pro* perivi, interivi.

At quædam per syncopen prolata poetarum propria sunt: ut exstinxsti, *pro* extinxisti: submosses, *pro* submovisses: cupit *pro* cupiit. *Ac similiter in infinitivis*, produxe, *pro* produxisse, *apud Terentium*: abstraxe, *pro* abstraxisse, *apud Lucret.* divisse, *pro* divisisse, *apud Horat. &c.* *

* Plura hujus generis si voles, abundè satisfacit Lambinus in notis ad illa Horatii verba, *Nunquam erepsemus*, lib. 1. sat. 5.

† Sed verbum Passivum, uti & Commune, ac Deponens, tria solùm tempora habet: præsens, ut *amor*: præteritum imperfectum, ut *amabar*: futurum, ut *amabor*. At præteritum perfectum, & plusquamperfectum, circumloquimur per participium, & verbum substantivum, ut *amatus sum*, vel *fui*: *amatus èram*; vel *fueram*.

* *Atque idem fit in futuris subjunctivi: ut*, amatus ero, *vel* fuero. *Nempe sequitur hoc tempus naturam præteriti perfecti; idque quoniam in eo præteriti quoque significatio est, ut non præteritis minùs, quàm futuris, possit accenseri. Cæterum circumlocutio hæc præteritorum non habet locum in iis, quæ carent supinis. E. G. quia* metuo, *&* disco, *carent supino, eò* metuor, *&* discor, *carent circumlocutione præteriti perfecti. Item contrà, quæ in activo habent supina plura, ea & in passivo præterito pluribus modis circumloquimur. E. G. quia à* lavo *est supinum* lavatum, *atque à* lavo *tertiæ (de quo inferiùs dicetur)* lavitum, *& hinc* lautum, *ex hoc* lotum: *eò à* lavor *di-*

timus lavatus, lautus, *&* lotus sum. *At quia à* pinso *est* pinsitum, *&* pistum: *eò & dicitur, in præterito*, frumentum est pinsitum, *vel* pistum.

† Imperativus unicum tempus habet: quod in secunda persona duplicem, in tertia unam terminationem habet. Nam in secunda singulari est *ama*, vel *amato* [4]; plurali, *amate*, vel *amatote*: in tertia autem singulari tantùm *amato*; plurali tantùm *amanto* [5]. Similiter in forma passiva secunda singularis est *amare* vel *amator*: tertia *amator* tantùm: in secunda plurali *amamini*, vel antiquè *amaminor* [6]: tertia *amantor* tantùm.

† Sed loco imperativi sæpè utimur subjunctivis; ut suprà diximus. Unde *amet* [7] pro *amato*; *ament* pro *amanto* [8]; *ametur* pro *amator*; *amentur* pro *amantor*. Ac similiter in aliis.

4 Vulgò *ama* præsentis; *amato* futuri esse temporis dicunt; sed ejusmodi à veteribus promiscuè usurpantur. 5 Perperam addunt *amantote*. 6 *Amaminor*, pro *amamini*, archaismus est: ut si quis præterire terminationem eam malit hoc loco, facturus id fit me lubente. Barbara tamen non est, quod quidam contendunt. Nam utitur Plautus. 7 Cujusmodi perperam à Grammaticis imperativi modi dicuntur, cùm appellatio peti debeat è primario vocis usu. 8 Tertia pluralis imperativi, velut *sunto*, *cavento*, similiaque, crebrò occurrunt, ubi leges feruntur. Ut apud Cicer. lib 3. de Legib. *Ad divos adeunto castè. Pietatem colunto. Iusta imperia sunto. Cives imperiis justis modestè, ac sine recusatione parento.* Cæteroquin multò usitatiùs pro iis utimur subjunctivis, *adeant*, *sint*, *pareant*, &c.

† Subjunctivus activus habet omnia tempora: præsens, ut *amem*: imperfectum, ut *amarem*: perfectum, ut *amaverim*: plusquamperfectum, ut *amavissem*: futurum, ut *amavero*: quod mixtam [9] ex præterito, & futuro,

9 Futurum significat: sed quatenus cũ altero concurrit, consignificat præteritum.

turo, significationem obtinet: unde *futurum perfectum*; sive *exactum* [10], appellatur.

* *Ponitur autem pro eo quoque terminatio præteriti perfecti. Vt Ter. And.* Certè si resciverim, *pro* rescivero. *Item*:

Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem,

Ea lege, atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam. *Pro* exemero.

Quandoque & futurum indicativi, ac subjunctivi, promiscuè usurpantur. Ter. And.

Si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris, *pro* facies.

Item Adelphis:

——Hæc si voles

In animo verè cogitare, Demea;

Et mihi, & tibi, & illis, demseris molestiam.

Antiqui futurum hoc in prima conjugatione etiam per asso *extulerunt*: *ut* amasso *pro* amavero; levasso *pro* levavero; expugnasso *pro* expugnavero. *In secunda item, tertiaque, per* esso: *ut*, prohibesso, expetesso. *Atque ab his veniunt antiqua infinitivi futura in* assere, *vel* essere: *ut*, expugnassere, *pro* expugnaturum esse; prohibessere, *pro* esse prohibiturum.

Habuere & antiqui terminationem præsentis in im: *ut* edim, duim [11]: *unde remansere* ausim, faxim [12].

† Subjunctivus passivus de suo habet præsens, ut *amer*, & imperfectum, ut *amarer*. Cæterorum usum circuitione supplet. In præterito perfecto, ut *amatus sim*, vel *fuerim*: in plusquamperfecto, ut *amatus essem*, vel *fuissem*: in futuro, ut *amatus ero*, vel *fuero*.

10 Præteritur simplex futurũ, quia id terminatione convenit cum præsenti, vel imperfecto: ut, *si* vel *utinam amet cras*; aut *amaret cras*.

11 *Edim* pro *edam*, *duim* pro *dem*; unde *perduim* pro *perdam*: simileque *axim* pro *agam*; unde *adaxim* pro *adigam*.

12 Pro *audeam*, *faciã*. Habuere & futurum in *xo*, ut *faxo* pro *fecero*; *axo* pro *egero*.

† Infinitivus in activo obtinet duo [13] tempora: præsens, ut *amare*: præteritum, ut *amavisse*. Futuri loco usurpamus participium in *rus* [14], & verbum *esse*, aut etiam *fore* [15]. Cic. ad Att. lib. 5. *Deinde addis, te ad me fore venturum* [16]. Ubi *fore ponitur* pro *esse*; quod usitatius est.

† In passivo solùm est præsens: ut, *amari*: sed præteritum perfectum, & verbum *esse* aut *fuisse*: ut *amatum esse*, vel *fuisse*. Futuri circuitio fit per supinum prius, & *iri*: ut *amatum* iri [17].

13 Habet & imperfectũ ac plusquam perfectum: sed eadem vox est præsentis, & imperfecti; itẽ perfecti, & plusquamperfecti. Ac possis propterea vel duplex, vel quadruplex ei tempus tribuere. Sed veriùs quadruplex. 14 Quale participium, in istiusmodi circumlocutione, antiquis cujusvis erat generis, ac numeri. Unde Gracchus: *Credo ego inimicos meos hoc dicturum*: puta *esse*. Et Laberius: *Non putavi hoc eam facturum*: pro *facturum esse*, vel *fuisse*. Sed ea haud facilè sunt imitanda: etsi & Ciceronem ita locutum scripserit Gellius. 15 Addunt & per supinum in *um*, ac verbum *ire*: ut *amatum ire*. Sed hujusmodi potiùs præsens, quàm futurum, significant. Nec ea circuitio locum habet ubique: sed tum demum, cùm illa uti licet in Præsenti indicativi. Nam dicitur quidem, *perditum*, vel *ereptum*, vel *oppugnatum ire*: sed dicitur quoque, *eo perditum*, *ereptum*, *oppugnatum*. At non dicitur *itum*, vel *reditum ire*, aut *ire caritum*, *statum*, *intellectum*: quia non dicitur *eo itum*, *caritum*, &c. 16 Sic Livius extremo lib. 6. *Libenter facturos fore*. Gell. lib. 12. cap. 11. *Ignoraturi forent*. 17 Locum hæc circuitio obtinet quoque in futuro passivo, quando ea uti non licet in præsenti activo. Nec enim dicitur, *Puto, te eum locum intellectum ire*, pro *intelligere*. At rectum est, *Censeo, eum locum vix intellectum iri*. Porrò hoc futurum est omnis generis, numeri ac casus. Itaque dicendum, *Literas puto lectum iri*, non *lectas*. *Legationem rejectum iri spero*, non *rejectam*. Ita Fabii est: *Reus parricidii damnatum iri videbatur*.

* *Observanda est paragoge in infinitivis passivorum, & deponentium. Pers.*

At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Paragoge est adjectio literæ, vel syllabæ, in fine dictionis.

DE

DE CONJUGATIONE.

Conjugatio est variatio verbi per modos, tempora, & personas [1].

Conjugationes verborum sunt quatuor [2]. In quibus omnibus prima consideratio est Præteriti perfecti, & Supini. Nam à Perfecto formantur tempora, quæ desinunt in *ram*, *sem*, *rim*, *ro*, *se*. A Supino formatur Passivorum Præteritum, & Deponentium: item Futurum Infinitivi [3].

1 Sive, est consequens verborũ declinatio; prout definitur à Prisciano in 8. Quę definitio & impersonalibus competit.

2 Quatuor eò sunt Latinis conjugationes, quia quadruplex est flexionis diversitas. Græcis verò impropriè statuuntur conjugationes diversæ, cùm non flexione, sed characteristica solùm varient. 3 Quæ igitur carent præterito activo, eadem & supino carent: ut, *ferio*, *furo*, *medeor*. Quæ item carent supino, ea & destituuntur futuro infinitivi, ac præterito passivo: ut, *palleo*, *studeo*, *pasco*. Quòd si verbum iis careat, mutuabimur ab alio verbo, vel circumlocutione utemur: ut, *percussi*, pro *feri*: *puto fore*, *ut timeas*, pro, *te timiturum*.

OBSERVATIO.

Composita in Præteritis geminationem simplicium non retinent: ut, *pendo*, *pependi*: *suspendo*, *suspendi*, &c. Præter composita à *do*, *sto* [1], *disco*, & *posco*: ut, *circumdedi*, *astiti*, *edidici*, *depoposci* [2].

1 De, *do*, & *sto*, nihil mirum, cùm vix hìc geminatio dici mereatur. Sanè auctius quidem syllaba horum præteritum est, at non geminatum: nisi fortè dicas, *dedi*, & *steti*, κ῏ συγκοπὴν facta esse ex *dedui*, *stetui*. 2 Excipiuntur etiam quædam è *tondeo*, *pungo*, *curro*, & pauculis aliis, ut infrà dicetur.

DE PRIMA CONJUGATIONE.

PRima conjugatio est, quæ habet in infinitivo [1] *a* longum ante *re*, vel *ri*: ut, *amare*, *amari*.

Verba primæ conjugationis habent in præterito *avi*, in supino *atum*: ut

Amo, *amavi*, *amatum*.

1 Vel, si deponentia fuerint, in secunda persona indicativi præsentis. Ut, *amplexor*, *amplexaris*, vel *amplexare*. Par ratio in deponentibus aliarum conjugationum.

EXCIPIUNTUR.

Do [1], *dedi*, *datum*, cum compositis, *circundo*, *pessundo*, *venundo*, *satisdo*. Reliqua composita, sunt tertiæ conjugationis. *Dor*, vel *der*, non dicitur; ut nec *for*, aut *fer*: orta tamen hinc in usu sunt.

Sto, *steti*, *statum*. Sic *asto*, *astiti*, *astitum*; & cætera composita; ut, *consto*, *disto*. Sed à *præsto* etiam invenitur *præstatum*; à *resto*, *restatum*; à *consto*, *constaturus*. Quæ enim à supino fluunt, amant *a*.

Juvo, *juvi*, *jutum* [2]. Ab *juvatum* tamen *juvaturus*, & *adjuvatum* invenitur [3].

Lavo, *lavi*, *lotum*, *lautum*, & *lavatum* [4].

Crepo, *crepui*, *crepitum*. Sic *increpo*, *increpui*, *increpitum*. At *discrepo*, *discrepui*, *discrepitum*: & *discrepavi*, *discrepatum*.

Domo, *domui*, *domitum*.

1 Unicum hoc verbum corripit *a*, contra naturam primæ conjugationis. Ut, *dabam*, *circumdabam*; *dabo circumdabo*; *dare*, *circumdare*. Atque ita in compositis aliis primæ conjugationis: ut *pessumdabam*, *venumdabam*. Equoque in præterito corripit; de quo in Prosodia dicetur. 2 Sed tantùm est usitatum in composito *adjutum*. 3 Sallust. & Petron. 4 *Lavatum* quidem est à *lavo* primæ: sed *lavi*, & *lautum*, unde *lotum*, fortasse sunt à *lavo* tertiæ: quo inter alios usus Horatius. Nempe per syncopen ex *lavitum* fit *lautum*.

Cubo [5], *cubui* [6], *cubitum*.

Sono, *sonui*, *sonitum*.

Tono, *tonui*, *tonitum*. Dicitur & *tonaturus* [7].

Veto, *vetui*, *vetitum*.

Seco, *secui*, *sectum*. Rectum tamen quoque est *secaturus* [8].

Mico, *micui*. *Emico*, *emicui*, sine supino. Legitur tamen *emicaturus*. Sed

Dimico, *dimicui*, & *dimicavi* [9], *dimicatum*.

Frico, *fricui*, *frictum*, & quandoque in compositis *fricatum*.

Poto, *potavi* [10], *potum*, & *potatum* [11].

Neco, *necavi*, *necatum*. At *necui*, *nectum*, vix extra compositionem [12] invenitur.

Plico, *plicavi*, *plicatum*. Sed *explico* habet *explicui*, *explicitum*; & *explicavi*, *explicatum* [13]. Par ratio est in *implico*, & *applico*. At *supplico*, *supplicavi*, *supplicatum*; *replico*, *replicavi*, *replicatum*. Sic *duplico*, *triplico*, & cætera cum nominibus composita.

Cœno, *cœnavi*, *cœnatum*; unde participium *cœnatus* [14].

Nexo, & *labo*, carent præterito, & supino [15].

5 Hujus cōposita, cùm *m* assumunt, fiunt tertiæ. Ita primæ sunt, *recubo*, *accubo*, *incubo*, &c. tertiæ verò *recumbo*, &c.

6 *Cubui* apud Cicer. *Cubavi* apud Plinium, & Fabium. Et inde, *Cubatus in fumo*, apud eundem Plinium lib. 10. cap. 57.

7 Sic *intonata* apud Horat.

8 Columell. lib. 5. cap. 9. *Supra quam ramum secaturus es*.

9 *Dimicui* est Ovidii: sed *dimicavi* lōgè est usitatius.

10 *Poto*, *potus sum*, ut ab *audeo*, *ausus sum*, dici, ait Varro, & ex eo Gellius lib. 2. cap. 25. Sed aliud est *potavi*, aliud *potus sum*. 11 *Potatum* integrum est, ex quo *potum* per syncopen. 12 Quomodo dicimus *enecavi enecatum*, & *enecui enectum*. Ennius tamen *necui* usurpat, teste Prisciano. 13 Pro *interpretatum* potiùs *explicatum* quàm *explicitum* legimus. Imò Cicero semper *explicavi* ait. At idem *implicitum* dicit, & *implicatum*. 14 Qui cœnavit. Sic à *juro*, *juratus*, qui juravit. Imò Plauti est, *juratus sum*, pro *juravi*. Ejusque exemplo Gellius lib. 7. cap. 18. *Statimque*, *ut jurati erant*, *ad Annibalem profecti sunt*. 15 Nam *nexui*, *nexum*, sunt à *necto*, vel *nexo* tertiæ.

Deponentia hìc permulta ſunt: qualia *ampullor, ancillor, apricor, aquor, architector, bacchor, baubor, bubulcitor, caprificor, cauſſor, cauſſificor, contechnor, copior, fabricor, frumentor, fruticor, græcor, hoſpitor, inimicor, juvenor, libidinor, licitor, lurcor, manticulor, materior, meridior, muginor, naviculor, nictor, oſcitor, palor, præſtolor, quadruplor, ſcurror, tuburcinor, vador, verecundor, urinor*; ut uſitatiora prætercam.

DE SECUNDA CONJUGATIONE.

SEcunda conjugatio eſt, quæ habet in Infinitivo *e* longum ante *re*, vel *ri*, ut *docere*, *doceri*.

* *Semper in* eo *exit: quemadmodum in prima* beo, creo, ſcreo, meo, calceo, laqueo, nauſeo, enucleo, *in tertia ſic nulla terminantur, in quarta autem* eo, queo, *&* veneo.

Multa 1 *neutra ſupinis carent: ut*, rubeo, horreo, *&c. Item activum* timeo.

Verba ſecundæ conjugationis habent in præterito *ui*, in ſupino *itum*: ut,

Habeo, habui, habitum.

Debeo, debui, debitum 2.

1 Non omnia: nam ſupinum, vel ſaltem participium inde derivatū, habent, *caleo, careo, coaleo, doleo, jaceo, noceo, pareo, placeo, valeo*, & pauca alia. Siquidem *caliturus* dixit Ovidius, *cariturus* Seneca & Juvenalis, *coalitum* Tacitus, *doliturus* Livius, uti *perdolitum* Gellius, *jaciturus* Papinius, *nociturus* Plautus & Cæſar, *paritum conditioni* Scævola & Jabolenus, *placiturus* Plinius & Virgilius, *valiturus* Ovidius. At carent iis *albeo, candeo, maceo, muceo, ſordeo, ſplendeo, ſtudeo, tumeo*, &c. 2 Sic cætera ab *habeo* compoſita: ut, *præbeo, inhibeo, adhibeo*, &c.

EXCIPIUNTUR *deſinentia in* BEO.

Jubeo, juſſi, juſſum. Sorbeo, ſorbui, ſorptum 1. Sed in compoſitione etiam *ſorpſi* invenitur 2.

1 Fortaſſe *ſorpſi*, & *ſorptum*, potiùs ſunt à *ſorbo* tertiæ: nempè uti à *ſcribo* eſt *ſcripſi ſcriptum*. Verbale eſt *ſorbitio*, quaſi à *ſorbitum*. 2 Sic *abſorbeo, abſorbui*, & *abſorpſi, abſorptum*. Similiter *exſorbeo, reſorbeo*.

CEO.

Doceo, docui, doctum.
Misceo, miscui, mixtum, & mistum [1].
Mulceo, mulsi, mulsum [2].
Luceo, luxi, absque supino [3].

* Liceor, licitus sum. 4 *Unde esset* perliceor, *pro quo dicimus* polliceor, pollicitus sum.

1 *Mistum* per *s* prætulit jam olim Rodolphus Agricola: cui assentio. Nã *mixtum*, ut puto, dixere, sicut *Ulyxes*. Sanè *mistum* potiùs dici debere, ex libris vett. & Prisciano etiam, videmus. 2 Verùm à composito *permulceo*, non tantùm est *permulsum*, sed & *permulctum*: ut apud Sallust. 4. Hist. *Liberalibus verbis permulcti*: & Gellium lib.1. cap.2. *Permulctus animus sono*. 3 Tamen compositum ejus *polluceo*, quod verbum est ad sacra pertinens, habet *polluxi*, *polluctum*. Contrà etsi à *taceo* sit *tacitum*: *reticeo* tamen, & *conticeo*, supinis carent. 4 De hujus verbi, & propria compositi ejus significatione, vide Vallam lib. 5. cap.28. Fallitur tamen, dum simplex censet carere præterito. Nam ab eo semel iterumque *licitus est* legas apud Ciceronem Verr. 5.

DEO.

Ardeo, arsi, arsum.
Rideo, risi, risum.
Suadeo, suasi, suasum.
Video, vidi, visum.
Sedeo, sedi, sessum [1].
Obsideo, obsedi, obsessum.
Mordeo, momordi, morsum.
Spondeo, spopondi [2], *sponsum.*
Tondeo, totondi [3], *tonsum.*
Pendeo, pependi, &
Strideo, stridi, absque supinis.
Prandeo, prandi, pransum, unde participium *pransus.*
Audeo, ausus sum, } more passivorum.
Gaudeo, gavisus sum, }

1 Ut à *sedeo* est *sessum*, ita à *frendeo* fuerit *fressum*: unde *faba fressa*.
2 Ἀναλόγως esset *spospendi*. Sed ob δυσφωνίαν alterũ *s*, quod remanet in *respondit*, omittitur; ut Priscianus ait lib.5.
3 Unde & *detotondi*, pro *detondi*.

Renideo [4], &

Medeor, carent præteritis [5].

4 Quidam ei præteritum tribuũt, *renidui*: sed absque idoneo auctore. Simplex ejus est *nideo*: verùm non est in usu. 5 Sed mutuatur *medeor* præteritum à *medicor*: unde *medicatus*. Nempe ut pro præteritis à *ferio*, & *furo*, dicimus *percussi*, & *insanivi*.

GEO.

Mulgeo, mulsi, mulctum.
Indulgeo, indulsi, indultum.
Augeo, auxi, auctum.
Lugeo, luxi, luctum.
Tergeo [1], *tersi, tersum.*
Fulgeo, fulsi [2], } sine supinis.
Algeo, alsi, }
Turgeo, tursi, }
Urgeo, ursi, }
Frigeo, frixi, }

1 Pro quo & *tergo* in tertia dicitur. Multa id genus postea adducemus.
2 A supino tamen est *fulmen*.

LEO.

Deleo, delevi, deletum.
Fleo, flevi, fletum.
Impleo, implevi, impletum. Sic *repleo*, *compleo* [1], &c.
Oleo [2], *olui, olitum* [3].

1 Ab antiquo *pleo*, unde *oppleo*. *Pleo* autem à πλῶ; unde *πίμπλημι*, & πλήθω. 2 Simplex *oleo*, nunc antiquis notabat *odorem spiro*, nempe ab ὄζω: nunc signabat *cresco*, fortè ab *olo*. Composita à priori significatione ferè habent *olui*: ut apud Plautum, *Oboluisti allium*. Ab secunda ferè est *olevi*; ut *adoleverit* apud Maronem in duodecimo. *Fere* dixi, quia Varronis est, *Postquam adoluerit hæc juventus*. Et inde supinum *adolitum*, ex quo per syncopen fit *adultum*. Est verò *adolesco* idem, quod *accresco*. Nam ut à *creo*, *cresco*: ita ab *oleo*, id est, *cresco*, (à quo & *soboles*, ac *proles*) fit *olesco*; unde *adolesco*, & inde *adolescens*. 3 Si modò *olitum* uspiam invenitur. Sed antiquè & *oletum* fecit, unde *exoletus*, *obsoletus*.

Adoleo,

Adoleo 4, vel *adolesco*, *adolevi*, *adultum*.
Exoleo, vel *exolesco*, *exolevi*, *exoletum* 5.
Obsoleo, vel *obsolesco*, *obsolevi*, *obsoletum*.
Aboleo, vel *abolesco*, *abolevi* 6, *abolitum* 7.
Oboleo, *obolui*, 8, *obolitum*.

† *Inoleo*, sive *inolesco*, *redoleo*, *suboleo*, *peroleo* 9, vix in perfecto apud classicos scriptores invenias; unde aliis per *evi*, aliis per *ui* 10 rectiùs efferri videntur.

Soleo, *solitus sum* 11, more passivorum.

4 De hoc jam in simplici *oleo* vidimus: uti & de *adolesco*. Hoc verò, & cætera composita in *sco*, sunt tertiæ: sed hìc referuntur, quia secundæ sũt *adoleo*, & cætera in *eo*, à quibus illa in *sco* sua capiunt præterita, & supina. 5 Unde uti dictum, *exoletus*; puer qui desiit olescere, h. e. crescere. 6 Livius, & Tacitus. 7 Plin. Fab. Tac. Gell. addunt vulgò & *aboletum*; sed sine auctore. 8 Plautus sæpiùs, & Suetonius Calig. 9 Tutiùs tamen *inolevi* dixeris cum Gellio lib. 12. cap. 5. Item *perolevi* cum Lucilio, cujus sat. 30. est *perolesse* pro *perolevisse*. At *inolitum*, *redolitum*, *subolitum*, *perolitum*, nondum reperi. 10 Per, *ui*, & *itum*, tutiùs videntur proferri. 11 *Solui* est apud Sallust. lib. 2. Histor. *Neque subsidiis*, *uti soluerat*, *compositis*. Citat. Priscianus l. 9. Observat Charisius, verbum *soleo*, carere futuro, quia non potest aliquis futuris adsuesse.

NEO.

Teneo, *tenui*, *tentum*.
Abstineo, *abstinui*, *abstentum* 1.
Neo, *nevi*, *netum*.
Maneo, *mansi*, *mansum*. Sic & composita 2 præter
Emineo, *eminui*, &
Immineo, *imminui*.

1 Utuntur Jurisconsulti. Ut Ulpianus, *abstentus hæreditate*: & Africanus, *abstento pupillo*. Item supinum habent *contineo*, *detineo*, *retineo*. At carent eo *attineo*, *attinui*, & *pertineo*, *pertinui*. 2 At *præmineo* præteritum nondum legi. Malim tamen *præminui*, instar aliorum quæ *a* in *i* mutant. Nam quæ *mansi* habent, *a* retinent in præsenti: ut, *permaneo*, *commaneo*.

QUEO.

Torqueo, *torsi*, *tortum*.
Liqueo, *licui* 1, unde composita.

1 Extra compositionem non puto inveniri.

Deli-

Deliqueo, delicui.
Colliqueo, collicui.

REO.

Careo, carui, caritum [1], unde *cariturus.*
Hæreo, hæsi, hæsum.
Torreo, torrui, tostum.
Mereo, merui, meritum, &
Mereor, meritus sum.
Mœreo, mœstus [2] *sum.*
Reor, ratus sum.
Misereor, misertus [3] *sum.*

* Glabreo *in præterito, & supino, non occurrit.*

1 Addunt *cassum*; quod potiùs nomẽ est, ut *lassus.* Itaque non ut *cariturus,* sic & *cassurus*, dicitur. 2 Nisi *mœstus* potiùs nomen est, ut videtur. 3 κτ᾽ συγκοπὴν ex *miseritus*; quo usus Terent. Porrò dicitur *misereor*, & *miseror*: sed illud secundæ est; hoc primæ. Etiam constructione differunt; ut in Syntaxi dicetur.

SEO.

Censeo, censui [1], *censum.* Sed *recensitus* [2], pen. long. remansit ab antiquo *recensire*, pro *recensere.*

* Denseo *caret præt.* & *sup.*

1 Ovidio etiam *census sum.* 2 Videntur tamen & *recensus* dixisse à supino *censum*: unde substantivum *recensus* & *recensio.* Nempe verbale *recensio est* à *recensere.* At *recensitus* est ab antiquo *censio*, pro *censeo.*

TEO.

Pateo, patui, absque supino [1].
Fateor, fassus sum.
Confiteor, confessus sum. Sic cætera composita [2].

1 Nam *passum*, quod ei tribuunt, est à *pando.* Sanè Cicero ait, *Passis velis pervehi*: ut Maro, *Velorum pandimus alas.* Ac ab eadem origine Ennius, & Cæsar, *passis palmis*: Virgilius, *crinibus passis.* Ut verò *pateo, patui*, absque supino; sic & *deliteo, delitui.* At simplex *lateo, latui*, format ex se *latiturus.* 2 Ut *diffiteor, profiteor.*

VEO.

VEO.

Moveo, *movi*, *motum*.
Foveo, *fovi*, *fotum*.
Voveo, *vovi*, *votum*.
Caveo, *cavi*, *cautum*.
Faveo, *favi*, *fautum*.
Paveo, *pavi*, ſine ſupino.
Ferveo, *fervi* [1], & *ferbui*, à *ferbeo*.
Conniveo, *connivi*, & *connixi* [2].
Langueo, *langui*, ſine ſupino.
Aveo caret præterito, & ſupino.

* *Ut & flaveo*, ac *liveo* 3.

1 Sed *fervi* potiùs eſt à *fervo* tertiæ. A *ferbui* eſt *deferbui* apud Cat. *conferbui* apud Horat. 2 *Connixi*, Priſciano teſte, dixit Turpilius, Comicus vetus. Sed *connivi* uſitatius eſt. 3 Agnoſcunt aliqui ab iis præterita *flavi*, & *livi*. Sed nondum occurrit idonei ſcriptoris auctoritas. *Ceveo* etiam deficit præterito, ſupinoque.

E O. *purum*.

Vieo, *vievi*, *vietum*.
Cieo, *civi* [1], *citum* [2].
Tueor, *tuitus ſum* [3].

* *Antiquum* cieo *caret præt. & ſup.*

1 *Civi* non eſt à *cieo*: ſed capit hoc à *cio* quartæ: quomodo dicimus *acciri*, de quo poſtea. 2 Penultima in *citum* à *cieo*, eſt correpta. At à *cio* quartæ producitur; ut in Proſodia dicetur. 3 Unde *tuitio*. At à *tuor*, quod tertiæ eſt, venit *tutus*, & *tutari*.

DE TERTIA CONJUGATIONE.

Tertia Conjugatio eſt, quæ habet *e* breve ante *re* in Infinitivo: ut, *lego*, *legere*: vel in ſecunda perſona præſentis Indicativi in *or*: ut, *loquor*, *loqueris*, vel *loquere*.

Verba tertiæ Conjugationis variè faciunt præterita & ſupina.

B O.

Scribo, *scripsi*, *scriptum* [1].
Nubo, *nupsi* [2], *nuptum* [3].
Bibo, *bibi*, *bibitum*.
Lambo, *lambi*, } absque supinis.
Scabo, *scabi*, }
Incumbo, *incubui*, *incubitum*. Sic cætera à *cubo*, quæ in tertia conjugatione *m* ante *bo* adsciscunt:
Labor, *lapsus sum*.

1 Aliqui exarant *scribsi*, *scribtum*. Quos non probo. Nam *b* ante *s* abit in *p*, etiam apud Græcos: ut λείβω λείψω.
2 Et à *nubor*, *nupta sum*.
3 Sic à *glubo*, *glupsi*, *gluptum*. Nam *glupta Mænas* est Plauti in Pœn.

C O.

Dico, *dixi*, *dictum*.
Duco, *duxi*, *ductum*.
Ico, *ici* [1], *ictum*.
Vinco [2], *vici*, *victum*.
Parco, *peperci* & *parsi*, *parsum* & *parcitum*.
Comparco, *comparsi*, *comparsum* [3].
Cresco [4], *crevi*, *cretum* [5].

1 Cic. *Fœdus icisse*.
2 Ab antiquo *vico*, quod ex *νικῶ*. A *vico* est *Vicapota*, Dea, quæ dat vincere potiri. Ab eodem *pervicax*, qui ad victoriam perseverat. 3 Videtur *comperco*, *compersi*, *compersum*, dici debuisse. Sed Terentii est, *Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser*. Ubi (ut Festus ait) *comparsit Terentius pro compersit posuit*. Vulgò apud Festum perperam *compescuit* legitur pro *compersit*. 4 Sequuntur verba in *sco* exeuntia: quorum aliqua sunt frequentativa, de quibus paulò post. Sed ea hîc mixtim reliquimus; quia vel origo est parum certa, ut in *cresco*; quod alii à *creo*, alii aliunde deducunt: vel primitiva sunt inusitata; ut *quieo*, unde *quiesco*; & *sueo*, unde *suesco*. *Consueo* tamen & Priscianus agnoscit. 5 Unde *cretus*, pro *procreatus*; & *concretus* pro *coalitus*. Extra eam significationem non videtur quicquam ab hoc supino legi.

Quiesco,

Quiesco, quievi, quietum.
Suesco, suevi, suetum.
Scisco, scivi, scitum.
Nosco, novi, notum. Sic
Ignosco[6], *ignovi, ignotum*[7]. Sed
Agnosco, agnovi, agnitum. Et
Cognosco, cognovi, cognitum.

Novi præteritum aliquando idem, quod præsens, significat.

Pasco, pavi, pastum.
Compesco, compescui, compescitum[8].
Dispesco, dispescui, dispescitum.
Posco, poposci, } absque supinis.
Disco, didici[9], }

Glisco caret præterito, & supino.

Inchoativa habent eadem præterita, ac primitiva: ut,

Calesco, calui, calitum, à *caleo.*
Tremisco, tremui, à *tremo.*
Obdormisco, obdormivi, ab *obdormio*[10].

Aut præteritis carent: ut, *hisco, fatisco*[11], *labasco*[12], &c.

6 In cujusmodi compositis *g* est à *gnosco*, quod è γινώσκω. Ac in *ignosco*, & *cognosco* perit *n*: in *agnosco* perit *d*. Simplici *gnosco*, pro *nosco*, usus Varro: *Adeste, adeste, quæ feramque, gnoscite.* 7 Sic *prænosco, prænovi, prænotum.* Unde *prænotio*, apud Cic. 1. de Nat. D. 8 *Compescitum*, & *dispescitum*, apposui, unius Prisciani autoritate motus: qui fortasse legerat apud antiquos. 9 Appuleius à *discitum discituros* usurpat. 10 Sic *acesco, adolesco, concupisco, congelasco, conticesco, contremisco, delitesco, explesco, expallesco, extimesco, horresco, increbresco, indolesco, ingemisco, innotesco, integrasco, macresco, marcesco, maturesco, obdormisco, obmutesco, obstupesco, obsurdesco, scisco,* cum compositis, *resipisco, revivisco, tabesco.* 11 Nempe sequitur hoc naturam simplicis *hisco*. Altera compositi pars est *fatim*, à quo & *affatim*, & *fatigo*. 12 Sic *integrasco, mitesco, ignesco, hebesco, lapidesco, liquesco, pinguesco.* Atque alia.

His

His adde deducta à nominibus : ut, *repuerasco*, *ditesco*, *advesperascit*, *diescit*, & similia [13].

* Conquinisco, *juxta Grammaticos veteres*, *facit* conquexi.

Adipiscor, *adeptus sum* [14].
Comminiscor [15], *commentus sum*.
Expergiscor, *experrectus sum*, & *expergitus* [16].
Irascor [17], *iratus sum*.
Nascor [18], *natus sum*.
Nanciscor, *natus sum*.
Obliviscor, *oblitus sum*.
Paciscor, *pactus sum*.
Proficiscor, *profectus sum*.
Ulciscor, *ultus sum*.
Reminiscor [19], &
Vescor, carent præteritis.

13 Ut *ægresco*, *gravesco*, *herbesco*, *teneresco*, &c. 14 Uti à simplici, sed inusitato, *apiscor*, est *aptus*. 15 Prout à simplici *miniscor*, vel *meniscor*, fuit *mentus*; unde verbale *mētio*. *Meniscor* ejusdem est originis, ac *memini*, & *moneo*, pro *meneo*: nempè à *μένος* ex quo *mens*, ut à *γένος* *gens*, à *μόρος* *mors*. 16 *Expergitus* dixere Lucilius, & Apulejus. Et sic distinguit Diomedes, ut *expergitus* sit spontè evigilans, *experrectus* verò sit aliundè excitatus. 17 Sed *iratus* videtur magis esse nomen, uti *fretus*, & similia. 18 Unde *noscendus*. *Nasciturus* est apud Porcium Latronem: quasi à *nascitum*. 19 *Reminiscor* capit præteritum à *recordor*, ut *vescor* ab *edo*, vel *pascor*. Estque *reminiscor* ejusdem originis, ac *comminiscor*: de quo paulò antè dictum. Conjungi potuerat. Sed ultimum ei locum tribuere placuit, quia præterito destituitur, uti *vescor*. Itidem *defetiscor* præterito caret. Nam *defessus* est nomen, ut *fessus*, *lassus*. Estque *defetiscor* à *fatiscor*, hoc à *fatisco*; quod fit, uti dictum, ex *fatim hisco*.

D O.

Claudo, *clausi*, *clausum*,
Plaudo, *plausi*, *plausum*. *Explodo*, *explosi*, *explosum*, &c.

Rado,

Rado, rasi, rasum,

Vado, vasi, vasum. Sed vix extra compositionem.

Lædo, læsi, læsum. Elido, elisi, elisum [1], &c.

Ludo, lusi, lusum.

Rodo, rosi, rosum.

Trudo, trusi, trusum.

Divido, divisi, divisum.

Cedo [2], *cessi, cessum.*

Edo, esi, esum. Ambedo, ambèdi, ambesum.

Comedo, comedi, comesum, & comestum.

Cudo, cudi, cusum.

Rudo, rudi [3], } sine supinis.
Sido, sidi, }

Mando, mansi, mansum.

Scando, scandi, scansum.

Prehendo, prehendi, prehensum.

Accendo, accendi, accensum [4].

Defendo, defendi, defensum.

Fundo, fudi, fusum.

Findo, fidi, fissum [5].

Scindo, scidi, scissum.

Pando, pandi, passum [6], & *pansum.*

Cado, cècidi, casum. Occido, òccidi, occasum [7].

Cædo, cecìdi [8], *cæsum. Occìdo, occìdi, occisum.*

Præcìdo, præcìdi, præcisum, &c.

1 Sic *illisum* ab *illido*. At *illæsum* est nomen: quia *illædo* non dicitur.

2. Hinc versiculus, *Cedo facit cessi, cecidit cado, cædo cècidi.*

3 Apuleius *rudivi* ab antiquo *rudio*. Unde *ruditus*, *ut grunnitus.*

4 Sic *incendo*, *succendo.*

5 Sic *frendo, frendi, fressum*. Unde *faba fressa.*

6 De *passum* diximus in *pateo*. Atque inde *dispessum*, à *dispando*. Gel. lib. 15. c. 15. A *pansum* apud Plinium est, *expansa retia.*

7 Sic *recasurus*, apud Cicer. ad Attic. *Id ego puto, ut multa ejusmodi, ad nihilum recasurum.* 8 Pro quo quidam scribunt *cæcidi*; sed perperam, cum *æ*, quod in *cædo*, mutetur in *i*; prior autem sylla ba sit ex augmento, sive geminatione; ut fit in *fefelli*, *tetuli*, & similibus. Itaque & prima corripitur. Lucan. lib. 4. *Donec veterunt, castra cecidit.*

Pedo, *pepedi*, *peditum*.
Pendo, *pependi*, *pensum*.
Tendo, *tetendi*, *tensum*, & *tentum*.

* *Sic* intensum, & intentum; extensum, & extentum. *Sed in plerisque compositis* tentum *usitatius est: ut*, contentus, *quatenus opponitur remisso: item* distentus, prætentus, protentus. *Contrà* ostensum [9] *usitatius est, quàm* ostentum, *quo veteres usi: unde remansit* ostentare [10].

9 Quod & ipsum à *tendo*. Sed *b* ex *ob* transiit in *s*: nisi veteres *obs* pro *ob* dixere, ut *abs* pro *ab*: unde *abstineo*; & similiter, *b* adjecto, *asporto*.
10 Atque etiam nomen *ostentum*.

Tundo, *tutudi*, *tusum*, & *tunsum*. Sed *Contundo*, *contudi*, *contusum* tantùm. Sic & cætera composita.
Addo, *addidi*, *additum*.
Reddo, *reddidi*, *redditum*.
Condo, *condidi*, *conditum*: & cætera à *do* composita. Sed
Abscondo facit *abscondidi*, *absconditum*; & *abscondi*, *absconsum*.
Fido, *fisus sum*, more passivorum.
Confido, *confisus sum*, & interdum *confidi* [11].

11 Liv.

G O.

Mergo, *mersi*, *mersum*.
Spargo, *sparsi*, *sparsum*.
Vergo caret præterito, & supino.
Figo, *fixi*, *fixum*.
Frigo, *frixi*, *frixum* [1] & *frictum*.
Rego, *rexi*, *rectum*. Sic composita ejus:

1 Unde Plinio *caro frixa*, vel potiùs *fricta*.

Surgo,

Surgo [2], *surrexi*, *surrectum*.
Pergo, *perrexi*, *perrectum*.
Sugo, *suxi*, *suctum* [3].
Affligo, *afflixi*, *afflictum*. Sic cætera ab inusitato *fligo* [4].
Tego, *texi*, *tectum*.
Stringo, *strinxi*, *strictum*.
Fingo, *finxi*, *fictum*.
Meio, *minxi*, [5] *mictum*, ab inusitato *mingo* [6].
Ago, *egi*, *actum* [7].
Cogo, *coegi*, *coactum*.
Dego, *degi*, absque supino [8].
Ambigo [9] caret præterito, & supino.
Frango, *fregi* [10], *fractum*.
Effringo, *effregi*, *effractum*, &c.
Lego, *legi*, *lectum*.
Eligo, *elegi*, *electum*. Sic cætera composita præter tria [11].
Diligo, *dilexi*, *dilectum*.
Negligo, *neglexi*, *neglectum*.
Intelligo, *intellexi*, *intellectum*.

2 *Surgo* non dubium, quin sit à *rego*. Nam etsi more neutrorum sumatur, tamen propriè notat *surrego me*. Itaque *surgo*, & *surrigo*, idem habent præteritum, ac supinum: unde *surrecta cornua*, apud Columellam, & *surrecto mucrone*, apud Livium. *Pergo*, an à *rego* sit, video dubitari. Volunt enim esse à *perago*. Sed ab eo esset *peregi*.

3 Unde *suctus* Plinio lib. 8. cap. 36. 4 Puta, quæ quidem hujus sint loci: ut, *infligo*, *confligo*. Nec enim par ratio est in *profligo*: quod conjugationis est primæ. Ab inusitato *fligo* est *flictus*, apud Maronem, & alios. 5 Diomedes adfert & *mixi*, vel *meii*. 6 *Mingo* agnoscunt Phocas, Diomedes, & Priscianus. Mirum id hodie sic esse in usu, cùm planè sit obsoletum. 7 Sic composita, *ambigo*, *adigo*, *exigo*, *subigo*, *transigo*, & quod proximè sequitur, *cogo*. 8 Similiter duo hæc itidem ab *ago* composita, *prodigo*, *prodegi*; *satago*, *sategi*. Sed à priori quidem *prodegeris* est apud Plaut. Aul. 2. 8 At *sategi* non invenio: licèt hoc agnoscat Saturnius. 9 Quod & ipsum ab *ago* componitur. Sed *b* interjectum: ut in *amburo*, & *comburo*, ab *uro*. 10 A *frago*; unde *fragilis*. At *frago* à Dorico, sive Æolico, ῥάγω, pro ῥήγω, sive ῥηγνύω. 11 Quæ tria imitantur Græcum futurum λέξω, sive præteritum passivum λέλεγμαι.

Tango, *tetigi*[12], *tactum*.
Attingo, *attigi*, *attactum*.
Pago[13], *pepigi*, *pactum*.
Pango[14], *panxi*, & olim *pegi*, *pactum*. Unde
Impingo, *impegi*, *impactum*, &c.
Plango, *planxi*, *planctum*.
Ango, *anxi*, &
Clango, *clanxi*, sine supinis.
Cingo, *cinxi*, *cinctum*.
Tingo, *tinxi*, *tinctum*.
Lingo, *linxi*, *linctum*. Sic
Pollingo[15], *pollinxi*, *pollinctum*: unde verbale *pollinctor*.
Ungo, *unxi*, *unctum*.
Jungo, *junxi*, *junctum*.
Mungo, *munxi*, *munctum*[16].
Stingo, *stinxi*, *stinctum*. Quæ usitatiora sunt in compositis: ut,
Exstinguo, *exstinxi*, *exstinctum*.
Distinguo, *distinxi*, *distinctum*.
Ningo, *ninxi*, sine supino.
Pungo, *pupugi*, & *punxi*, *punctum*. Sic
Repungo, *repupugi* & *repunxi*, *repunctum*. At
Compungo, *compunxi*, *compunctum*. Et
Dispungo, *dispunxi*, *dispunctum*.
Fungor, *functus sum*.
Ringor, caret præterito[17].

12 Ab antiquo *tago*, unde *tagax*.

13 Inusitatū verbum, pro *paciscor*. Nempè à Dorico πάγω pro πήγω: de quo & inferiùs dicā.

14 Quod à *pago*, inserto *n*.

15 *Pollingo* nondum reperi apud veteres. Sed *pollinxi*, & *pollinctor*, est apud Plautum, & alios.

16 Unde *emunxi*, *emunctum*. Sed extra compositionem haut facilè invenias.

17 Antiquè & *ringo* dixere; unde verbale *rictus*.

H O.

Veho, *vexi*, *vectum*.
Traho, *traxi*, *tractum*.

L O.

L O.

Colo, *colui*, *cultum* [1].
Consulo, *consului*, *consultum*.
Occulo, *occului*, *occultum*.
Molo, *molui*, *molitum*.
Alo, *alui*, *alitum*, & *altum* [2].
Volo, *volui* [3]. *Nolo*, *nolui*. *Malo*, *malui*.
Excello, *excellui*, *excelsum* [4].
Præcello, *præcellui*, *præcelsum*.
Antecello, *antecellui*, sine supino.
Percello, *perculi*, *perculsum*.
Fallo, *fefelli*, *falsum*.
Refello, *refelli*, sine supino.
Pello, *pepuli*, *pulsum*,
Appello, *appuli*, *appulsum*.
Repello, *repuli*, *repulsum*.
Vello, *velli*, & *vulsi* [5], *vulsum*.
Sallo, *salli* [6], *salsum*.
Psallo, *psalli*, sine supino.
Tollo [7], *sustuli*, *sublatum*, à *sustollo*. Sic *Extollo*, *extuli*, *elatum*. *Attollo* tamen caret præterito [8], & supino.

1 Per syncopen hoc ex *colitum*, ut & sequentia, *consultum*, *occultum*, *altum*, ex *consulitum*, *occulitum*, *alitum*.
2 Ab illo *alimentum*; ab hoc *altor*, *altrix*, *altilis*.
3 Ab inusitato supino *volitum* est *volitus*; & inde per syncopen *voltus* seu *vultus*; ut à *colitum*, *cultũ*, *cultus*.
4 *Excello*, *antecello*, *præcello*, sunt ab antiquo *Cello*; unde est *celsus*. *Cello* autem idem est, ac Græcum κέλλω, hoc est, κινῶ, *moveo*: interdum etiam κινεῖσθαι, *moveri*, *reclinare*. Quæ significatio est in *Recello*. Sed hoc videtur carere præterito & supino. *Percello* quoque, etsi *perculi* faciat pro *percellui*, tamen & ipsum est à *cello*, id est, *moveo*. Nam *percello*, est *permoveo*, *perturbo*. Supinum *perculsum*, vel est à præterito *perculi*, vel κατ' ἀντίστοιχον dicitur pro *percelsum*. 5 *Vulsi* negat dici Servius: sed usi eo Laberius, Lucanus, Gellius. Etiam in plerisque codd. Ovidii est, *Aurea Phryxeæ terga revulsit ovis*. Sed Cicero pro eo semper dixit *revelli*.
6 Præteritum hoc ἀναλόγως quidem formatum: sed nondum reperi apud veteres. *Sale salsurus*, dicit Mummius apud Priscianum.
7 Olim habuit *tetuli*, pro quo nunc compositum *sustuli* in usu est.
8 Nam *attuli*, & *allatum*, quæ inde formantur, *affero* sibi vindicavit: cùm non attollendi, sive elevandi, sed apportandi habeant significationem.

M O.

Como, comsi, comtum [1].
Promo, promsi, promtum.
Sumo, sumsi, sumtum.
Demo, demsi, demtum. Emo, emi [2], emtum.
Redimo, redemi, redemtum.
Adimo, ademi, ademtum.
Fremo, fremui, fremitum.
Gemo, gemui, gemitum.
Vomo, vomui, vomitum.
Tremo, tremui, sine supino.
Premo, pressi, pressum.

1 Priscianus in 10. scribit, *compsi comptum*, *prompsi promptũ*, *sumpsi sumptum*. Probat & Probus in Catholicis: itẽ è junioribus Lipsius; ut quoque Antonius Augustinus in x. Antiquitatum. Sed Ter. Scaurus lib. de Orthographia omittit *p*: uti & Victorius facit. Similiter in vett. libris, & lapidibus, legas, *emptum*; *tempsi*, *temptum*; *dempsi*, *demptum*; non semper, crebrò tamen. Sed vitiosè, ac præter talium naturam. Nec enim vel *P*, vel *B*, est in præsenti: contra quàm fit in *scribo*, *scriptum*; *serpto*, *serptum*, & similibus. 2 Si tria, quæ proximè præcedunt, nempe *promo*, *sumo*, *demo*, placet esse ex *emo*, hoc est, *tollo*: videri possit, hoc verbum antiquè in præterito etiam *emsi* fecisse. Vel dicendum, composita illa à simplicis natura recessisse.

N O.

Sperno, sprevi, spretum.
Sterno [1], stravi, stratum.
Sino, sivi, situm [2].
Lino, levi, litum.
Relino, relevi, relitum.
Cerno [3], crevi, cretum.
Temno, temsi [4], temtum.

1 Hujus compositũ *consterno*, nunc primæ est, nunc tertiæ: primè, cùm animi notat perturbationem: tertiæ, quando corpori tribuitur. 2 Sic compositum ejus *desino*, *desivi*, & per syncopen *desii*, *desitum*. 3 Cùm sermo est de adeunda hæreditate. Verùm in videndi significatione vix præteritum, ac supinum ejus reperias. 4 Præteritum *temsi*, & *temtum*, haud facilè extra compositionem invenias: sed *contemsi*, & *contemtum*, crebra sunt. Apud Senecam tamen in Agam. est verbale *temtor*.

Gigno,

Gigno, genui [5], *genitum.*
Pono, posui, positum.
Cano, cecini, cantum. Sed
Occino, occinui [6], *occentum.*
Succino, succinui, succentum [7].

5 A *geno*, quo Cato, Varro, Censorinus, & alii utuntur.

6 Pro quo & Sallustius *occanui* dixit.

7 Sic cætera à *cano* composita; ut, *accino*, unde *accentus*; *incino*, unde *incentio*, & *tibia incentiva*; item *intercino*, & alia.

P O.

Carpo, carpsi, carptum.
Serpo, serpsi, serptum.
Repo, repsi, reptum [1].
Scalpo, scalpsi, scalptum.
Sculpo, sculpsi, sculptum.
Rumpo, rupi, ruptum.
Strepo, strepui, strepitum.

1 Sic & *clepo*, quod à Græco κλέπτω, facit *clepsi*. Sed antiquè *clepi*.

QU O.

Coquo [1], *coxi, coctum.*
Linquo, liqui, lictum.
Loquor, locutus sum.
Sequor, secutus sum.
* Liquor *caret præterito* [2].

1 Sic *decoquo*. Unde Catullus, *Decoctoris amica Formiani*.

2 A *liquefacio* mutuatur *liquefactus sum*.

R O.

Tero, trivi, tritum.
Quæro, quæsivi, quæsitum.
Sero [1], *sevi, satum; & serui, sertum*, antiquè.

1 Fortasse duplex fuit, *sero*; unum ab εἴρω, *necto*: à qua serendi notione fit *series*, pro ordine ac nexu; ut ab εἴρω, εἱρμὸς: alterum fit à futuro σπερῶ, π abjecto; ut à χαμψύλος, *camurus*. Quidquid de etymo est, in ordinandi significatione videtur antiquè fecisse *serui*, *sertum*: uti in seminandi significatione usitatum est *sevi*, *satum*. Sanè aliud est *inserui*, aliud *insevi*; uti & aliud *conserui*, aliud *consevi*; aliud *asserui*, aliud *assevi*, &c.

Consero, consevi, consitum, ick besaeye.

Consero, conserui, consertum, id est, commisceo. Sic

Insero, insevi, insitum [2] : & *inserui, insertum*, pro interpono.

Assero, asserui, assertum.

Dissero, disserui, dissertum, &c.

Exsero, exserui, exsertum, &c.

Gero, gessi, gestum.

Verro, verri, versum.

Uro, ussi, ustum.

Curro, cucurri, cursum.

Decurro, decucurri, & decurri, decursum. Sic *excurro, procurro* [3], *præcurro.*

Alia nunquam, aut rarò, geminant: ut,

Accurro, accurri, accursum.

Sic *discurro, incurro, occurro, recurro, succurro, transcurro* [4].

Fero, tuli [5], *latum.*

Affero, attuli, allatum.

Sic cætera composita. Sed *suffero* [6], pro *patior*, caret præterito, & supino.

Furo [7], caret præterito, & supino.

Queror, questus sum.

2 *Insevi* quidem seminandi notione, uti dictum; sed *inserui*, cùm sumitur pro ordinare inter aliqua, sive interponere.

3 *Procucurrit* dixit Livius Prisciano teste. Adde & *concucurrit*; quo idem Catonem usum docet. Item *præcucurri*; quod ipsius est Ciceronis 3. de Orat. Ac Varronis quoque senarius iste sic videtur numeris reddendus: *Huc aucupatum concucurristis domo*. 4 Adde & *circumcurro*. 5 Poterat hic præteriri, cùm sit inter heteroclita; de quibus inferiùs. Quare ibi commodiùs notabimus, unde capiat hoc præteritum, & supinum. 6 Nam *sustuli*, & *sublatum*, retinent *tollendi* significationem: ac proindè ea *suffero* sibi nequit vindicare: sed ad veram originem pertinent, quæ est *tollo*, vel potiùs *sustollo*. 7 Imò nec in prima hodie persona invenitur. Olim ea usum Varronem, auctor est Priscianus lib.8.

SO.

SO.

Arcesso [1], *arcessivi*, *arcessitum* [2].
Lacesso, *lacessivi* [3], *lacessitum*.
Facesso, *facessivi*, & *facessi*, *facessitum*.
Capesso, *capessivi*, & *capessi*, *capessitum*.
Incesso, *incessi*, absque supino.
Viso, *visi*, *visum* [4].
Pinso, *pinsui* [5], *pinsitum*, *pinsum*, & *pistum* [6].

1 Pro eo, inveterato jam errore, *accerso*, dici solet. Est autẽ *arcesso*, ab *arcio*; ut sequentia à *lacio*, *facio*, *capio*, *incedo*, *video*. Nam veteres subinde *ar* usurpabant pro *ad*: ut compluribus exemplis ostendit Priscianus lib. 1. 2 In *arcessitum*, *lacessitum*, *facessitum*, *capessitum*, penultima est longa. Nempe hæc olim quartæ erant conjugationis: unde Sallustius, Liviusque etiam lib. 3. *arcessiri*: Columella lib. 9. *lacessiri*. 3 Pro *lacessivi* per syncopen quoque dicitur *lacessii*, & *lacessi*. Itidem *facessi*, & *capessi*, syncopen passa. Sed imprimis ea usitata in *incessi*. 4 Nisi magis placet, *viso* carere supino: *visum* autem semper esse à *video*. Mihi quidem hoc magis arridet. Sic *inviso*, *invisi*, absque supino. 5 Similiter *depso*, id est, farinam subigo, *depsui* facit. Sed hoc supino caret. 6 *Pinsitum* est integrum: duo alia supina per syncopen facta.

TO.

Flecto, *flexi*, *flexum*.
Necto, *nexi*, & *nexui*, *nexum*.
Pecto, *pexi*, & *pexui*, *pexum*, & [1] *pectitum*, pen. corr.
Plecto, *plexi* [2], & *plexui*, *plexum*.
Meto, *messui*, *messum*.
Peto, *petivi*, *petitum*.
Mitto, *misi*, *missum*.
Verto, *verti*, *versum*.
Sterto, *stertui*.

1 *Pectivi* agnoscit Asper, teste Prisciano. Sed nondum reperi apud idoneũ scriptorem. A *pectitum* apud Columellam est *pectitæ lanæ*.

2 *Plexui* nonnullis videtur esse à *plecto*, quando significat *implico*, *necto*: *plexi* verò, quando significat *punio*. Sed hoc discrimen non observatur. Potiùs eo differunt, quòd *plexui* sit usitatius; *plexi* in usu esse desierit.

Sisto, *stiti*, [3] *statum* [4]. Sic
Resisto, *restiti*, &c. [5].
Amplector, *amplexus sum* [6].
Complector, *complexus sum*.
Divertor, & *diverto*, *diverti* [7] tantùm. Sic
Prævertor, & *præverto*, *præverti*.
Revertor, *reverti* [8], ab antiquo *reverto*.
Nitor, *nisus*, & *nixus sum* [9].
Utor, *usus sum* [10].

3 *Sisto* activum *stiti* facit: sed *sisto* neutrum, ut volunt, à *sto* capit *steti*. E. G. Activum præteritum est, *Antea illum istic stiti: nunc hic eum sisto*. At neutrum preteritum est, *Antea illic stetit: nunc hic sistit*. Sed neque hìc *stitit*, pro *stetit*, dicere verear. 4 Inde *stati dies*, & *stata sacrificia*. Nam *status* hìc valet τεταγμένος, ut vetus Onomasticon exponit. 5 Supinum in compositis vix invenias: faciliùs participium inde deductum. Ut apud Ulpianum: *Si diu incertum, hæres exstiturus, nec ne, sit*. 6 *Amplector* est à *plecto*, eaque causa est, cur à supino *plexum*, facit *amplexus sum*. Ac par ratio in *complector*. 7 Videtur & olim supinum fuisse in usu: unde *diversorium*. 8 *Reverti* dicere amant Tullius, & veterum alii: pro quo juniores ferè ajunt *reversus sum*. 9 Sic *annitor*, *enitor*, *innitor*. Sed *x* potiùs amant *connitor*, *obnitor*, *pernitor*, *renitor*, *subnitor*: unde *connixus*, *obnixus*, à quo *obnixè*; *pernixus*, unde *pernix*, &c. *Enixa* dici volunt de ea, quæ peperit: *enisus* de quovis, qui allaboravit. Sæpiùs quidem id discrimen obtinet: perpetuum tamen non est. 10 Sic *abutor*, & si utendum eo, quod in glossis invenitur, *coutor*.

V O.

Solvo, *solvi*, *solutum*.
Volvo, *volvi*, *volutum*.
Vivo, *vixi*, *victum*.
* Calvor [1], *antiquum absque præterito*.

1 Unde *calvitur*, apud Plautum: & infinitivus *calvi*, apud Sallust. 3. Hist. Cæterùm Priscianus agnoscit & *calvo*, *calvi*, ut *solvo*, *solvi*. A *calvo*, vel *calvor*, hoc est, *decipio*, *frustror*, dicta videtur *calumnia*. Quasi à supino, *calutum*, quod est à *calvo*: quomodo à *solvo* est *solutum*.

X O.

Texo, *texui*, *textum*.

O pu-

O purum [1].

Facio, *feci*, *factum*. Sic
Efficio [2], *effeci*, *effectum*.
Jacio, *jeci*, *jactum*. Sic
Ejicio, *ejeci*, *ejectum*, &c.
Adspicio, *adspexi*, *adspectum*. Sic cætera composita ab inusitato *specio* [3].
Allicio, *allexi*, *allectum*. Sic cætera à *lacio*: præter
Elicio, *elicui* [4], *elicitum*.
Fodio, *fodi*, *fossum*.
Fugio, *fugi*, *fugitum*.
Capio, *cepi*, *captum*. Sic
Accipio, *accepi*, *acceptum*.
Rapio, *rapui*, *raptum*. Sic
Arripio, *arripui*, *arreptum*.
Cupio, *cupivi* [5], *cupitum*.
Sapio, *sapivi* [6], & *sapui*. Sic
Desipio, *desipui*, &c.
Pario, *peperi*, *partum*, pro *paritum*: unde *pariturus* [7].
Quatio, *quassi* [8], *quassum*.
Percutio, *percussi*, *percussum* [9].
Induo, *indui*, *indutum* [10].
Statuo, *statui*, *statutum*.

1 Verba in *io* exeuntia quibusdam in locis perdunt *i*. Nam à *capio* est *capis*, quod esset *capiis*. Sic *cape* pro *capie*. Item *capio*, *capere m*, *capere*. 2 Composita à *facio*, mutant *a* in *i*: præterquã, si illud cum nomine, vel adverbio, componatur: ut *calefacio*, *benefacio*. Quędam etiam abjiciunt vocalem ante *o*: ut *lætifico*, *magnifico*, *notifico*, *significo*. 3 A quo & quædam sunt primæ, sed deponétia; ut *conspicor*, *suspicor*.

4 Veteres similiter etiam *allicui*, *illicui*, *pellicui*, dixere: pro quibus usitatius, *allexi*, *illexi*, *pollexi*. 5 More verborum quartæ. Sanè & Lucretius *cupiret*, dixit, pro *cuperet*. 6 Unde Martialis *sapisti*, pro *sapiisti*, vel *sapivisti*. *Sapui* tamen vulgò usitatius est: ut & *desipui*, *resipui*. 7 Cic. *Si quinctum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram*. 8 *Quassi* tamen non est in usu extra compositionem. 9 Sic *concutio*, *decutio*, *excutio*, *incutio*. 10 Ab ἐνδύω. Sic *exuo*, *exui*, *exutum*, ab ἐκδύω.

Sic

Sic *acuo*, *minuo*, *ſuo*, *ſternuo*, *imbuo* [11], *arguo*, *ſpuo*, & ejus compoſita, præter *reſpuo*, quod caret ſupino [12].

Luo, *lui* [13], *luitum*, unde *luiturus*. Hinc
Diluo, *dilui*, *dilutum*. Sic *abluo*, *eluo*, *reluo* [14].
Ruo, *rui*, *rutum*, & *ruitum* [15]. Hinc
Diruo, *dirui*, *dirutum* [16].
Fluo, *fluxi*, *fluxum*; antiquè *fluctum*.
Struo, *ſtruxi*, *ſtructum*.
Fruor, *fruitus*, & interdum *fructus ſum*.
Morior, *mortuus ſum* [17].
Orior, *ortus ſum* [18].
Patior, *paſſus ſum*.
Gradior, *greſſus ſum*.

11 Ab ἐμβύω. 12 Simile eſt *metuo*, *batuo*, *cluo*: quæ itidem ſupinis carent. Uti & *ingruo* ac *congruo*. Cujus preterito uſus Terent. *Cui tam ſubitò tot congruerint commoda*. Deducunt utrumque à *gruo*: uti hoc à gruibus. Sanè *congruendi* verbo de gruibus uſus eſt Solinus c. 15. Sed veriſimilius cenſeo, *congruo*, & *ingruo*, eſſe corrupta ex *conruo*, & *inruo*. 13 Olim faciebat *luvi*: unde *diluvium*, *colluvies*, *interluvies*. Sic & à *fluo* olim fuit *fluvi*: unde *fluvius*, à *pluo pluvi*, unde *pluvia*. 14 Quod notat, *reſolvo*, *repignero*: teſte Feſto. Similiaque *colluo*, *diluo*, *perluo*, *polluo*, *proluo*. 15 *Vnde ruiturus*, apud Lucanum. 16 Sic *erutum*, *obrutum*, *prorutum*, *ſubrutum*. 17 Participium eſt *moriturus*. Virg. *Quo moriture ruis?* Quaſi à ſupino *moritum*. 18 *Ortus* κατὰ συγκοπὴν eſt ex inuſitato *oritus*: quomodo & *oriturus*, dixit Horat. *Nil oriturum alias, nil ortum tale ferentes*.

DE QUARTA CONJUGATIONE.

QUarta conjugatio eſt, quæ habet *i* longum ante *re*, vel *ri*, in Infinitivo: ut, *audio*, *audire*; *audior*, *audiri*.

Verba quartæ conjugationis habent in præterito *ivi*, in ſupino *itum*: ut, *audio*, *audivi*, *auditum*.

EXCIPIUNTUR.

Vincio, vinxi, vinctum.
Sancio, sanxi, sanctum ; & sancivi, sancitum.
Farcio, farsi, fartum [1]. Hinc
Refercio, refersi, refertum.
Sarcio, sarsi, sartum.
Fulcio, fulsi, fultum.
Raucio, rausi [2], *rausum.*
Sepio, sepsi [3], *septum.*
Salio [4], *salii* [5], & *salui, saltum.*
Singultio, singultivi, singultum [6].
Ferio, absque præterito [7], & supino.
Exilio, exilui, & exilii, exultum, &c.
Sepelio, sepelivi, sepultum.
Haurio, hausi [8], *haustum.*
Amicio, amicui [9], & *amixi, amictum.*
Aperio, aperui, apertum.
Operio, operivi, opertum.
Comperio, comperi, compertum.
Reperio, rèperi, repertum.
Sentio, sensi, sensum.
Venio, veni, ventum.
Gestio, gestivi, sine supino.
Experior, expertus sum.

1 Integrè sit *farcitum*: unde remansit *farcimen*: ac participium *farcitus* est apud Ciceronem. Ex *farcitum* fecere *farctũ*, & *fartum*.
2 Apud Tull. vulgò legas *irraucuerit*: quod fit à *rauceo*. Sed Priscianus legit *irrauserit*: quomodo & *irrausit* Lucilius dixit.
3 Livius *sepivi*.
4 Pro *salto* nam pro *sale conspergo*, regulam sequitur.

5 Ex inusitato *salivi* dixere *salui*, & *salii*. Ita apud Maronem 2. G. libri alii *saluere*, alii *saliere* habebant jam olim: ut ex Diomede, & Prisciano, videmus. Sic *exsilui*, & *exsilii*; *desilui*, & *desilii*. Cic. *Exsilui gaudio*. Et, *Desiluit de rheda*. 6 Utrum supinum ejus sit *singultitum*, an *singultum*, non satis convenit: posterius expressimus, propter verbale *singultus*. Sed fortasse *singultus* potiùs fit à *singulto*. Omninò satius sit supino abstinere. 7 Charisius tamen *ferii* agnoscit. 8 Varro etiam *haurii* dixit. Et *hausum*, pro *haustum*, dici, argumento est *hausurus* apud Maronem. 9 Interdum & *amicivi*: sed *amixi* cæteris est usitatius.

Comperior, sine præterito [10].
Assentior, *assensus sum*.
Opperior, *oppertus sum* [11].
Metior, *mensus sum* [12].
Ordior, *orsus sum*.

10 Sed mutuatur præteritum à *comperio*; de quo dictum.
11 Plautus *opperitus* dixit.
12 Addunt interdum facere *metitus*: atque hinc *dimetitus* esse apud Ciceronem in secundo de Nat. Deor. Sed in optimis libb. nunc est *demetata*.

* *Verba quartæ in imperfecto antiquè habuere* ibam: *ut*, custodibam, *apud Catullum*, *pro* custodiebam. *Sic* lenibam, *&* nutribam, *apud Maronem*: servibam, *apud Terent.*

Similiter futurum in ibo *formarunt*. *Ita* scibo *dixit Ter.* esuribo, *Pomponius*; expedibo, dormibo, mentibor, *Plautus*.

Idem & in tertia quandoque fit: *ut apud eundem* reddibo, *pro* reddam. *Nisi & hoc quartæ olim fuit*.

Cæterùm hujusmodi imperfecta, *& futura*, *obsolevere*, *præterquam ab* eo, *&* queo *de quibus inferiùs dicetur*.

OBSERVATIONES

De

Quatuor conjugationibus Verborum.

OBSERVATIO I.

Interdum verba diversa idem habent præteritum. Ut composita à *sto*, & *sisto*.

Consto, *constiti*.	*Consisto*, *constiti*.
Exsto, *exstiti*.	*Existo*, *exstiti*.
Insto, *institi*.	*Insisto*, *institi*
Sic	
Aceo, *acui*.	*Acuo*, *acui*.
Cresco, *crevi*.	*Cerno*, *crevi*.
Frigeo, *frixi*.	*Frigo*, *frixi*.
Luceo, *luxi*.	*Lugeo*, *luxi*.

Mulceo, mulsi.	*Mulgeo, mulsi.*
Paveo, pavi.	*Pasco, pavi* [1].
Pendeo, pependi.	*Pendo, pependi.*
Fulgeo, fulsi.	*Fulcio, fulsi.*

Similiter interdum verba diversa supino conveniunt. Ut,

Cresco, cretum.	*Cerno, cretum.*
Maneo, mansum.	*Mando, is, mansum.*
Pando, passum.	*Patior, passum.*
Pango, pactum.	*Paciscor* [2], *pactum.*
Sto, statum.	*Sisto, statum.*
Succenseo, succensum.	*Succenso, succensum.*
Teneo, tentum.	*Tendo, tentum.*
Vinco, victum.	*Vivo, victum.*

1 Diomedes ait, esse & tertium *pavi*, idque à *pavire*; quod est παίειν, unde & *pavio* factum. Sanè à supino *pavitum*, est *pavimentum*.

2 Nisi utrobique *pactum* ab eodem verbo, nempe *paco* vel *pago*, esse lubet. Nam veteres *c* pro *g* usurpabant. Itaque pro *pago*, quod à Dorico πάγω, pro πήγνυμι, dixere *pace*; unde *paciscor*, ut ab *apio*, *apiscor*. A *pago* autem fecere *pango*, ut *frango*, à *frago*; unde *fregi*, & *fragilis*: ut superiùs etiam diximus.

OBSERVATIO II.

Verba quædam, quorum vox planè eadem est, pro diversa significatione, vel primæ sunt conjugationis, vel tertiæ. Ut, *Aggero, aggeras, aggerare*: & *aggero, aggeris, aggerere.*

Sic *appello, compello, colligo, deligo, effero, fundo, mando, nicto* [1], *obsero, volo.*

1 *Nictamus* oculis: *nictit* canis naribus; de quo Festum vide.

Quædam præterea quantitate differunt. Ut, *Dico, as, are; is, ere.*

Sic composita: *abdico*, & *abdìco*; *indico*, & *indìco*; *prædico*, & *prædìco*. Similiter *lego, as,*

are:

are : & *lego*, *is*, *ere*. Item compoſita, *allègo*, & *allego* : *relègo*, & *relego* [2].

His adde *colo*, *pedo*.

2 Sic *edùco*, *as*, *are* ; & *educo*, *is*, *ere*.

* *Atque hæc de Analogia verborum. Nunc videamus de heteroclitis, defectivis, & iis, quæ genere, vel terminatione, abundant.*

DE ANOMALIS,

ſive Heteroclitis.

QUædam verba non ſequuntur analogiam quatuor ſuperiorum conjugationum, ut, *ſum*, *volo*, *fero*, *fio*, *eo*, *queo*, *edo*, cum compoſitis : quorum conjugatio petenda eſt ex Donato, vel aliis paradigmatum libellis.

SUM.

Sum [1] cum compoſitis caret gerundiis, ſupinis, & participio præſenti : præterquam quòd ab *abſum*, *præſum*, *poſſum*, veniunt, *abſens*, *præſens*, *potens* [2].

Poſſum, quod ex *potis ſum*, componitur, ſequente vocali retinet *t*, ut, *potes*, *poteſt*, *poteram*, *potero*, &c. Sed pro *t* habet *s*, ſi *s* ſequatur : ut, *poſſum*, *poſſumus* ; *poſſim*, *poſſimus*. Itaque & antiquè dicitur, *poteſſem*, *poteſſe* ; & uſitatè, *poſſem*, *poſſe*.

Proſum, ſi vocalis ſubſequatur, euphoniæ cauſa aſſumit *d*. Ut, *prodes*, *prodeſt*, *proderam*, *prodeſſem*, *prodeſſe*.

1 *Fui*, & *futurus*, capit ab antiquo *fuo*, quod à φύω. In compoſitis uſus attendēdus. Nec enim ut *adfuit*, *abfuit* : ſic *infuit* dixero. Ab eodem *fui*, etiam *forem* dicitur, pro *eſſem*. Factumque ex *fuerem*. Sic *afforem*, pro *adeſſem*. 2 Sed *potens* planè exuit participii naturam : & quodammodo etiam duo priora.

VOLO.

VOLO.

Volo per syncopen, pro *volis*, *volit*, *volitis*, habet *vis*, *vult*, *vultis*; vel, ut antiqui dicebant, *voltis*; ac similis syncope est in plerisque aliis temporibus[1]. Sic *nolo* ex *ne*[2], sive *non*, & *volo*; *malo* ex *magis volo*: unde veteres dixere *mavelim*, & *mavellem*: pro quibus obtinuit *malim*, & *mallem*.

1 Phocas monet, *volo* deficere imperativo, infinitivi futuro, gerundiis & participio in *rus*. Diomedes tamen jubet in imperativo sic inflectere, *fac velis*, *fac velit*, &c. Sed *velis*, & *velit*, sunt subjunctivi. In Donati libello reperias gerundia: sed deficit classici scriptoris auctoritas. 2 Unde veteres *nevis*, *nevult*, pro *non vis*, *non vult*. Porrò etsi *volo* caret imperativo, à *nolo* tamen est *noli*, & *nolito*. Illo usus Cicero, hoc Lucilius.

FERO.

Fero quoque in nonnullis temporibus syncopen patitur: ut, *fers*, *fert*, *fertis*, pro *feris*, *ferit*, *feritis*[1]. Præteritum *tuli*[2] accipit *tollo*, sive *tolo*; unde *tolero*.

FIO.

Fio mutuatur præteritum *factus sum*, ab antiquo *facior*: quod in quibusdam compositis remansit. Nam quæ in activo mutant *a* in *i*, retinent *facior*. Ut, *afficio*, *afficior*. Sic *conficior*, *reficior*, &c. Sed quæ *a* servant, ea componuntur cum *fio*. Ut *calefacio*, *calefio*. Sic *frigefieri*, *madefieri*, &c.

1 De apocope hujus verbi in imperativo mox dicam. 2 Quod olim *tetuli*; *ut à pago*, sive *pango*, *pepigi*. *Tolo* verò, unde *tetuli*, & *tuli* est à ταλῶ, vel prisco τιλῶ, id est, *fero*: unde *Telamones*, qui aliter *Atlantes*, ab ἐπιτετιχῷ, & τλάω. Ac videtur à ταλάω, vel τιλάω, etiam esse supinum *talatum*, vel *telatum*: vel à τλάω (quod κατὰ συγκοπὴν ex priori) fuerit *telatum*: nisi ἀμέσως putes prius fuisse *tolo*, *tetuli*, *tolatum* vel *tulatum*, inde κατ' ἀφαίρεσιν *latum*.

E O.

Composita ab *eo* usitatiùs quidem in futuro habent *ibo*; ut *transibo*, *præteribo*: quandoque tamen & per *iam* efferuntur; ut *transiam*, *præteriam* [1].

Quædam etiam composita [2] ex *eo*, contra naturam simplicis, formant ex se passiva in *or*: ut *adeor*, *ambior*, *ineor*, *obeor*, *subeor*, &c.

Etiam ex adverbio *venum*, & *eo*, fit *veneo*. Sed in præterito potiùs per syncopen *venii* dicitur, quàm *venivi*. Caret & ipsum gerundiis, supinis [3], ac participiis.

1 Sic Cicero contra Rullum, *Initur ratio*, pro *inibitur*. *Ambio* inflectitur ἀναλόγως, ut *audio*. Nisi quòd apud Livium sit *ambibam* pro *ambiebam*. *Circumeo* interdum *m* amittit. Nam dicimus, *circumis*, vel *circuis*; *circumit*, vel *circuit*; *circumire*, & *circuire*. 2 Nempe ea composita, quæ activam obtinent significationem: ut *adeo*, & similia. At non item, quæ significationem eam non habent: ut *pereo*, *intereo*, & alia. Claudianus tamen ait, *interitis multis*; hoc est, occisis. 3 Nam falluntur, qui *venum* esse supinum censent; cùm supina à verbo, seu themate, promanent; non thema ex supino suo componatur. Atqui *venum* prior est compositi pars: quod similiter componitur cum *do*; unde *venundo*. Nempe ea ratione, qua, ab simili adverbio *pessum*, est *pessumdo*; à *satis*, *satisdo*. Quare *venum ire*, seu *venire*, dixere ut *pessum ire*: *venundare*, ut *pessumdare*.

QUEO.

Queo & *nequeo* [1], inflectuntur, ut *eo*: nisi quòd ea careant imperativo, gerundiis, & participio præsenti.

Antiquè etiam dixere *queatur* [2]: unde & pro *quivi*, dicitur *quitus sum* [3]; sed tantùm sequente infinitivo.

1 Pro quo & divisim *non queo* apud Cic. in Lælio. 2 Lucret. 3 Ter. Hec. *Agnosci non quita est*. Ac similiter Gellius, *Contemni non quita est*. Imò & in composito ait Cato lib. 1. Orig. *Fanum id nequitum exaugurari*.

E D O.

Edo, præterquam quòd regulariter conjunga-

jugatur, etiam sic inflectitur; *Edo*, *es*, *est* [1]. Plur. *estis*.

Imp. *es* [2], vel *esto* [3], *este*, vel *estote*.

Conj. *essem*, *esses* [4], &c.

Infinit. *esse* [5], &c.

Sic *Exedo*, *exes*, *exest* [6], &c. *Comedo*, *comes*, *comest* [7], &c. Unde & *comestum*, pro *comesum*.

Dicitur quoque *estur* [8], pro *editur*.

1. 4. Æn. 2 Plautus Mil. 3 Cato cap. 156. 4 Val. Max. lib. 4. cap. 3. 5 Cic. 2. de Nat. deor. 6 Cic. 3. Tusc. 7 Plautus sæpè. Sic imperativo *comesto*, Cat. cap. 156. Inf. *comesse*, Cic. pro Flacco. 8 Plautus, & Ovid.

DE APOCOPEN PASSIS.

Dico, *duco*, *facio*, *fero*, in imperativo activo per apocopen [1] habent, *dic*, *duc*, *fac*, *fer* [2].

Ac similiter in compositis, ut *edic*, *reduc*, *benefac*, *perfer*. *E* tamen retinent composita à *facio*, quæ in præsenti *a* in *i* mutant: ut, *efficio*, *effice*; *conficio*, *confice*.

1 Poetæ tamen interdum apocopen hic negligunt: ut *face*, apud Ovid. Imò *abduce*, *traduce*, apud Ter. legas.
2 Catullus similiter *inger*, pro *ingere*, usurpat.

DE DEFECTIVIS.

* *Defectiva sunt triplicia.*

I. *Quæ destituuntur vel præterito, & supino; vel supino solo, & temporibus inde formatis. Hujusmodi multa in singulis conjugationibus adduximus.*

II. *Quæ primis, secundisque personis destituuntur, atque hinc dicuntur impersonalia: de quibus paulò pòst videbimus.*

III. *Quæ certis modis, aut temporibus, deficiunt: nec tamen ad duas superiores classes pertinent. Hujusmodi sunt, quæ sequuntur.*

AIO.

Præs. *Aio*, *ais*, *ait*. Plur. *ajunt*.

Imperf. *Aiebam*, *bas*, *bat*. Plur. *bamus* [1], *batis*, *bant*.

Imper. *Ai* [2]. Subj. *Aias*, *aiat* : *aiatis*, *aiant*.

Part. *aiens*. Cætera non ſunt in uſu [3].

1 Prima hæc pluralis necdum mihi occurrit. 2 Nævius : *Vel ai*, *vel nega* : Poſteriores tamen maluiſſent, *aias*, *vel neges*. 3 Probus etiam agnoſcit præteritum *ai*, *aiſti*, *ait*. Pluraque veteres uſurpaſſe, planè arbitror. Ut ſunt, *aitis*, *aite*, & alia quædam.

APAGE.

Imp. *Apage* [1]. Plur. *apagite* [2].

1 Græca ſunt ἄπαγε, ἀπάγετε, ἀπάγω, *abigo*. Unde & jungitur accuſativo : ut apud Plautum, *Apage caniculum*. 2 Plaut. & Vatinius ad Cic. Quemadmodum verò dixere *apage*, & *apagite* : ita & *agite*; & cum particula *dum*, *agedum*, & *agitedum*. Attamen, *age*, & *agedum*, interdum fiunt adverbia. Valerius Flaccus: *Vos age funereas ad litora volvite ſylvas*. Cic. pro Sylla : *Agedum, conferte nunc cum illius vitam P. Sylla*. Sed *agite*, & *agitedum* ſemper adſciſcunt pluralem.

AVE, SALVE, VALE.

Imper. *ave*, *aveto* [1] : *avete*, *avetote*.
Infin. *avere* [2].
Similiter inflectuntur, *ſalve* [3], & *vale* [4].

Apud Cic. etiam legas lib. 6. ad Att. Valebis igitur, & valere Piliam, & Cæciliam noſtram jubebis literis, & ſalvebis à meo Cicerone.

1 Salluſtius epiſtola Catilinæ. 2 Hæc in ſalutandi ſignificatione: ſed *aveo* pro *cupio*, plura habet tempora. 3 *Salveo* uſurpat Plautus, ſed ridiculè in ruſtici perſona; ut obſervat Probus. 4 *Valeo* integrum eſt : at in alia ſignificatione. Porrò *valere*, & *ſalvere*, diſtinguit & Suetonius in Galba : *Exoletum morem, tantùm in domo ſua hærentem, obſtinatiſſimè retinuit; liberti, ſervique, bis die frequentes adeſſent, de manè ſalvere, veſperè valere ſibi ſinguli dicerent.*

CEDO.

Cedo tantùm pro *dic*, aut *porrige*, uſurpatur ; ut, *Cedo manum* [1].

1 Antiqui & *cette* dicebant pro *cedite*.

DARI,

DARI, & FARI.

Dor, & *for*, non sunt in usu. Uti nec in subjunctivo *der*, aut *fer*: quemadmodum ante [1] dictum. Sed in compositione tamen usitata sunt, *addor*, *condor*, *reddor*, &c.

Imò & effor *agnoscit Diomedes*.

FOREM [2].

Subjunctivus, *Forem*, *fores*, *foret*. Plur. *forent*. Infinitivi Futurum, *fore*. Sic composita, *Afforem*, *deforem* [3].

INFIT, DEFIT.

Infit tantùm in usu est pro *cœpit*. Virgil. *Ita farier infit*.

Defit pro *deest*, *defiet*, & *defiat*; item *defieri*, ut *confieri*.

INQUAM.

Præsens *inquam* [4], *inquis*, *inquit*. Plur. *inquimus*, *inquiunt*.

Imperf. *inquiebat*, *inquiebant*.
Perf. *inquisti*.
Fut. *inquies*, *inquiet*.
Imp. *inque*, *inquito*.
Cætera desunt [5].

1 In prima conjugatione. In secunda tamen persona dicitur *daris*, *faris*, *deris*; & ita in personis inde ortis.

2 Possis ad *sum* referre, quatenus hoc tempora capit à *fuo*. Nam *forem* est à *foerem*, sive *fuerem*: ut suprà dictum.

3 Etiam *confore* est apud Ter. And. *abfore* 8. Æn. *profore* apud Horatium l. 1. epist. 8.

4 Pro quo & *inquio* dici, Grammaticorum veterum alii aiunt, alii negant. Tutiùs tamen *inquam* dixeris: cùm & Tullii, & Catulli locus, unde *inquio* probant, corruptus videatur. 5 Agnoscunt alii & *inquitis* in præsenti. Ac imperfectum integrè flectunt. Etiam tribuunt tertiam perfecti *inquit*: & in plurali *inquistis*: & in futuro *inquient*: item subjunctivum, *inquias*, *inquiat*, *inquiatis*, *inquiant*: & part. *inquiens*. Quibus utetur, cui obversatur idonei scriptoris auctoritas. Ea, quæ nos posuimus, reperias apud classicos scriptores. *Inquis* & *inquit*, pervulgata; *inquimus*, ait Horat. sat. 2. lib. 1. *inquiunt*, Cicero 2. Verr. *inquiebat*, idem in Top. *inquiebant*, 2. Acad. Qu. *inquisti*, lib. 6. ad Att. *inquiet*, 4. Verr. *inque*, Ter. Heaut. *inquito*, Plaut. Aul.

OVAT.

Præſ. *Ovat* [1]. Part. *ovans*.

* *A ſupino ſunt verbalia*, ovatus, *&* ovatio.

QUÆSO.

Sing. *Quæſo*. Plur. *quæſumus* [2].

SCIO.

Imper. *ſci*, pro *ſcito*, non eſt in uſu [3].

1 Utitur Val. Flac. in 4. Argonaut. Nec ultra in verbo finito invenimus.

2 Caſſius, & Brutus, ad Cic.

3 Neque à *ſoleo* dicimus *ſolebo*; quia præteriti habet ſignificationem, nec futuris quiſquam aſſueviſſe poteſt: ut ex Chariſio ſuperiùs etiam dicebamus.

ODI, MEMINI, COEPI.

Hæc verba carent iis temporibus, quæ à præſenti formantur: & tamen præteriti voce etiam præſentis ſignificationem habent.

Ut, *Odi*, *odiſti*, *odit*, &c. *oderam*, *odiſſem*, *odero* [1], *odiſſe*. Part. *oſurus*.

Sed pro *odi*, etiam dicitur *oſus ſum*: unde *exoſus*, & *peroſus*.

Cœpi ab antiquo *cœpio* [2] deſcendit: ac format ex ſe *cœperam*, *cœperim*, *cœpero*, *cœpiſſe*, ſup. *cœptum*, *cœptu*, & partic. *cœpturus*. Item paſſivum *cœptus*.

Memini [3] autem etiam imperativum habet, *memento*, & *mementote* [4].

1 Futuro ſubjunctivi utimur pro futuro indicativi: parque ratio in *cœpero*, & *meminero*.

2 *Cœpio*, & *cœpiam*, dixit Plautus. Eſt & M. Catonis: *Cœpiam ſeditioſa verba loqui*. Sed hoc in futuro conjunctivi, non tam præſentis, quàm propriam ſignificationem, habet; ut de *cœpi* etiam diximus.

4 Olim & in ſupino *mentum*, unde *mentio*. Niſi præſens malis fuiſſe non *meno*, ſed *memino*, unde antiquum *meminens*. Vide quæ de voce *commiſcor* notamus in tertia conjugatione.

* *His*

* *His additur* novi: *quod à* nosco *quidem venit; sed similiter in præterito significationem habet præsentis. In multis autem patitur syncopen: ut*, nosti, nostis, norunt, norant, norim, nossem, nosse.

Ad defectiva quoque pertinent verba quædam composita cum si: *ut*, sis, sodes, sultis: *pro* si vis, si audes, si vultis. *Sic* capsis, *pro* cape si vis. Apagesis, *pro* apage si vis.

Vulgò etiam ad defectiva referuntur *ausim, ausis, ausit*. Et pluraliter *ausint*. Item *faxim*, & *faxo, faxis, it*. Plur. *faximus, itis, int*. Sed hæc non tam defectiva sunt, quàm reliquiæ quædam priscæ conjugationis.

* *Nam, ut superiùs* [5] *diximus, veteres subjunctiva per* im *quoque efferebant: unde apud Comicos*, duim, perduim, creduim, axim, adaxim. *Inde igitur in usu remansit* ausim, *pro* audeam, *vel* ausus sim: *item* faxim, *pro* faciam, *vel* fecerim.

[5] In doctrina modorum.

Similiter futura quædam extulere per axo: *ut* axo, *pro* egero. *Cui simile* faxo, *pro* fecero. *Quod tempus olim etiam desiit in* asso, *à verbis primæ: vel* esso, *à verbis secundæ, tertiæque: quemadmodum superiùs* [6] *monuimus*.

[6] In temporum doctrina.

DE IMPERSONALIBUS.

Impersonalia sunt duplicia: activæ, & passivæ vocis.

Impersonalia activæ vocis in *t* desinunt [1]. Ut hæc decem: *Miseret, piget, pœ-*

[1] Suntque universa conjugationis secundæ.

nitet, *tædet*, *oportet*, *decet*, *pudet*, *libet* [2], *licet*, *liquet*.

Impersonalia passivæ vocis in *tur* desinunt. Hæc certum numerum non habent: quia veniunt ab omnibus activis, & quibusdam neutris: ut à *lego*, *legitur*: à *sto*, *statur* [3].

2 Addunt alii *lubet*: sed hoc non aliter differt à *libet*, quàm *optumus*, ab *optimus*. Nempe antiqui in nonnullis *u* amabant, ubi posteriores *i* prætulerunt. 3 Interdum etiam à deponentibus, sed rarò. Auctor ad Herennium: *Quos non est veritum ponere*. Cæsar: *Hostibus nunciatur, in Romanorum castris tumultuari*. Sed, ut dixi, hæc rara, præsertim in modis finitis. Quare minùs Latinum videtur illud vulgati interpretis: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur*. Potiùs pro eo dixeris, *eadem alii remetientur vobis*.

* *Impersonalibus vulgò accensentur quædam personalia; quia ad modum personalium absolutè inveniuntur in tertia persona absque nominativo, sequente mox infinitivo.*

Hujusmodi è prima conjugatione sunt, delectat, juvat, stat, *cum compositis*, constat, præstat, restat, *item* vacat.

E secunda, apparet, attinet, debet, patet [4], placet, solet.

E tertia, accidit, cœpit, conducit, contingit, desinit, incipit, sufficit.

Ex quarta, convenit, evenit, expedit.

Ex anomalis, est, interest, potest, prodest, fit, refert.

Ad impersonalium etiam naturam quodammodo accedunt verba exemtæ potestatis: hoc est, actionem significantia, quæ ut fiat, vel ne fiat, neutiquam sit humanæ potestatis. Talia sunt, fulgurat, fulminat, tonat, grandinat, gelat, pluit, ningit, lucescit, advesperascit, *similiaque*.

4 Nisi potiùs *paret* scribendum per *r*, quod tantundem valet, ac compositum *apparet*. Petronius: *Jurisconsultus* PARET, NON PARET, *habeto*.

Conjugantur autem impersonalia, ut

tertia

tertia singularis [5] personalium: *Oportet*, *oportebat*, *oportuit*, &c. *Statur*, *stabatur*, *statum est*, vel *fuit*, &c.

EXCIPIUNTUR.

Miseret, *misertum est*, & antiquè *miseritum*.

Tædet [1], *pertæsum est*, vel *tæduit* [2].

Placet, *libet*, *licet*, *pudet*, *piget*, in præterito habent *uit*, vel *itum est*: *ut placuit*, *placitum est*, &c.

Liquet in præterito vix reperias.

Impersonalia carent imperativo: sed pro eo utimur præsenti subjunctivi: ut, *pœniteat*, *pugnetur* [3].

Nec invenias in supinis, participiis, aut gerundiis; paucis exceptis.

* *Vt*, pœnitendi causa, *aut* pœnitendi vis, *apud Cic. Idem* [4] *dixit*: Nihilo magis liciturum esse plebeio, quàm patriciis esset licitum. *Idem* [5], Non pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. *Sallust.* Non est ejus præceptoris pœnitendum. *Et Plinii est* [6]: Cùm puderet vivos, tanquam puditurum esset exstinctos. Pœniturus, *teste Fabio*, *dixit Sallustius*: *quod exolevit*. Pœnitens *usitatum est*: *item* pertæsus, *quod activè significat*. Libens, pudens, pudendus, pigendus, pœnitendus, *nomina potiùs*, *quàm participia*, *videntur*.

Participia, per quæ circumloquimur præterita passiva, non hìc variantur per genera, ut fit in personalibus; sed, quia substantivè ponun-

5 Interdum etiam inveniuntur in tertia plurali: ut, *decent*, *pudent*, *oportebant*, *pudebunt*.

1 A *pertædet*: unde Gellius lib. 15. c. 20. *Matrimonii pertædebat*.

2 Etiam *pertæduit*, sed personaliter, idem Gellius dixit lib. 1. cap. 2. *Verbisque ejus defatigati pertæduissent*.

3 Vulgò hæc vocant præsentia imperativi: unde dicere malunt, impersonalia carere futuro imperativi: quia nempe non dicitur *pœniteto*, *pugnator*; atque ita in aliis.

4 Lib. 2. ad Att. ep. 1.

5 Lib. de Orat.

6 Lib. 36. cap. 15.

ponuntur, semper sunt generis neutrius. Ut, *pugnatum est*, *vetitum est*.

* *Atque ab hujusmodi participiis, impersonaliter acceptis, venire videntur ablativi, qui sine nomine ponuntur absolutè. Sallustius*: Audito, regem in Ciliciam tendere: *hoc est, postquam auditum esset. Livius*: Inde ad Pluvinum est progressus, nondum comperto, quam regionem hostes petissent, *hoc est, cum necdum compertum esset. Nisi magis placet, intelligi pronomen* eo; *ut in Syntaxi dicetur.*

DE VERBIS GENERE

abundantibus.

Quædam verba variant genus [1]: eaque sunt duplicia.

1. Neutra, & activa: ut, *coeo*, *differo*, *duro*, &c.

* *Nam dicimus*,

Coire in unum, *&*, coire societatem.
Differt colore, *&*, differre negotium.
Durare in ædibus, *&*, durare animum.
Incipit ver, *&*, incipere facinus.
Manere ad urbem, *&*, manere aliquem.
Morari sub dio, *&*, nihil purpuram moror.
Offendere ad lapidem, *&*, offendere animum.
Pascentes capellæ, *&*, pascere capellas.

[1] Laxè hoc loco Grammatici utuntur voce *generis*; ut tum significationem respiciat, tum terminationem. Ratione significationis, Verbum est vel activum, vel passivum, vel neutrum, sive absolutũ. Atque ita dicitur hìc Verba quædam esse neutra, & activa; hoc est, quæ sub una significatione nunc accipiantur neutraliter, & absolutè, nunc activè: cujusmodi etiam sunt *maneo*, & *moror*; etsi *maneo* non accipiat *r*, & *moror* non abjiciat *r*. Ratione verò terminationis, Verbum est vel activum, vel passivum, vel deponens: Ubi attenditur, num Verbum desinat in *o*, vel *or*: & an *o* admittat *r*, vel *or* amittat *r*. Atque inde dicitur, Verba quædam tum neutra esse, tum deponentia.

Ruit

Ruit urbs, &, cæteros ruerem.

Sufficit animus malis, &, sufficere collegam.

Superat pars cœpti, &, superare aliquem doctrina.

Suppeditant hæc ad victum, &, suppeditare sumtus.

Tardare, ac commorari alicubi, &, tardare alicujus studia.

Variant scriptores, &, variare vocem.

Vertat benè res, &, vertere terram aratro.

II. Neutra [2], & deponentia ejusdem significationis; ut, *Assentio*, *assentior*. *Comperio*, *comperior*. *Fabrico*, *fabricor*. *Jurgo*, *jurgor*. *Munero*, *muneror*. *Populo*, *populor*, &c. [3].

[2] Imò & activa.

[3] Sic *punio*, *punior*. Cic. pro Milone: *Punitus es inimicum*. Quod & Fabius notavit lib. 9. cap. 3. Item *mereo*, *mereor*; *impertio*, *impertior*; *lachrymo*, *lachrymor*; *comito*, *comitor*. Propertius lib. 1. el. 7. *Quòd si Romanæ comitarent castra puellæ*.

DE VERBIS

Quæ abundant conjugatione.

† Quædam verba variant conjugationem; eaque sunt triplicia.

I. Quædam usitatè primæ, & raro tertiæ: ut,

Lavo, lavas, lavare: & *Lavo, lavis, lavere.*

II. Quædam usitatè secundæ, & raro tertiæ: ut,

Ferveo, ferves,	&	*Fervo* [1], *fervis,*
Fulgeo, fulges,		*Fulgo, fulgis.*
Strideo, strides,		*Strido, stridis.*
Tueor, tueris,		*Tuor, tueris.*

[1] Vide Fabium lib. 1. cap. 6.

Sic

Sic composita, *intueor*, *intuor*; *contueor*, *contuor*; *obtueor*, *obtuor* [2].

Usitatè etiam *oleo*, *oles*, dicitur: at *oleo*, *olis*, inusitatè.

Sed utraque conjugatione frequentatur *tergeo*, *terges*, & *tergo*, *tergis*. Ut & compositum *detergeo* [3], & *detergo*.

Quædam tertiæ usitatiùs, ac rariùs quartæ: ut,

Fodio, *fodis*, *fodere*,	&	*Fodio*, *fodis*, *fodire* 4.
Lino, *linis*, *linere*,		*Linio*, *linis*, *linire*.
Sallo, *sallis*, *sallere*,		*Sallio*, *sallis*, *sallire* 5.
Morior, *moreris*.		*Morior*, *moriris* 6, antiquè.

Sic *orior*, *oreris*, &, *orior*, *oriris*.
Potior, *poteris*, &, *potior*, *potiris*.

Sed hæc in infinitivo semper sunt quartæ, *oriri*, *potiri*: in indicativo autem *orior* quidem nunc semper tertiæ est: *potior* autem in utraque conjugatione apud poetas invenitur; sed ita, ut *potitur* in tertia iis sit usitatius.

* *Est & verbum, quod usitatiùs sit secundæ; rariùs quartæ: puta* cieo, cies, ciere, *&* cio, cis, cire: *unde* accire, *&* accitus.

DE GERUNDIIS DUARUM

postremarum conjugationum.

Gerundia tertiæ, & quartæ conjugationis sæpè per antithesin pro e *habent* u: *ut*, faciundi, faciundo, faciundum. *Sic* experiundi, *& similia. Ac par ratio est participiorum in* dus; *ut inferiùs dicetur. Antithesis est literæ pro litera positio.*

2 Unde est verbale *obtutus*, ad instar adjectivi *tutus* à simplici *tuor*.

3 *Abstergeo* in secunda usurpat Ter. Eun. act. 4. sc. 7. & Curt. lib. 9. Itidem *extergeri* est apud Varronem in 3. de re R.

4 *Fodiri* in infinitivo passivo Columella usurpat libri de Arboribus cap. ult. & alibi.

5 A *sallo* est *salsus*; at *sallitus* est à *sallio*. Pro quo etiam dicitur *salio*, *salis*, *salire*: unde *salitura*.

6 *Moriri* tamen pro *mori*, est apud Ovidium 14. Met. Ac Ter. Eun. Act. 3. sc. 1. *Risu omnes, qui aderant, emoriri*.

DE DERIVATIS.

Verba, quæ aliunde originem habent, ferè [1] derivantur, vel à nominibus, vel à verbis.

A nominibus derivantur duplicia, Imitativa, & Denominativa.

[1] Pauca enim excipiuntur: ut *satio* à *satis*, *intro* ab *intra*, *supero* à *super*, &c.

De Imitativis.

Imitativa dicuntur, quæ imitationem significant: ut [1] *patrisso*, *atticisso*, *græcor*, *vulpinor*, *cornicor*, &c.

[1] Terminatione in *isso* quæ Græcanica est ex *ίζω*, minùs delectati sunt Latini. Itaque pro *Græcisso* potiùs dixere *Græcor*; atque ita ferè in aliis. Sunt qui imitativa comprehendant sub frequentativis; quia imitatio constet frequenti actione. Sed possim, & semel duntaxat, aliquem imitari in omni vita. Alius quoque est considerandi modus, quo frequens actio, quàm quo imitatio attenditur. Ut mittam, quòd frequentativa potiùs veniant à verbis, imitativa à nominibus.

De Denominativis.

Denominativa dicuntur, quæ à nominibus veniunt, & propriam appellationem non habent [1]: ut, *linor*, *frumentor*, *aquor*, *rusticor*, &c.

A verbis derivantur quadruplicia, Inchoativa, Frequentativa, Desiderativa, Diminutiva.

[1] Si laxè uti placet voce *denominativorum*, omnia verba à nomine venientia fuerint denominativa, etiam imitativa. Sed hìc presse dicuntur *denominativa*, prout diversam constituunt speciem ab imitativis, & nonnullis etiam inchoativis; imò & desiderativis. Nam & eorum quædam à nominibus venire, mox planum faciemus.

De Inchoativis [1].

Inchoativa in *ſco* [2] deſinunt: ut *luceſco*, *caleſco*, *ardeſco*, &c.

Significant ferè inchoationem [3]: atque exponuntur per *incipio*, vel *fio*: ut *ardeſco*, id eſt, incipio ardere: *matureſco*, id eſt, fio maturus: *veſperaſcit*, id eſt, fit veſpera [4].

† Formantur à ſecunda perſona præſentis; idque in quavis conjugatione: ut *labaſco* à *labas*, *caleſco* à *cales* [5], *tremiſco* à *tremis*, *obdormiſco* ab *obdormis* [6]. Sed per ſyncopen dicitur *hiaſco*, pro *hiſco* [7], ab *hias*.

† Quædam autem etiam à nominibus formantur: ut, *ægreſco* ab *æger*, *dulceſco* à *dulcis*, *repueraſco* à *puer*, &c. [8].

† Hujuſmodi quæ ſunt, præteritis carent.

1. Inchoativa dicuntur, quæ ſignificant rē inchoatam, & invaleſcentem. Nec enim hìc ſola inchoatio debet attendi, etſi inde nomen impoſuerint Grammatici: ſed etiam incrementū: ut non minùs vocari poſſint αὐξητικά, quaſi dicas, *augmentativa*. Imò interdum posterior ſolùm ſignificatio habet locum: ut cùm ejuſmodi verbo addicitur *incipit*, aut *cœpit*: ut, *incipit matureſcere*, *cœpit tumeſcere*. 2. Vel *ſcor*, ſi deponentia fuerint: ut *fruiſcor*. 3. Non inchoationem ſimpliciter, ſed, ut dixi, cum incremento. Itaque *ardeſco* valet quidem, *incipio ardere*: ſed ſimul etiam ſignificat, *magis magiſque ardeo*. Ut 1. Æn. *Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo*. Et 12. Æn. *Exſuperat magis, ægreſcitque medendo*. Ubi Servius: *Inde magna ejus ægritudo creſcebat*. Sic *obdureſco*, in dies fio durior. Vide, quæ contra Priſcianum Valla libro 1. diſputat de verbis in *ſco*. 4. Inchoativa igitur neutralem habent ſignificationem: ut, quæ eam non habent, non ſint inchoativa. Cujuſmodi ſunt, *diſco*, & *paſco*, de quibus mox loquar. 5. A *puteo* tamen dicimus *putiſco*, *e* in *i* abeunte. 6. Ἀναλογία hæc etiam attenditur in deponentibus, & imperſonalibus. Ut *fruiſcor*, quaſi à *fruis*; & *miſereſcit*, quaſi à *miſeret*. 7. Integro *hiaſco* uſus Cato de R.R. 8. Ut inter alia *herbeſco*, *ſylveſco*. Niſi placeat, omnia hujus generis venire à verbis inuſitatis, *ægreo*, *dulceo*, *repuero*, *herbeo*, *ſylveo*. Vulgò deducunt *calveſco* à *calvus*, *caneſco* à *canus*, *ſeneſco* à *ſenex*. At *calveo* eſt apud Plinium; *caneo* apud Virgilium; *ſeneo* apud Catullum. Quare denominativa ſunt; ſed non αὐτόθεν. Præterea id diſcriminis eſt, quòd horum præterita ſunt in uſu. Ut *ſeneſco* facit *ſenui* à *ſeneo*. At præterito carent, quorum verba primitiva non ſunt in uſu. Excipe paucula: ut *evileſco*. Nam *evilui* eſt apud Suetonium: nec tamen *evileo* legitur.

At

At, quæ à verbis veniunt, habent præterita primitivorum. Ut, *incalesco, incalui: obdormisco, obdormivi*[9].

Omnia autem sunt tertiæ conjugationis: ut, *labascere, calescere, tremiscere*, &c.

De frequentativis[1].

Frequentativa desinere dicuntur in *to, so*[2], *xo*, aut *co*: ut, *clamito, pulso, nexo, fodico*.

Ita vocant, quia significent frequentem actionem: ut, *clamito*, id est, frequenter clamo: *pulso*, id est, frequenter pello.

* *In multis tamen hæc significatio non invenitur. Nam* viso 3 *idem est, ac*, in eo sum, ut videam. *Et* dormito 4, capto, vendito, *notant*, desidero dormire, capere, vendere. Albico, *&* candico, *ponuntur pro*, aliquantum albeo, *&* candeo 5. *Fortasse etiam* fodico, *&* nexo, *non differunt à primitivis*, fodio, *ac* necto.

† Formantur hujusmodi verba à supino: idque bifariam. Alia enim mutant *UM*

in

9 Rarissimè tamen in ejuscemodi preteritis est significatio inchoandi: unde alii inchoativa omnia carere ajunt præterito. Cæterùm sunt quædam in *sco*, quæ inchoativa non sunt: velut omnia illa, quæ proprium habent præteritum. Ut *cresco crevi*, etsi sit à *creo*; *pasco pavi*, etsi sit à πάω: ac par ratio in *suesco*, quod ab obsoleto *sueo*, unde *suevi*: item in *disco*.

1 Quæ & *iterativa* vocantur.

2 Ad illa in *so* referunt exeuntia in *esso*: ut sex ista, *arcesso, capesso, facesso, incesso, lacesso, petesso*, ab *arcio, capio, facio, incio, lacio*, & *peto*. Sanè Festus *petessant*, sive *petissant*, exponit *sæpius petant*. Fortasse tamen *petesso* rectiùs interpreteris *ardenter expeto*. Quomodo intendat significationem, ac potiùs sit desiderativum. Sed Verrius monuerat, *petesso* antiquis idem esse ac *peto*, atque eadem forma dici *capesso*, & *incesso*. Quod si est, *esso* tantùm fuerit productio. Ut mirandum non sit, si non primæ conjugationis: contra naturam eorum, quæ verè sunt frequentativa. 3 Ideò desiderativum potiùs sit, quàm frequentativum. Nam conatum signat. 4 Nisi malis, *dormito* esse, *paullum, at non altum, dormio*. Quomodo propriè sit diminutivum. 5 Eòque & hæc veriùs sint diminutiva. Cùm igitur multa adeò non significent frequentem actionem: dicere liceat, istiusmodi verborum alia propriè esse frequentativa, quæ assiduum, vel crebrum notent conatum: alia quasi frequentativa, quæ formationem frequentativorum imitentur, non significationem.

in *O*[6], alia in *ITO*. In *O*, ut *tracto* à *tractu*; *verso* à *versu*; *adjuto* ab *adjutu*; *voluto* à *volutu*. Sed venientia à verbis primæ conjugationis mutant *A* in *I*: ut *clamito* à *clamatu*; *cœnito* à *cœnatu*[7].

† In *ITO* verò, ut ab *actum*, *actito*[8]; ab *hæsum*, *hæsito*.

† Quædam autem utroque modo formant frequentativa[9]: ut à *dictum*, *dicto*, & *dictito*; à *jactum*, *jacto*, & *jactito*; à *saltum*, *salto*, & *saltito*; à *gestum*, *gesto*, & *gestito*.

† Quædam etiam veniunt à secunda persona indicativi præsentis[10]: ut *agito* ab *agis*; *fugito* à *fugis*; *fodico* à *fodis*; *quærito*[11] à *quæris*.

† Sunt etiam frequentativa deponentia: ut, *sector* à *sequor*; *commentor* à *comminiscor*; *amplexor* ab *amplector*.

* *Frequentativa sunt primæ conjugationis, præter* viso 12 *tertiæ*.

6 *Vm*, vel *u*, mutant in *o*, vel *or*. Nam ut à *nexum*, vel *nexu*, est *nexo*; ita ab *amplexum*, vel *amplexu*, est *amplexor*. Sic & *grassor*. Sed hoc retinet vocalem præsētis *gradior*, non supini *gressu*. 7 Excipe *no*, *natu*, *nato*. 8 Nam *acto* non dicitur: uti nec *facto*, nisi in compositione; ut *labefacto*. 9 Illa in *ito* formare etiam possis ab aliis frequentativis: ut *dictito* à *dicto*, *lectito* à *lecto*, quo usus Horatius. Sic à *pulsu*, *pulso*; unde *pulsito*, ac per syncopen *pulto*. 10 Mutando *s* in *to*, vel *co*. Possis & huc cum aliquibus referre *clamito*, & similia à verbis primæ conjugationis, quæ mutant *as* in *i*. 11 Sic *fluito* à *fluis*. 12 Quod fortasse non est frequentativum. Uti nec illa in *esso*: quæ & ipsa tertiam sequuntur; ut jam diximus.

De Desideratives[1].

Desiderativa in *rio*[2] desinunt: ut, *esurio*, *parturio*.

1 Alii vocant *meditativa*. 2 Nec omnia in *rio*, sive *urio*, exeuntia, sunt desiderativa; nec sola. Non omnia, quia *ligurio*, & *scaturio*, non sunt hujus loci. Siquidem non significant desiderium; nec formantur à supino, & producunt *u* ante *rio*; ut *scaturis*, *liguris*: contrà quàm fit in veris desiderativis: ut, *parturis*, *cœnaturis*. *Prurio* quoque alius generis est: uti & *cucurio*, vel *cucurrio*: quod est à sono galli gallinacei; ut cognoscere est ex auctore Philomelæ. Nec sola in *rio* sunt desiderativa, sed quædam etiam in *to*; ut *capto*, hoc est, capere cupio. Qua de re diximus jam in frequentativis.

Signi-

Significat desiderium: ut, *esurio*, id est, cupio edere; *parturio*, id est, cupio parere.

† Formantur à supinis, mutando *um* in *urio*, *u* brevi: ut, *esurio*, *esuris*, ab *esu*: *parturio*, *parturis*, à *partu*. Sic *cœnaturio*, *nupturio* [3], &c.

Sunt autem conjugarionis quartæ.

3 Ad horum formā quædam à nominibus finxere. Ut Cicero, *Syllaturio*; Laberius, *Adolescenturio*.

De Diminutivis.

Diminutiva in *lo* desinunt: ut, *cantillo*, *sorbillo*.

Significant diminutionem sui primitivi: ut, *cantillo*, id est, parum, aut submissa voce canto [4].

Suntque primæ conjugationis.

4 Aliqua tamen nativā diminuendi significationem videntur exuisse; ut *refocillo*.

OBSERVATIO.

Sæpe derivativa pro ipsis primitivis usurpantur: ut *hisco*, pro *hio*; *conticesco*, pro *conticeo*; *ventito*, pro *venio*; *vocitor*, pro *vocor*, &c [1].

DE FIGURA.

* *Componuntur verba, vel cum nominibus: ut* belligero, *ex* bellum gero: *vel cum verbis, ut* calefacio, *ex* calere facio: *vel cum adverbiis, ut* benefacio: *vel cum præpositionibus, ut* advenio.

† Quædam sunt composita à simplicibus inusitatis: ut, *defendo*, & *offendo*, à *fendo* [2]: *adspicio*, *respicio*, à *specio*: *deleo* à *leo*, & similia [3].

1 In primis illa in *esso*. Sic *arma capere*, & *capessere* promiscuè legas. Item *jussa facere*, & *facessere*. Etiam *lacessere ad pugnam* significat *lacere*, sive *prolicere*, vel *provocare ad pugnam*. 2 Unde & *infensus*. 3 Sic *renideo* à *nideo*: *expedio*, *impedio*; *experior*, *comperior*; *compello*, *appello*; *impleo*; *compleo*; *conniveo*, à *niveo*; unde remansit *nictus*, & *nictare*; à *lacio*, *allicio*, *elicio*, & alia. Quædam veniunt à primigeniis Græcis. Ita *excello*, *præcello*, & similia, sunt à *cello*, unde *celsus*. *Cello* autem à κέλλω. *Comperior*, *experior* à πειρᾶσθαι. *Induo*, & *exuo*, ab ἐνδύω, & ἐκδύω, quæ à δύω.

* *Interdum autem mutant composita genus, aut conjugationem simplicis. Genus; ut*, sacro, exsecror; sentio, assentior; verto, divertor, revertor. *Conjugationem verò; ut* facere, magnificare 4. *Sic composita à* do; *ut*, addo reddo: *præter* circumdo, venundo, pessundo, satisdo. *Item à* cubo, *cùm recipiunt* m: *ut*, incumbo, recumbo, *&c. Nam* incubo, recubo, *& similia, manent primæ. Quædam simul & genus, & conjugationem, mutant: ut à* specio, conspicor, suspicor; *à* sperno, aspernor; *à* facio, gratificor, velificor. *Quòd si veteres non dixere* cando, *similiter à* candeo; *quod secundæ est, & neutrum: veniunt* accendo, incendo, succendo: *quæ tertiæ sunt, & activa.*

4 Similiter à *sternere, consternare*, & *exsternare*. Catull. *Quæ luctibus exsternavit*. Ovid. 12. Met. Fab. 1. *Consternatique timores.*

DE PARTICIPIIS.

PArticipium est vox à verbo derivata, variabilis per casus, ac rem significans cum tempore.

* *Ita vocatur, quia partem capit, tam à nomine, quàm à verbo. Nam, ut Nomen, variatur per genera, & declinatur per casus: atque, ut Verbum, unde derivatur, cum tempore significat actionem, passionem, aut exsistentiam rei.*

Ab Activis veniunt duo Participia; Præsens, & Futurum in *rus*: ut, *amans*, & *amaturus*, ab *amo*.

A Passivis veniunt duo Participia; Præteritum [1], & Futurum in *dus*: ut, *amatus*, & *amandus*, ab *amor*.

1 Præterita quædam in *tus*, etsi formæ sunt passivæ, habent tamen significationem activam. Ut, *cautus*, qui cavet: *tacitus*, qui *tacet*. Sic *argutus*, *circumspectus*, *consideratus*, *disertus*, *falsus*, *profusus*, *suetus*, cum compositis, *assuetus*, *consuetus*, *insuetus*.

A Neu-

A Neutris veniunt item duo, ut ab Activis; præsens, & futurum in *rus*: ut *stans*, & *staturus*, à *sto*.

A quibusdam Neutris veniunt tria; quæ videlicet præteritum faciunt more passivorum [2]: ut, *gaudens*, *gavisus*, & *gavisurus*, à *gaudeo*: *audens*, *ausus*, & *ausurus*, ab *audeo*. Etiam à *prandeo* sunt *prandens*, *pransus*, & *pransurus*: à *cœno*, *cœnans*, *cœnatus*, & *cœnaturus*.

* *A* fio *non videtur dici* fiens 3, *sed præteritum* factus, *&* *futurum* faciendus, *sunt à* facior. *Veniunt & participia ab impersonalibus in* t *exeuntibus*: *idque partim terminationis activæ*: *ut hæc*, pœnitens, decens, libens, *seu* lubens: *partim passivæ*: *ut*, pertæsus, pœnitendus, pudendus. *At longè plurima sunt ab impersonalibus in* tur: *ut* laboratus, regnatus, erratus, *& similia apud poetas* 4. *Item* dormiendus 5, arandus, *&c.*

2 Imò & quartũ hinc participium derivatur: ut apud Liviũ: *Audenda res tanto duci*. Sic *cœnanda olla*, apud Persium. A *juro* item est *jurans*, *juraturus*, *juratus*, & *jurandus*. *Iuratus* qui juravit, cui contrarium *injuratus*. *Iurandæ aræ*, apud Horatium. Indeque *jusjurandum*. A *placeo* est *placens*, *placiturus*, *placitus*, & *placendus*. Ut *placita philosophorum*: *placenda dos*, apud Plautum Trinummo, sc. ult. 3 Diomedes quidem, *fiens* agnoscit: sed non puto reperiri apud idoneos scriptores. 4 Participia hujusmodi in *tus*, ab impersonalibus venientia, interdum & reperias apud oratores, & historicos. Ut, apud Livium lib.22. *evasus exercitu*, qui evasit. Apud Plinium Paneg. *honores festinati*, h. e. accelerati. Simileque apud Tacitum in vita Agricolæ, *mors festinata*. Ejusdem est, *triumphati magis, quàm victi Germani*. Apud Suetonium in Jul. *conspirati*, qui conspirarunt. Aliqua etiam occurrunt, quorum impersonalia in *tur* non sunt in usu. Ut *adulta virgo*, apud Cic. quæ adolevit. Et Justini lib.43. *apud pastores adultus*. Simileque, *concretus aer*, apud Cic. & *concretæ aquarum moles*, apud Justinum lib.31. *Emersus è flumine*, apud eundem Cic. h. e. qui emersit. 5 Etiam hujusmodi in *dus* partim veniunt ab usitatis impersonalibus in *tur*: partim inusitatis. Usitatis, ut, *dormiendus* à *dormitur*: à *regnatur* est, *regnanda Alba*, apud Maronem: ab *exitur*, *exeundi ordinis*, apud Tacitum 11. Annal. At non existimem, legi *caretur*: unde tamen *carendus*. Nec temerè *senescitur* dixerim. At Varronis est, *senescendorum hominum longissimum spatium seculum*.

A Deponentibus veniunt tria participia; Præſens, Præteritum, & Futurum in *rus*: ut *proficiſcens*, *profectus*, & *profecturus*, à *proficiſcor*. Totidem participia habent *orior*, *morior*, *lætor*, *nitor*. Sed multis accedit quartum in *dus*: maximè iis, quorum præterita adhuc paſſivè inveniuntur: ut, *ſequendus*, *hortandus*, *venerandus*, *amplectendus*, *conſolandus*, &c. cujuſmodi futura paſſivè ſemper ſumuntur.

Participio accidunt, Genus, Caſus, Declinatio, Comparatio, & Tempus.

De Genere.

Omnia participia ſunt generis omnis.

Quæ in *ns* deſinunt, una efferuntur terminatione: ut, *hic*, & *hæc*, & *hoc amans*.

Quia nempe omnia ſunt adjectiva.

Cætera omnia tribus: ut, *hic lectus*, *hæc lecta*, *hoc lectum*, &c.

De Declinatione.

Participia in *ns* ſunt tertiæ declinationis: cætera omnia ſæcundæ, & primæ.

* *Notandum hic eſt anomalum*, iens, euntis, eunti, euntem, *cum compoſitis*; *ut*, abiens, rediens, *&c.* *Sed* ambientis *dicitur ab* ambio; *quod communi lege, ut* audio, *conjugatur*.

De Comparatione.

Participia omnia ſunt adjectiva: ac, eorum inſtar, quædam etiam comparantur.

tur [1]. Ut apud Ciceronem, *exspectatior*, *exspectatissimus*; *optatior*, *optatissimus*; *intricatior*, *intricatissimus*; *confusior*, *confusissimus*; & id genus alia [2].

1 Nempe ex illis in *tus*: cujusmodi sunt ea, quæ hìc recensentur. Ut fallantur Grammatici, qui arbitrantur, participia omnia comparatione in nomina converti. Sed verum est illud de participiis in *ns*: ut, *amantior tui*. Nam si participium esset; ut dicitur *amans te*, sic etiam diceretur, *amantior te*. Nulla verò comparantur in *rus*, vel *dus*. Nam *reverendissimus*, *colendissimus*, *observandissimus*, recepta quidem sunt; Latina verò non sunt. 2 Quædam horum extra positivum vix aliter, quàm in alterutro gradu, reperias. Ut in comparativo, *tectior*, *spoliatior*, *damnatior*: in superlativo, ut *persuasissimus*, fortasse & *laudatissimus*.

De Tempore.

Tempora Participiorum sunt tria: Præsens, Præteritum, & Futurum.

Præsentis temporis sunt, quæ desinunt in *ns*. Hæc formantur à præterito imperfecto, ultima syllaba mutata in *ns*, ut, *amabam*, *amans*; *legebam*, *legens*. Sed *iens* [1], ab *ibam*, assumit *e*.

Præteriti temporis sunt, quæ desinunt in *tus*, *sus*, *xus* [2]. Hæc formantur à priori [3] supino: ut, *amatus* ab *amatum*, *visus* à *visum*, *pexus* à *pexum*.

Futuri temporis sunt, quæ desinunt in *rus*, & *dus*. Quæ in *rus* desinunt, formantur à supino [4]: ut, *amaturus*, ab *amatum*. Quæ in *dus*, à participio præsenti: ut, *amandus*, ab *amans*; *legendus*, à *legens*.

1 Tanquam ab *eibam*, unde esset *eiens*, τετρασυλλάβως; pro quo κατ' ἀφαίρεσιν *iens* dicimus. In obliquis tamen, sicut dictum est *euntis*, *eunti*, &c.

2 Unum exit in *uus*, puta *mortuus*, quod aliqui malunt esse nomen. 3 Alii dicunt à posteriori supino. Sed hoc in deponentibus non habet locum: quia illa posteriori supino carent. 4 Quædam tamen non sequuntur analogiam: ut, *sonaturus*, *pariturus*, *nasciturus*, *oriturus*, *moriturus*, &c.

* *Quia participium in* dus, *formatur à præsenti*, *eò omnia deponentia habent hoc participium : ut*, vescendus à vescens. *At caret hoc verbum participio præteriti temporis*, *& futuro in* rus : *quia supinis caret*, *unde ejusmodi participia descendunt*.

Ejiciundus, gerundus 5, *& similia per Antithesin dicuntur* 6, *pro* ejiciendus, gerendus. *Sic* ercifcunda familia, *ab* erciscor, *hoc est*, divido. *In hujusmodi participiis*, *uti & gerundiis* 7, *videndum est*, *quid usus probarit* 8.

5 Unde & *gerundiis* nomen pro *gerendiis*. Si tamen accuratè loquendum; *gerundiæ*, vel *gerundivæ*, rectiùs dicantur, quàm *gerundia*: uti dictum, cùm de Verborum Modis ageremus. 6 In verbis tertiæ, & quartæ. 7 Ut apud Sallust. Jug. *Subveniundum Adherbali est*. 8 Itaque dixerim, *repetenda urbs*, *verba*, *lectio*: at dicam, *crimen repetundarum*: hoc in *eo*, ejusque compositis, perpetuum est. Ut, *eundum*, *abeundum*, *redeundum*, & præterquam in *ambiendus* ab *ambio*. Etiam ab *orior* solùm dicitur *oriundus*. Verùm hoc non habet futuri significationem.

OBSERVATIO I.

Circumlocutio per participium, *& verbum substantivum*, *non tantùm in præterito perfecto*, *& plusquamperfecto vocis passivæ*, *& futuro utriusque vocis in infinitivo*; *sed etiam extra hæc locum habet*. *Ut*, amaturus sum, *vel* ero; amaturus eram, fui, fueram, fuissem; amaturus sim, fuero 1, *&c.*

1 Ambigunt nonnulli de iis: ubi verbum substantivum æquè est futuri temporis, ac participium; ut, *amaturus ero*, vel *fuero*. Sed Ciceronis est: *Ipso die*, *quo venturus ero*. Simileque illud, ex eodem superiùs allatum: *Te fore ad me venturum*.

OBSERVATIO II.

Participia fiunt nomina:

1. Amissione temporis. Ut, *sapiens*, *serpens*, *sponsa*, cùm substantivè sumuntur. Item *doctus*, pro homine gnaro, & doctrina

præ-

prædito; *reverendus*, pro eo, qui dignus est reverentia [1].

11. Mutata constructione, seu regimine verbi: ut, *amans pecuniæ*, *patiens inediæ* [2]. Nam constructio verbi exigeret, *amans pecuniam*, *patiens inediam*.

1 Sic *acceptus* pro grato: parque ratio in *evidens*, *innocens*, & similibus: quæ non ob compositionem, sed ob temporis amissionem, mutatamque significationem nomina censentur.

2 Similiter in gradibus aliis: ut *amantior pecuniæ*, *patientissimus inediæ*.

* *Addunt aliqui, fieri & ea nomina, partim comparatione, qua participia minimè carere, paullò antè vidimus; partim compositione, in quo æquè aberratum. Nam participia multa per se composita sunt, quorum verba non componuntur. Ut*, infandus, nefandus, immerens, insciens, inultus, insperans, inausus, illaudatus, inexpertus, imperterritus, inhumatus, indictus, invocatus, inauditus; *pro* non dictus, non vocatus, non auditus, *&c.*

DE ADVERBIIS.

Adverbium [1] est dictio indeclinabilis [2], quæ adjicitur nomini, aut verbo [3], ad explicandam ejus circumstantiam [4].

1 Ut se adjectivum habet ratione substantivi, atque inde *adjectivum* dicitur: ita & se habet adverbium ratione verbi, ac propterea *adverbium* vocatur: nempe quia plurimum adjicitur verbo, ad declarandum ejus modum; præcipuè autem actionis, vel passionis circumstantiam. 2 Hoc est, invariabilis per casus, numeros, tempora, aut modos. Nam quædam adverbia per gradus comparationis variantur. 3 Imò pronomini quoque, ac participio: ut *planè noster*; *clarè loquens*: ac interdum & ipsi adverbio: ut, *sat citò*. Quare perfectior sit definitio, si dicas, *quæ adjicitur alteri voci*. 4 Sive declarationis alicujus causa. Nam circumstantiæ vocabulo latiùs hìc utuntur Grammatici, quàm à Logicis fieri solet.

Significationes Adverbiorum sunt multæ.

Quædam enim sunt loci; eaque quadruplicia.

I. In loco [5]: ut, *hìc*, *illic*, *istic*, *ibi*, *ubi*, *ubique*, *ubicunque*, *alibi*, *intus*, *foris*, &c. Ex his duo postrema etiam de loco significant.

II. Ad locum [6]: ut, *huc*, *illuc*, *istuc*, *eò*, *quò*, *aliquò*, *quocunque*, *intrò*, *foras*, &c.

Et quæ versus locum significant: ut, *introrsum*, *retrorsum*, *sursum*, *deorsum*, *quorsum*, *dextrorsum*, *lævorsum* [7], &c.

III. De loco: ut, *hinc*, *illinc*, *istinc*, *inde*, *unde*, *aliunde*, *cœlitus* [8], *funditus*, *radicitus*, *infernè*, *supernè* [9], &c.

IV. Per locum: ut, *quà* [10], *hac*, *illac*, *istac*, *eà*, &c.

† Variè [11] significant *peregrè*, & *nusquam*. Dicimus enim, *peregrè* [12] *absum*, *peregrè abeo*, *peregrè domum redeo*: & *nusquam apparet*, *nusquam discessit* [13].

* *Adverbia loci, sæpiùs ponuntur pro relativo. Cic. 2. de Leg.* Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. Ubi, *pro in quo. Terent. Eun.*

Mercator hoc addebat, è prædonibus,
Unde emerat, se audisse abreptam è Sunio.

Unde, *pro, à quibus*.

Quædam etiam Adverbia loci aliquando tempus significant: ut Terent. in Eunuch. Ubi videt me homo esse in tantum honorem, ibi cœpit me obsecrare, *&c.* 14.

5 Ad adverbia in loco etiam pertinent hæ præpositiones, cùm casu amisso fiunt adverbia: *supra*, *infra*, *ante*, *post*, *pone*, *prope*, *propter*, *extra*, *juxta*.

6 Quorum pleraque veriùs sunt nomina, quàm adverbia. Ut *quo*, *aliquo*, *quocunque*, puta *loco*. Imò & *huc*, pro *ad hoc*, & quædam alia.

7 Sunt hæc composita à *versum*, sive *vorsum*. Nam *introrsum* valet *introversum*. Sic *horsum*, *huc vorsum*; atque ita in aliis.

8 Sed vocem *cœlitus* non temerè usurpem. Usi Lactantius, Serviusque. Sed, ut censeo, nemo qui Augusti, vel proximo ævo, vixerit. 9 Sic *eminus*, *comminus*. 10 In quibus respicitur ad nomen *via*. Sic & *recta*, *quaqua*, *qualibet*, *quacunque*: scilicet *via*. 11 Id est, locum varium. 12 Aliqui distinguunt, ut *peregri* sit in loco: *peregre*, ad locum & de loco. Curiosiùs, quàm veriùs, meo judicio. 13 Par ratio in *usquam*, & *longè*. 14 Veterum aliqui, quia *domi*, *domum*, *domo*, Græcè per adverbia exprimantur, (nam *domi* οἴκοι, *domum* οἴκαδε, *domo* οἴκοθεν) eò hæc Latinis quoque adverbia esse arbitrantur. Sed obstat quod dicitur, *domi meæ*, & similia.

Tem-

Temporis: ut, *hodie*, *nunc*, *heri*, *nuper*, *cras*, *perendie*, *aliquando*, *jam*, *tum*, *manè*, *serò*, *semper*, *pridem*, *dudum*, *olim*, *quondam*, *nudius tertius*, *nudius quartus*, &c. [15].

Usque, & loci, & temporis, adverbium est: ut, *Ad flumen usque persecutus est hostem. Ad horam usque octavam* [16].

15 Sic Plautus etiam Mostell. *nudiusquinctus*, & *nudiussextus*. Imò Cicero ipse Philipp. 5. *nudiustertius dicimus*. Hujusmodi tamen nihil mihi adverbii habere videntur; nisi quòd *nunc* in *nudius* insit. Nam dicitur, quasi *nunc dies*. Veriùs adverbia temporis sunt *porrò*, & *proporro*; quod apud Lucretium. Ad ejusmodi adverbia aliqui etiam referunt *diu*, *noctu*, imò & *interdiu*. Alii censent esse nomina μονόπτωτα ablativi casus. Sanè similiter ablativi videntur adverbialiter positi, ac isti, *die pristini*, *die crastini*, *die quarti*, *die quincti*, *die noni*, pro *die priori*, seu *pridie*, *die crastino*, *quarto*, *quincto*, *nono*. Qualia & per e efferebantur: ut, *diequarte*, *diequincte*; nempe quomodo *peregri*, & *peregre*; *heri*, & *here*; *præfiscini*, & *præfiscine* dixerunt. Vide Gellium lib. 10. cap. 24. 16 *Hactenus* quoque tum loci est, tum temporis. Quandoque etiam rem ipsam restringit. Sueton. in Ner. cap. 40. *Hactenus excanduit, ut malum iis minaretur*: id est, non ulteriùs, quàm eo.

Numeri: ut, *semel*, *bis*, *ter*, *quater*, *quinquies*, *sexies*, *septies*, *octies*, *novies*, *decies*, *vicies* [17], *tricies*, *quadragies*, *quinquagies*, *sexagies*, *septuagies*, *octogies*, vel *octuagies*, *nonagies*, *centies*, *millies* [18]. Item quæ numerum indefinitum significant: *sæpè*, *raro*, *rursus*, *iterum*, *toties*, *quoties*, &c.

17 Supra *vicies* major numerus præit sine copula: minor sequitur ferè cum copula: ut, *vicies bis*; vel *bis*, *& vicies*: *quadragies*, *quinquies*; vel *quinquies*, *& quadragies*. Columella tamen etiam dixit, *vicies & semel*. At supra *centies* usitatè major numerus, nunc cum copula, nunc absque ea, præcedit: ut, *centies vicies*, vel *centies*, *& vicies*. Verùm hæc ad structuram potiùs pertinent. 18 Sic ordinem significantia: ut, *primò*, vel *primum*, *secundò*, vel *secundum*, *tertiò*, vel *tertium*, *quartò*, vel *quartum*, &c. Vide Gellium lib. 10. cap. 1. & Vallam lib. 3. cap. 59.

Sic composita, *intueor*, *intuor*; *contueor*, *contuor*; *obtueor*, *obtuor* [2].

Usitatè etiam *oleo*, *oles*, dicitur: at *oleo*, *olis*, inusitatè.

Sed utraque conjugatione frequentatur *tergeo*, *terges*, & *tergo*, *tergis*. Ut & compositum *detergeo* [3], & *detergo*.

Quædam tertiæ usitatiùs, ac rariùs quartæ: ut,

Fodio, *fodis*, *fodere*,	&	*Fodio*, *fodis*, *fodire* 4.
Lino, *linis*, *linere*,		*Linio*, *linis*, *linire*.
Sallo, *sallis*, *sallere*,		*Sallio*, *sallis*, *sallire* 5.
Morior, *moreris*.		*Morior*, *moriris* 6, antiquè.

Sic *orior*, *oreris*, &, *orior*, *oriris*.
Potior, *poteris*, &, *potior*, *potiris*.

Sed hæc in infinitivo semper sunt quartæ, *oriri*, *potiri*: in indicativo autem *orior* quidem nunc semper tertiæ est: *potior* autem in utraque conjugatione apud poetas invenitur; sed ita, ut *potitur* in tertia iis sit usitatius.

* *Est & verbum, quod usitatiùs sit secundæ; rariùs quartæ: puta* cieo, cies, ciere, *&* cio, cis, cire: *unde* accire, *&* accitus.

DE GERUNDIIS DUARUM

postremarum conjugationum.

Gerundia tertiæ, & quartæ conjugationis sæpè per antithesin pro e *habent* u: *ut*, faciundi, faciundo, faciundum. *Sic* experiundi, *& similia. Ac par ratio est participiorum in* dus; *ut inferiùs dicetur. Antithesis est literæ pro litera positio.*

2 Unde est verbale *obtutus*, ad instar adjectivi *tutus* à simplici *tuor*.

3 *Abstergeo* in secunda usurpat Ter. Eun. act. 4. sc. 7. & Curt. lib. 9. Itidem *extergeri* est apud Varronem in 3. de re R.

4 *Fodiri* in infinitivo passivo Columella usurpat libri de Arboribus cap. ult. & alibi.

5 A *sallo* est *salsus*; at *sallitus* est à *sallio*. Pro quo etiam dicitur *salio*, *salis*, *salire*: unde *salitura*.

6 *Moriri* tamen pro *mori*, est apud Ovidium 14. Met. Ac Ter. Eun. Act. 3. sc. 1. *Risu omnes, qui aderant, emoriri.*

DE DERIVATIS.

Verba, quæ aliunde originem habent, ferè [1] derivantur, vel à nominibus, vel à verbis.

A nominibus derivantur duplicia, Imitativa, & Denominativa.

1 Pauca enim excipiuntur: ut *satio* à *satis*, *intro* ab *intra*, *supero* à *super*, &c.

De Imitativis.

Imitativa dicuntur, quæ imitationem significant: ut [1] *patrisso*, *atticisso*, *græcor*, *vulpinor*, *cornicor*, &c.

1 Terminatione in *isso* quæ Græcanica est ex ίζω, minùs delectati sunt Latini. Itaque pro *Græcisso* potiùs dixere *Græcor*; atque ita ferè in aliis. Sunt qui imitativa comprehendant sub frequentativis; quia imitatio constet frequenti actione. Sed possim, & semel duntaxat, aliquem imitari in omni vita. Alius quoque est considerandi modus, quo frequens actio, quàm quo imitatio attenditur. Ut mittam, quòd frequentativa potiùs veniant à verbis, imitativa à nominibus.

De Denominativis.

Denominativa dicuntur, quæ à nominibus veniunt, & propriam appellationem non habent [1]: ut, *linor*, *frumentor*, *aquor*, *rusticor*, &c.

A verbis derivantur quadruplicia, Inchoativa, Frequentativa, Desiderativa, Diminutiva.

1 Si laxè uti placet voce *denominativorum*, omnia verba à nomine venientia fuerint denominativa, etiam imitativa. Sed hìc pressè dicuntur *denominativa*, prout diversam constituunt speciem ab imitativis, & nonnullis etiam inchoativis; imò & desiderativis. Nam & eorum quædam à nominibus venire, mox planum faciemus.

De Inchoativis [1].

Inchoativa in *sco* [2] desinunt: ut *lucesco*, *calesco*, *ardesco*, &c.

Significant ferè inchoationem [3]: atque exponuntur per *incipio*, vel *fio*: ut *ardesco*, id est, incipio ardere: *maturesco*, id est, fio maturus: *vesperascit*, id est, fit vespera [4].

† Formantur à secunda persona præsentis; idque in quavis conjugatione: ut *labasco* à *labas*, *calesco* à *cales* [5], *tremisco* à *tremis*, *obdormisco* ab *obdormis* [6]. Sed per syncopen dicitur *hiasco*, pro *hisco* [7], ab *hias*.

† Quædam autem etiam à nominibus formantur: ut, *ægresco* ab *æger*, *dulcesco* à *dulcis*, *repuerasco* à *puer*, &c. [8].

† Hujusmodi quæ sunt, præteritis carent.

1. tur, quæ significant rē inchoatam, & invalescentem. Nec enim hìc sola inchoatio debet attendi, etsi inde nomen imposuerint Grammatici: sed etiam incrementū: ut non minùs vocari possint αὐξητικά, quasi dicas *augmentativa*. Imò interdum posterior solùm significatio habet locum: ut cùm ejusmodi verbo addicitur *incipit*, aut *cœpit*: ut, *incipit maturescere*, *cœpit tumescere*. 2. Vel *scor*, si deponentia fuerint: ut *fruiscor*. 3. Non inchoationem simpliciter, sed, ut dixi, cum incremento. Itaque *ardesco* valet quidem, *incipio ardere*: sed simul etiam significat, *magis magisque ardeo*. Ut 1. Æn. *Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo*. Et 12. Æn. *Exsuperat magis, ægrescitque medendo*. Ubi Servius: *Inde magna ejus ægritudo crescebat*. Sic *obduresco*, in dies fio durior. Vide, quæ contra Priscianum Valla libro 1. disputat de verbis in *sco*. 4. Inchoativa igitur neutralem habent significationem: ut, quæ eam non habent, non sint inchoativa. Cujusmodi sunt, *disco*, & *pasco*, de quibus mox loquar. 5 A *puteo* tamen dicimus *putisco*, e in *i* abeunte. 6. Ἀναλογία hæc etiam attenditur in deponentibus, & impersonalibus. Ut *fruiscor*, quasi à *fruis*; & *miserescit*, quasi à *miseret*. 7 Integro *hiasco* usus Cato de R. R. 8. Ut inter alia *herbesco*, *sylvesco*. Nisi placeat, omnia hujus generis venire à verbis inusitatis, *ægreo*, *dulceo*, *repuero*, *herbeo*, *sylveo*. Vulgò deducunt *calvesco* à *calvus*, *canesco* à *canus*, *senesco* à *senex*. At *calveo* est apud Plinium; *caneo* apud Virgilium; *seneo* apud Catullum. Quare denominativa sunt; sed non αὐξητικά. Prætereà id discriminis est, quòd horum præterita sunt in usu. Ut *senesco* facit *senui* à *seneo*. At præterito carent, quorum verba primitiva non sunt in usu. Excipe paucula: ut *evilesco*. Nam *evilui* est apud Suetonium: nec tamen *evileo* legitur.

At

At, quæ à verbis veniunt, habent præterita primitivorum. Ut, *incalesco*, *incalui*: *obdormisco*, *obdormivi* [9].

Omnia autem sunt tertiæ conjugationis: ut, *labascere*, *calescere*, *tremiscere*, &c.

[9] Rarissimè tamen in ejuscemodi preteritis est significatio inchoandi: unde alii inchoativa omnia carere ajunt prætérito. Cæterùm sunt quædam in *sco*, quæ inchoativa non sunt: velut omnia illa, quæ proprium habent præteritum. Ut *cresco crevi*, etsi sit à *creo*; *pasco pavi*, etsi sit à πάω: ac par ratio in *suesco*, quod ab obsoleto *sueo*, unde *suevi*: item in *disco*.

De frequentativis [1].

Frequentativa desinere dicuntur in *to*, *so* [2], *xo*, aut *co*: ut, *clamito*, *pulso*, *nexo*, *fodico*.

Ita vocant, quia significent frequentem actionem: ut, *clamito*, id est, frequenter clamo: *pulso*, id est, frequenter pello.

* *In multis tamen hæc significatio non invenitur. Nam* viso [3] *idem est*, *ac*, in eo sum, ut videam. *Et* dormito [4], capto, vendito, *notant*, desidero dormire, capere, vendere. Albico, *&* candico, *ponuntur pro*, aliquantum albeo, *&* candeo [5]. *Fortasse etiam* fodico, *&* nexo, *non differunt à primitivis* fodio, *ac* necto.

† Formantur hujusmodi verba à supino: idque bifariam. Alia enim mutant *UM*

[1] Quæ & *iterativa* vocantur.

[2] Ad illa in *so* referunt exeuntia in *esso*: ut sex ista, *arcesso*, *capesso*, *facesso*, *incesso*, *lacesso*, *petesso*, ab *arcio*, *capio*, *facio*, *incio*, *lacio*, & *peto*. Sanè Festus *petessant*, sive *petissant*, exponit *sæpius petant*. Fortasse tamen *petesso* rectiùs interpreteris *ardenter expeto*. Quomodo intendat significationem, ac potiùs sit desiderativum. Sed Verrius monuerat, *petesso* antiquis idem esse ac *peto*, atque eadem forma dici *capesso*, & *incesso*. Quod si est, *esso* tantùm fuerit productio. Ut mirandum non sit, si non primæ conjugationis; contra naturam eorum, quæ verè sunt frequentativa. [3] Ideò desiderativum potiùs sit, quàm frequentativum. Nam conatum signat. [4] Nisi malis, *dormito* esse, *paullum*, *at non altum*, *dormio*. Quomodo propriè sit diminutivum. [5] Eòque & hæc veriùs sint diminutiva. Cùm igitur multa adeò non significent frequentem actionem: dicere liceat, istiusmodi verborum alia propriè esse frequentativa, quæ assiduum, vel crebrum notent conatum: alia quasi frequentativa, quæ formationem frequentativorum imitentur, non significationem.

in *O*[6], alia in *ITO*. In *O*, ut *tracto* à *tractu*; *verso* à *versu*; *adjuto* ab *adjutu*; *voluto* à *volutu*. Sed venientia à verbis primæ conjugationis mutant *A* in *I*: ut *clamito* à *clamatu*; *cœnito* à *cœnatu*[7].

† In *ITO* verò, ut ab *actum*, *actito*[8]; ab *hæsum*, *hæsito*.

† Quædam autem utroque modo formant frequentativa[9]: ut à *dictum*, *dicto*, & *dictito*; à *jactum*, *jacto*, & *jactito*; à *saltum*, *salto*, & *saltito*; à *gestum*, *gesto*, & *gestito*.

† Quædam etiam veniunt à secunda persona indicativi præsentis[10]: ut *agito* ab *agis*; *fugito* à *fugis*; *fodico* à *fodis*; *quærito*[11] à *quæris*.

† Sunt etiam frequentativa deponentia: ut, *sector* à *sequor*; *commentor* à *comminiscor*; *amplexor* ab *amplector*.

* *Frequentativa sunt primæ conjugationis, præter* viso[12] *tertiæ*.

6 *Vm*, vel *u*, mutant in *o*, vel *or*. Nam ut à *nexum*, vel *nexu*, est *nexo*; ita ab *amplexum*, vel *amplexu*, est *amplexor*. Sic & *grassor*. Sed hoc retinet vocalem præsẽtis *gradior*, non supini *gressu*.
7 Excipe *no*, *natu*, *nato*.
8 Nam *acto* non dicitur: uti nec *facto*, nisi in compositione; ut *labefacto*.
9 Illa in *ito* formare etiam possis ab aliis frequentativis: ut *dictito* à *dicto*, *lectito* à *lecto*, quo usus Horatius. Sic à *pulsu*, *pulso*; unde *pulsito*, ac per syncopen *pulto*. 10 Mutando *s* in *to*, vel *co*. Possis & huc cum aliquibus referre *clamito*, & similia à verbis primæ conjugationis, quæ mutant *as* in *i*. 11 Sic *fluito* à *fluis*. 12 Quod fortasse non est frequentativum. Uti nec illa in *esso*: quæ & ipsa tertiam sequuntur; ut jam diximus.

De Desiderativis[1].

Desiderativa in *rio*[2] desinunt: ut, *esurio*, *parturio*.

1 Alii vocant *meditativa*.
2 Nec omnia in *rio*, sive *urio*, exeuntia, sunt desiderativa; nec sola. Non omnia, quia *ligurio*, & *scaturio*, non sunt hujus loci. Siquidem non significant desiderium; nec formantur à supino, & producunt *u* ante *rio*; ut *scaturis*, *liguris*: contrà quàm fit in veris desiderativis: ut, *parturis*, *cœnaturis*. *Prurio* quoque alius generis est: uti & *cucurio*, vel *cucurrio*; quod est à sono galli gallinacei; ut cognoscere est ex auctore Philomelæ. Nec sola in *rio* sunt desiderativa, sed quædam etiam in *to*; ut *capto*, hoc est, capere cupio. Qua de re diximus jam in frequentativis.

Signi-

Significat desiderium: ut, *esurio*, id est, cupio edere; *parturio*, id est, cupio parere.

† Formantur à supinis, mutando *um* in *urio*, *u* brevi: ut, *esurio*, *esuris*, ab *esu*: *parturio*, *parturis*, à *partu*. Sic *cœnaturio*, *nupturio* [3], &c.

Sunt autem conjugarionis quartæ.

3 Ad horum formã quædam à nominibus finxere. Ut Cicero, *Syllaturio*; Laberius, *Adolescenturio*.

De Diminutivis.

Diminutiva in *lo* desinunt: ut, *cantillo*, *sorbillo*.

Significant diminutionem sui primitivi: ut, *cantillo*, id est, parum, aut submissa voce canto [4].

Suntque primæ conjugationis.

4 Aliqua tamen nativã diminuendi significationem videntur exuisse; ut *refocillo*.

OBSERVATIO.

Sæpe derivativa pro ipsis primitivis usurpantur: ut *hisco*, pro *hio*; *conticesco*, pro *conticeo*; *ventito*, pro *venio*; *vocitor*, pro *vocor*, &c [1].

1 In primis illa in *esso*. Sic *arma capere*, & *capessere* promiscuè legas. Item *jussa facere*, & *facessere*. Etiam *lacessere ad pugnam* significat *lacere*, sive *prolicere*, vel *provocare ad pugnam*.

DE FIGURA.

* *Componuntur verba*, *vel cum nominibus*: *ut* belligero, *ex* bellum gero: *vel cum verbis*, *ut* calefacio, *ex* calere facio: *vel cum adverbiis*, *ut* benefacio: *vel cum præpositionibus*, *ut* advenio.

† Quædam sunt composita à simplicibus inusitatis: ut, *defendo*, & *offendo*, à *fendo* [2]: *adspicio*, *respicio*, à *specio*: *deleo* à *leo*, & similia [3].

2 Unde & *infensus*. 3 Sic *renideo* à *nideo*: *expedio*, *impedio*; *experior*, *comperior*; *compello*, *appello*; *impleo*; *compleo*; *conniveo*, à *niveo*; unde remansit *nictus*, & *nictare*; à *lacio*, *allicio*, *elicio*, & alia. Quædam veniunt à primigeniis Græcis. Ita *excello*, *præcello*, & similia, sunt à *cello*, unde *celsus*. *Cello* autem à κέλλω. *Comperior*, *experior* à πειρᾶσθαι. *Induo*, & *exuo*, ab ἐνδύω, & ἐκδύω, quæ à δύω.

* *Interdum autem mutant composita genus, aut conjugationem simplicis. Genus; ut*, sacro, exsecror; sentio, assentior; verto, divertor, revertor. *Conjugationem verò; ut* facere, magnificare 4. *Sic composita à* do; *ut*, addo reddo: *præter* circumdo, venundo, pessundo, satisdo. *Item à* cubo, *cùm recipiunt* m: *ut*, incumbo, recumbo, *&c. Nam* incubo, recubo, *& similia, manent primæ. Quædam simul & genus, & conjugationem, mutant: ut à* specio, conspicor, suspicor; *à* sperno, aspernor; *à* facio, gratificor, velificor. *Quòd si veteres non dixere* cando, *similiter à* candeo; *quod secundæ est, & neutrum: veniunt* accendo, incendo, succendo: *quæ tertiæ sunt, & activa.*

4 Similiter à *sternere, consternare*, & *exsternare*. Catull. *Quē luctibus exsternavit*. Ovid. 12. Met. Fab. 1. *Consternatique timores.*

DE PARTICIPIIS.

PArticipium est vox à verbo derivata, variabilis per casus, ac rem significans cum tempore.

* *Ita vocatur, quia partem capit, tam à nomine, quàm à verbo. Nam, ut Nomen, variatur per genera, & declinatur per casus: atque, ut Verbum, unde derivatur, cum tempore significat actionem, passionem, aut exsistentiam rei.*

Ab Activis veniunt duo Participia; Præsens, & Futurum in *rus*: ut, *amans*, & *amaturus*, ab *amo*.

A Passivis veniunt duo Participia; Præteritum [1], & Futurum in *dus*: ut, *amatus*, & *amandus*, ab *amor*.

1 Præterita quædam in *tus*, etsi formæ sunt passivæ, habent tamen significationem activam. Ut, *cautus*, qui cavet: *tacitus*, qui *tacet*. Sic *argutus*, *circumspectus*, *consideratus*, *disertus*, *falsus*, *profusus*, *suetus*, cum compositis, *assuetus*, *consuetus*, *insuetus*.

A Neu-

A Neutris veniunt item duo, ut ab Activis; præsens, & futurum in *rus*: ut *stans*, & *staturus*, à *sto*.

A quibusdam Neutris veniunt tria; quæ videlicet præteritum faciunt more passivorum [2]: ut, *gaudens*, *gavisus*, & *gavisurus*, à *gaudeo*: *audens*, *ausus*, & *ausurus*, ab *audeo*. Etiam à *prandeo* sunt *prandens*, *pransus*, & *pransurus*: à *cœno*, *cœnans*, *cœnatus*, & *cœnaturus*.

2 Imò & quartũ hinc participium derivatur: ut apud Liviũ: *Audenda res tanto duci*. Sic *cœnanda olla*, apud Persium. A *juro* item est *jurans*, *juraturus*, *juratus*, & *jurandus*. *Iuratus* qui juravit, cui contrarium *injuratus*. *Iurandæ aræ*, apud Horatium. Indeque *jusjurandum*. A *placeo* est *placens*, *placiturus*, *placitus*, & *placendus*. Ut *placita philosophorum*: *placenda dos*, apud Plautum Trinummo, sc. ult.

* *A* fio *non videtur dici* fiens [3], *sed præteritum* factus, *&* *futurum* faciendus, *sunt à* facior. *Veniunt & participia ab impersonalibus in* t *exeuntibus*: *idque partim terminationis activæ*: *ut hæc*, pœnitens, decens, libens, *seu* lubens: *partim passivæ*: *ut*, pertæsus, pœnitendus, pudendus. *At longè plurima sunt ab impersonalibus in* tur: *ut* laboratus, regnatus, erratus, *& similia apud poetas* [4]. *Item* dormiendus [5], arandus, *&c.*

3 Diomedes quidem, *fiens* agnoscit: sed non puto reperiri apud idoneos scriptores. 4 Participia hujusmodi in *tus*, ab impersonalibus venientia, interdum & reperias apud oratores, & historicos. Ut, apud Livium lib. 22. *evasus exercitu*, qui evasit. Apud Plinium Paneg. *honores festinati*, h. e. accelerati. Simileque apud Tacitum in vita Agricolæ, *mors festinata*. Ejusdem est, *triumphati magis, quàm victi Germani*. Apud Suetonium in Jul. *conspirati*, qui conspirarunt. Aliqua etiam occurrunt, quorum impersonalia in *tur* non sunt in usu. Ut *adulta virgo*, apud Cic. quæ adolevit. Et Justini lib. 43. *apud pastores adultus*. Simileque, *concretus aer*, apud Cic. & *concretæ aquarum moles*, apud Justinum lib. 31. *Emersus è flumine*, apud eundem Cic. h. e. qui emersit. 5 Etiam hujusmodi in *dus* partim veniunt ab usitatis impersonalibus in *tur*: partim inusitatis. Usitatis, ut, *dormiendus* à *dormitur*: à *regnatur* est, *regnanda Alba*, apud Maronem: ab *exitur*, *exeundi ordinis*, apud Tacitum 11. Annal. At non existimem, legi *caretur*: unde tamen *carendus*. Nec temerè *senescitur* dixerim. At Varronis est, *senescendorum hominum longissimum spatium seculum*.

A Deponentibus veniunt tria participia; Præsens, Præteritum, & Futurum in *rus*: ut *proficiscens*, *profectus*, & *profecturus*, à *proficiscor*. Totidem participia habent *orior*, *morior*, *lætor*, *nitor*. Sed multis accedit quartum in *dus*: maximè iis, quorum præterita adhuc passivè inveniuntur: ut, *sequendus*, *hortandus*, *venerandus*, *amplectendus*, *consolandus*, &c. cujusmodi futura passivè semper sumuntur.

Participio accidunt, Genus, Casus, Declinatio, Comparatio, & Tempus.

De Genere.

Omnia participia sunt generis omnis.

Quia nempe omnia sunt adjectiva.

Quæ in *ns* desinunt, una efferuntur terminatione: ut, *hic*, & *hæc*, & *hoc amans*.

Cætera omnia tribus: ut, *hic lectus*, *hæc lecta*, *hoc lectum*, &c.

De Declinatione.

Participia in *ns* sunt tertiæ declinationis: cætera omnia sæcundæ, & primæ.

* *Notandum hìc est anomalum*, iens, euntis, eunti, euntem, *cum compositis*; *ut*, abiens, rediens, *&c.* *Sed* ambientis *dicitur ab* ambio; *quod communi lege, ut* audio, *conjugatur*.

De Comparatione.

Participia omnia sunt adjectiva: ac, eorum instar, quædam etiam comparantur.

tur[1]. Ut apud Ciceronem, *exspectatior*, *exspectatissimus*; *optatior*, *optatissimus*; *intricatior*, *intricatissimus*; *confusior*, *confusissimus*; & id genus alia[2].

1 Nempe ex illis in *tus*: cujusmodi sunt ea, quæ hìc recensentur. Ut fallantur Grammatici, qui arbitrantur, participia omnia comparatione in nomina converti. Sed verum est illud de participiis in *ns*: ut, *amantior tui*. Nam si participium esset; ut dicitur *amans te*, sic etiam diceretur, *amantior te*. Nulla verò comparantur in *rus*, vel *dus*. Nam *reverendissimus*, *colendissimus*, *observandissimus*, recepta quidem sunt; Latina verò non sunt. 2 Quædam horum extra positivum vix aliter, quàm in alterutro gradu, reperias. Ut in comparativo, *tectior*, *spoliatior*, *damnatior*: in superlativo, ut *persuasissimus*, fortasse & *laudatissimus*.

De Tempore.

Tempora Participiorum sunt tria: Præsens, Præteritum, & Futurum.

Præsentis temporis sunt, quæ desinunt in *ns*. Hæc formantur à præterito imperfecto, ultima syllaba mutata in *ns*, ut, *amabam*, *amans*; *legebam*, *legens*. Sed *iens*[1], ab *ibam*, assumit *e*.

Præteriti temporis sunt, quæ desinunt in *tus*, *sus*, *xus*[2]. Hæc formantur à priori[3] supino: ut, *amatus* ab *amatum*, *visus* à *visum*, *pexus* à *pexum*.

Futuri temporis sunt, quæ desinunt in *rus*, & *dus*. Quæ in *rus* desinunt, formantur à supino[4]: ut, *amaturus*, ab *amatum*. Quæ in *dus*, à participio præsenti: ut, *amandus*, ab *amans*; *legendus*, à *legens*.

1 Tanquam ab *eibam*, unde esset *eiens*, τρισυλλάβως; pro quo κατ' ἀφαίρεσιν *iens* dicimus. In obliquis tamen, sicut dictum est *euntis*, *eunti*, &c.
2 Unum exit in *uus*, puta *mortuus*, quod aliqui malunt esse nomen. 3 Alii dicunt à posteriori supino. Sed hoc in deponentibus non habet locum: quia illa posteriori supino carent. 4 Quædam tamen non sequuntur analogiam: ut, *sonaturus*, *pariturus*, *nasciturus*, *oriturus*, *moriturus*, &c.

* *Quia participium in* dus, *formatur à præsenti, eò omnia deponentia habent hoc participium: ut,* vescendus *à* vescens. *At caret hoc verbum participio præteriti temporis, & futuro in* rus: *quia supinis caret, unde ejusmodi participia descendunt.*

Ejiciundus, gerundus 5, *& similia per Antithesin dicuntur* 6, *pro* ejiciendus, gerendus. *Sic* ercifcunda familia, *ab* ercifcor, *hoc est,* divido. *In hujusmodi participiis, uti & gerundiis* 7, *videndum est, quid usus probarit* 8.

5 Unde & *gerundiis* nomen pro *gerendiis*. Si tamen accuratè loquendum; *gerundæ*, vel *gerundivæ*, rectiùs dicantur, quàm *gerundia*: uti dictum, cùm de Verborum Modis ageremus. 6 In verbis tertiæ, & quartæ. 7 Ut apud Sallust. Jug. *Subveniundum Adherbali est*. 8 Itaque dixerim, *repetenda urbs, verba, lectio*: at dicam, *crimen repetundarum*: hoc in *eo*, ejusque compositis, perpetuum est. Ut, *eundum, abeundum, redeundum*, & præterquam in *ambiendus* ab *ambio*. Etiam ab *orior* solùm dicitur *oriundus*. Verùm hoc non habet futuri significationem.

OBSERVATIO I.

Circumlocutio per participium, & verbum substantivum, non tantùm in præterito perfecto, & plusquamperfecto vocis passivæ, & futuro utriusque vocis in infinitivo; sed etiam extra hæc locum habet. Ut, amaturus sum, *vel* ero; amaturus eram, fui, fueram, fuissem; amaturus sim, fuero 1, *&c.*

1 Ambigunt nonnulli de iis: ubi verbum substantivum æquè est futuri temporis, ac participium; ut, *amaturus ero*, vel *fuero*. Sed Ciceronis est: *Ipso die, quo venturus ero*. Simileque illud, ex eodem superiùs allatum: *Te fore ad me venturum*.

OBSERVATIO II.

Participia fiunt nomina:

1. Amissione temporis. Ut, *sapiens, serpens, sponsa*, cùm substantivè sumuntur. Item *doctus*, pro homine gnaro, & doctrina

prædito; *reverendus*, pro eo, qui dignus est reverentia[1].

II. Mutata constructione, seu regimine verbi: ut, *amans pecuniæ, patiens inediæ*[2]. Nam constructio verbi exigeret, *amans pecuniam, patiens inediam*.

1 Sic *acceptus* pro grato: parque ratio in *evidens*, *innocens*, & similibus: quæ non ob compositionem, sed ob temporis amissionem, mutatamque significationem, nomina censentur.

2 Similiter in gradibus aliis: ut *amantior pecuniæ, patientissimus inediæ*.

* *Addunt aliqui, fieri & ea nomina, partim comparatione, qua participia minimè carere, paullò antè vidimus; partim compositione, in quo æquè aberratum. Nam participia multa per se composita sunt, quorum verba non componuntur. Ut*, infandus, nefandus, immerens, insciens, inultus, insperans, inausus, illaudatus, inexpertus, imperterritus, inhumatus, indictus, invocatus, inauditus; *pro* non dictus, non vocatus, non auditus, *&c.*

DE ADVERBIIS.

ADverbium[1] est dictio indeclinabilis[2], quæ adjicitur nomini, aut verbo[3], ad explicandam ejus circumstantiam[4].

1 Ut se adjectivum habet ratione substantivi, atque inde *adjectivum* dicitur: ita & se habet adverbium ratione verbi, ac propterea *adverbium* vocatur: nempe quia plurimum adjicitur verbo, ad declarandum ejus modum; præcipuè autem actionis, vel passionis circumstantiam. 2 Hoc est, invariabilis per casus, numeros, tempora, aut modos. Nam quædam adverbia per gradus comparationis variantur. 3 Imò pronomini quoque, ac participio: ut *planè noster*; *clarè loquens*: ac interdum & ipsi adverbio: ut, *sat citò*. Quare perfectior sit definitio, si dicas, *quæ adjicitur alteri voci*. 4 Sive declarationis alicujus causa. Nam circumstantiæ vocabulo latiùs hîc utuntur Grammatici, quàm à Logicis fieri solet.

Significationes Adverbiorum sunt multæ.

Quædam enim sunt loci; eaque quadruplicia.

I. In loco [5]: ut, *hic*, *illic*, *istic*, *ibi*, *ubi*, *ubique*, *ubicunque*, *alibi*, *intus*, *foris*, &c. Ex his duo postrema etiam de loco significant.

II. Ad locum [6]: ut, *huc*, *illuc*, *istuc*, *eò*, *quò*, *aliquò*, *quocunque*, *intrò*, *foras*, &c.

Et quæ versus locum significant: ut, *introrsum*, *retrorsum*, *sursum*, *deorsum*, *quorsum*, *dextrorsum*, *lævorsum* [7], &c.

III. De loco: ut, *hinc*, *illinc*, *istinc*, *inde*, *unde*, *aliunde*, *cœlitus* [8], *funditus*, *radicitus*, *infernè*, *supernè* [9], &c.

IV. Per locum: ut, *quà* [10], *hac*, *illac*, *istac*, *eà*, &c.

† Variè [11] significant *peregrè*, & *nusquam*. Dicimus enim, *peregrè* [12] *absum*, *peregrè abeo*, *peregrè domum redeo*: & *nusquam apparet*, *nusquam discessit* [13].

* *Adverbia loci, sæpiùs ponuntur pro relativo. Cic. 2. de Leg.* Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. Ubi, *pro in quo. Terent. Eun.*

Mercator hoc addebat, è prædonibus,
Unde emerat, se audisse abreptam è Sunio.
Unde, *pro*, *à quibus*.

Quædam etiam Adverbia loci aliquando tempus significant: ut Terent. in Eunuch. Ubi videt me homo esse in tantum honorem, ibi cœpit me obsecrare, *&c.* 14.

5 Ad adverbia in loco etiam pertinent hæ præpositiones, cùm casu amisso fiunt adverbia: *supra*, *infra*, *ante*, *post*, *pone*, *prope*, *propter*, *extra*, *juxta*.

6 Quorum pleraque veriùs sunt nomina, quàm adverbia. Ut *quo*, *aliquo*, *quocunque*, puta *loco*. Imò & *huc*, pro *ad hoc*, & quædam alia.

7 Sunt hæc composita à *versum*, sive *vorsum*. Nam *introrsum* valet *introversum*. Sic *horsum*, *huc vorsum*; atque ita in aliis.

8 Sed vocem *cœlitus* non temerè usurpem. Usi Lactantius, Serviusque. Sed, ut censeo, nemo qui Augusti, vel proximo ævo, vixerit. 9 Sic *eminus*, *comminus*. 10 In quibus respicitur ad nomen *via*. Sic & *recta*, *quaqua*, *qualibet*, *quacunque*: scilicet *via*. 11 Id est, locum varium. 12 Aliqui distinguunt, ut *peregri* sit in loco: *peregre*, ad locum & de loco. Curiosiùs, quàm veriùs, meo judicio. 13 Par ratio in *usquam*, & *longè*. 14 Veterum aliqui, quia *domi*, *domum*, *domo*, Græcè per adverbia exprimantur, (nam *domi* οἴκοι, *domum* οἴκαδε, *domo* οἴκοθεν) eò hæc Latinis quoque adverbia esse arbitrantur. Sed obstat quod dicitur, *domi meæ*, & similia.

Tem-

Temporis: ut, *hodie*, *nunc*, *heri*, *nuper*, *cras*, *perendie*, *aliquando*, *jam*, *tum*, *manè*, *serò*, *semper*, *pridem*, *dudum*, *olim*, *quondam*, *nudius tertius*, *nudius quartus*, &c.[15].

Usque, & loci, & temporis, adverbium est: ut, *Ad flumen usque persecutus est hostem*. *Ad horam usque octavam*[16].

15 Sic Plautus etiam Mostell. *nudiusquinctus*, & *nudiussextus*. Imò Cicero ipse Philipp. 5. *nudiustertius dicimus*. Hujusmodi tamen nihil mihi adverbii habere videntur; nisi quòd *nunc* in *nudius* insit. Nam dicitur, quasi *nunc dies*. Veriùs adverbia temporis sunt *porrò*, & *proporro*; quod apud Lucretium. Ad ejusmodi adverbia aliqui etiam referunt *diu*, *noctu*, imò & *interdiu*. Alii censent esse nomina μονόπτωτα ablativi casus. Sanè similiter ablativi videntur adverbialiter positi, ac isti, *die pristini*, *die crastini*, *die quarti*, *die quincti*, *die noni*, pro *die priori*, seu *pridie*, *die crastino*, *quarto*, *quincto*, *nono*. Qualia & per e efferebantur: ut, *diequarte*, *diequincte*; nempe quomodo *peregri*, & *peregre*; *heri*, & *here*; *præfiscini*, & *præfiscine* dixerunt. Vide Gellium lib. 10. cap. 24. 16 *Hactenus* quoque tum loci est, tum temporis. Quandoque etiam rem ipsam restringit. Sueton. in Ner. cap. 40. *Hactenus excanduit*, *ut malum iis minaretur*: id est, non ulteriùs, quàm eo.

Numeri: ut, *semel*, *bis*, *ter*, *quater*, *quinquies*, *sexies*, *septies*, *octies*, *novies*, *decies*, *vicies*[17], *tricies*, *quadragies*, *quinquagies*, *sexagies*, *septuagies*, *octogies*, vel *octuagies*, *nonagies*, *centies*, *millies*[18]. Item quæ numerum indefinitum significant: *sæpè*, *raró*, *rursus*, *iterum*, *toties*, *quoties*, &c.

17 Supra *vicies* major numerus præit sine copula: minor sequitur ferè cum copula: ut, *vicies bis*; vel *bis*, *& vicies*: *quadragies*, *quinquies*; vel *quinquies*, *& quadragies*. Columella tamen etiam dixit, *vicies & semel*. At supra *centies* usitatè major numerus, nunc cum copula, nunc absque ea, præcedit: ut, *centies vicies*, vel *centies*, *& vicies*. Verùm hæc ad structuram potiùs pertinent. 18 Sic ordinem significantia: ut, *primò*, vel *primum*, *secundò*, vel *secundum*, *tertiò*, vel *tertium*, *quartò*, vel *quartum*, &c. Vide Gellium lib. 10. cap. 1. & Vallam lib. 3. cap. 59.

Negandi[19]: ut, *haud*, *non*, *neque*[20], *neutiquam*, *minimè*[21], &c. Et *nihil* adverbialiter aliquando ponitur pro *non*: ut, *Nihil circuitione usus es*. Ter. And.

Affirmandi, vel explanandi: ut, *ita*, *etiam*, *quidni*, *certè*, *profectò*, *scilicet*[22], *videlicet*, *quippe*, *nempe*, *nimirum*, *planè*, *maximè*, & *næ* cum diphthongo: ut, *næ ego homo infelix sum*.

19 Minutum hoc; quòd maluissem adverbia affirmandi premitti. Videlicet, quia id jubet naturæ ordo. Unde Nævius, *Vel ai, vel nega*.
20 *Nullatenus* ut minùs Latinum, expunxi. 21 Sic *ne* ante *quidem*: de quo mox dicam. Item *nec* apud veteres. Ut in legibus XII. Tab. Atque idem composita ostendunt: ut, *negotium*, *negligens*. Vide Festum in *Nec*. 22 Hoc & elevandi vim habet. Ter. *Id populus curat scilicet*! Maro: *Scilicet is superis labor est*. Itidem *nimirum* quoque, & *videlicet*, ironiæ inserviunt.

Demonstrandi: ut, *en*, *ecce*[23].

Hortandi: ut, *eia*[24]; item verba hæc adverbialiter usurpata: *age*, *agedum*, *agite*, *agitedum*: quorum priora duo sæpiùs singulari, interdum etiam plurali junguntur; posteriora duo plurali tantùm[25].

Ordinis[26]: ut, *deinde*[27], *deinceps*, *protinus*, *continuò*, *antea*, *postea*, *denique*, *præterea*, *primò*, *secundò*, *tertiò*, *postremò*[28], &c.

23 Sic *hem* apud Comicos. Terent. Andr. *Hem, Davum tibi*. Vide Vallam lib. 2. cap. 15. Nempe *hem*, pro usu diverso, nunc demonstrandi est adverbium, nunc interjectio indignantis. 24 Hoc quoque, pro diversa significatione, nunc adverbium est hortandi, vel orandi; nunc interjectio blandientis. 25 Adverbiis hortandi etiam accensentur *sis*, *sodes*, *sultis*: quæ & ipsa veriùs verba sunt. Nam conflata sunt ex *si vis*, *si audes*, *si vultis*. Sic *capsis*, quod est, *cape si vis*. Item *videsis*, *cavesis*, *apagesis*. Quæ adverbia etiam Priscianus refert. 26 Sunt hæc & conjunctiones continuativæ; ut posteà dicetur. 27 Pro quo & *subinde* dixerunt priores: ut Horatius, Liviusque. Sed Petronio, & postea secutis, valet *identidem*. 28 Si verum amamus, *primo*, *secundo*, *tertio*, *postremo*, magis sunt ablativi: in quibus intelligitur *loco*. Quod in aliis quoque sæpe intelligitur. Ut cùm dicimus, *in medio*, vel *de proximo*.

Simi-

Similitudinis: ut, *quasi*, *ceu*, *sic*, *sicut*, *sicuti*, *velut*, *veluti*, *tanquam*, *ut*, *uti*, *prope*, *æquè*, *perinde*, *acsi*, *non aliter*, *non secus*, *quemadmodum*.

Qualitatis [29]: ut, *doctè*, *pulchrè*, *fortiter*, *viriliter*, *bonè*, *malè*, &c. Item, *strictim*, *punctim*, *cæsim*, *raptim*, *furtim*, &c. quæ à verbis veniunt [30].

Quantitatis [31]: ut, *multùm*, *parùm*, *modicùm*, *magis*, *minùs*, *minimùm*, *nimiùm*, *plurimùm*, *valdè*, *satis*. Huc refer & hæc adverbia intendendi: *prorsus*, *admodum*, *omnino*, *penitus*, *adeò* [32], *sanequàm*, id est, valde [33], & *per* in compositis: ut, *perpulchrè*, *perquam*. Item hæc: *pene*, *prope*, *propemodum*, *ferè*, *fermè*, &c. quæ etsi de re tota aliquid detrahunt: tamen actionem intendunt, & amplificant. Præterea adverbia remittendi [34]: ut, *sensim*, *paulatim*, *pedetentim*, *ægrè*, *vix*. Item, *paululum*, *longiusculè*, *meliusculè*, *sæpiusculè* [35], &c.

Dubitandi: ut, *forsan*, *forsitan*, *fortassis*, vel *fortasse* [36].

Separandi: ut, *seorsum*, *separatim*, *secretò*,

29 Qualitatis adverbia ferè desinunt in *e*, *er*, vel *im*. Maluissem verò qualitatis adverbia proximè præcedētibus præmissa. Qualitati enim accidit similitudo: ut constat ex Aristotelis categoriis. 30 Huc etiã refer *viritim*, *ostiatim*, *centuriatim*, & similia: quæ à nominibus derivantur.

31 Etiam quantitatem notant adverbia loci, & numeri; de quibus antè vidimus. Sed Grammatici *quantitatis* vocem strictiùs accipiunt pro sola magnitudine. 32 Sic *efflictim*, *impensè*: & relativa hæc, *tam*, *quam*. Vocant alii adverbia comparandi. 33 Itidem antiquum adverbium *numero*, id est, nimium. Festum vide. 34 Vicina his adverbia minuendi: *saltem*, *minimè*, *certè*, *vel*. Ut, *Saltem diem concede*. Item, *Vel die contentus ero*. 35 *Clanculum*, & *belle*, quæ addunt, sustuli: quia *belle* est qualitatis, ut *benè*; *clanculum*, ut *occultò*. Reliqui tria hæc, *longiusculè*, *meliusculè*, *sæpiusculè*. Interim primariò alius sunt classis. Nam *meliusculè* est qualitatis, ut *bene*: *longiusculè* quantitatis continuæ: *sæpiusculè* discretæ. 36 Sic *fors*, & *forsit*. Vide Vallam lib. 2. cap. 17. Nempe ex *fors*, *sit* addito, est *forsit*, & apposito *an*, *forsitan*. Ac similiter à *forte*, *fortean*: à *fortasse*, *fortassean*.

divise,

divisè, *singulatim* [37], *bifariam*, *multifariam*, *secus*, *aliter*. Huc pertinent excludendi particulæ [38]: *solùm*, *tantùm*, *modò*, *dumtaxat*, *tantummodo*.

Jurandi: ut, *pol*, *edepol*, *ecastor* [39], *herculè*.
Eligendi: ut, *potiùs*, *imò*, *magis* [40].
Congregandi [41]: ut, *simul*, *unà* [42], *pariter*.
Prohibendi: ut, *ne* [43], *nequaquam*.
Interrogandi: ut, *an*, *quando*, *quomodo*, &c.

37 Sic *sigillatim*. Nempe *singulatim*, & *sigillatim* dixere; quia antiquè pro *singulis* etiã ὑποκοριστικῶς *sigillus* in usu fuit.

38 Eodem pertinent distribuendi vim habentia: ut, *singulatim*, *bipartitò*, *multifariam*, *simpliciter*, *dupliciter*, *viritim*, *ostiatim*, &c. 39 Perperam vulgo *ædepol*, & *æcastor*, scribunt, quasi sint ab æde Castoris, vel Pollucis: cum *me*, & *e*, sint ex Græco μὰ, & νὴ. Ut similia sint, *mecastor*, *ecastor*, *epol*, vel etiam *edepol*; quasi, *me Deus Pollux*. Similia his, *medius fidius*, *mehercule*, *eiuno*, *ecere*, h. e. per Cererem. At *medius fidius* valet, *me* Διὸς, id est, *Jovis fidius*, hoc est, *filius*. Magis hæc placent, quàm ut *me* sit accusativus, & ἐλλειπτικῶς intelligatur *amet*, vel *adjuvet*. Porrò his, & similibus jurandi formulis, abstinendum censeo Christiano, cùm sint per gentilium Deos. Scio, aliquid esse, quòd dicunt, particulas istas Christianis jam exuisse veterem naturam; nec ampliùs esse jurandi, sed affirmandi. Verùm si suppetunt gentilibus particulæ, quæ solùm adfirment; cur utamur his suspectis? Quare, quod in re alia ait Augustinus, mentem hi Christianam retineant, linguam corrigant. 40 Sic *præcipuè*, *inprimis*, *maximè*. 41 Vel comitandi. 42 *Una* propriè nomen; quia integrè est *una opera*. 43 *Ne* absolutè prohibet: ut, *ne des*. Ante *quidem* negat; ut, *ne obolum quidem dederit*.

* *Hujusmodi adverbiorum alia pertinent ad quæstionem* an sit: *ut* num, numquid, an, utrùm, nonne, *&* ne *encliticum*: *ut*, tune, legisne.

Alia quærunt de causa: *ut*, quare, quamobrem, quapropter, quid ita, quid ni, quin, *pro* cur non.

Alia de loco: *ut*, ubi, quò, ultrò, quorsum, unde, quà [44].

Alia de tempore: *ut*, quando, quoad, quousque, quamdiu.

44 His per nomina respondetur. Ut *quò*? *Romam*: *unde*? *Roma*. Sed quærentibus de causa respondetur per *quia* vel *quoniam*, Unde & hæc colligunt esse adverbia. Sed nihil impedit, quò minùs eadem, pro diverso considerandi modo, classis sint diversæ.

Alia

Alia de numero: *ut*, quoties.

Alia de qualitate: *ut*: quomodo, qui.

Alia de quantitate: *ut*, quàm, quantopere.

Quòd si hæc adverbia non interrogent, aut infinita *sunt, aut* relativa. *Infinita*: *ut*, Nescio, ubi terrarum degat. Dubito, an domi sit. *Relativa*: *ut*, Ubi uber, ibi tuber.

Interdum autem & nomina pro adverbiis ponuntur. Virgil. Nec longum lætabere, *id est, diu. Item.* Crebra ferit, *pro crebrò. Lucan.* Acerba tuens, *id est, acerbè.*

De Comparatione Adverbiorum.

Accidit adverbiis nonnullis comparatio. Quædam eorum derivantur à nominibus illis, quæ comparantur lege communi: ut,

doctè, doctiùs, doctissimè.

penitùs, penitiùs, penitissimè.

fortiter, fortiùs, fortissimè.

Quædam veniunt à nominibus comparationis anomalæ: ut,

benè, meliùs, optimè; malè, pejùs, pessimè.

parum, minùs, minimè, & minimùm [1].

Quædam neutro modo se habent: & tamen omnes gradus habent: ut,

diu, diutiùs, diutissimè.

sæpè, sæpiùs, sæpissimè [2].

Nec à nomine positivo venit

propè, propiùs, proximè.

1 Uterque est superlativus à *parum*: sed significatione differunt. Nam *minimè* est negantis: *minimum* est quantitatis; vel etiam minuendi adverbium: ut cùm pro *saltem* ponitur. 2 Nisi prisci dixere *sæpis* pro *creber*. Sanè Catonis Nepotis est *sæpissima discordia*, teste Prisciano lib. 3.

Quæ-

Quædam positivo carent: ut,
magis, *maximè*; *ocius*, *ocissimè* [3].
Quædam comparativo: ut,
pene, *penissimè*; *nuper*, *nuperrimè*.
Quædam superlativo: ut,
tempori, *temporius* [4].
Huc etiam refer,
satis, *satius*; *secus*, *secius*.
Qui duo comparativi nonnihil à positivi significatione recedunt.

3 Sic *potiùs* *potissimum*.

4 Itidem *serò*, *seriùs*. Ac simile videtur *excusatè*, *excusatiùs*. Priori Fabius usus: altero Plinius in Epistolis.

DE DERIVATIS.

* *Adverbia pauca sunt primigenia: ut*, cras, jam, *&c. Pluraque verò omnia sunt derivata: alia quidem à nominibus, pronominibus, aut participiis; alia à verbis. Priora vel voce conveniunt cum origine, vel terminatione differunt. Quæ conveniunt, ferè vel ab nominativis fiunt, vel ab ablativis. Ab nominativis: ut*, facilè, potiùs, utrùm, recèns, penitus 1, hìc, *&c. Ab Ablativis: ut*, repentè, subitò, istac, quò 2, *&c. Possis huc quoque referre* tempori, vesperi: *quia olim videntur in ablativo* i *pro* e *habuisse: nisi magis placet, hæc, cùm adverbia fiunt, per* i *efferri discriminis caussa. Quæ terminatione differunt, variè fiunt. In prima quidem declinatione vel* A *retinetur; ut* summatim, centuriatim: *vel mutatur in* I; *ut* medullitus. *A secunda venientia sæpe in* E *exeunt; ut* doctè, timidè, validè: *vel in* TUS, *ut* funditus, antiquitus: *vel* TER, *ut* largiter, humaniter: *vel* ATIM, *aut* ITIM, *ut* ostiatim, viritim: *vel* O, *ut* citò, tutò, *vel* UM, *ut* primùm, cæterùm. *A tertia in* E, *ut* facilè: *vel* ER, *ut* fortiter, eleganter: *vel* ATIM, *ut* mucronatim, generatim. *Vel* IM, *ut* partim: *vel* As, *ut* foras: *vel* O, *ut* omnino. *A verbis sunt*, raptim, cæsim, punctim, exsultim, *& similia; quæ à supinis formantur. Pauca à præpositionibus veniunt: ut*, intrò, *ab* intra; subtus, *à* sub; clanculum, *à* clam, *&c.*

1 A nomine *penitus*: ut apud Plautum, *penitis faucibus*, & *penitissima Arabia*.

2 Addunt *forte*, & *forte fortuna*: quæ omninò nomina sunt.

DE

DE COMPOSITIS.

* *Componuntur adverbia vel ex duobus nominibus: ut*, pridie, *quasi* priori die; tantopere, *ex* tanto opere: *vel ex nomine, & pronomine: ut* quare, *ex* qua re 1: hodie, *ex* hoc die: *vel ex nomine, & verbo: ut* pedetentim, *quasi* pedem tendendo: *vel ex nomine, & participio: ut* perendie, *quasi* peremto die: *vel ex nomine, & adverbio: ut* sæpenumero 2, actutum, *quasi* actu tum: *vel ex nomine, & præpositione: ut* denuo, *pro* de novo; dextrorsum, *pro* dextram versum; illico, *pro* in loco: *vel nomine, & syllabica adjectione: ut* tantisper, aliquantisper: *ubi* per *est, ut in* ὥσπερ: *vel ex pronomine, & præpositione: ut*, postea, quapropter, præterea, propterea: *vel duobus verbis: ut* ilicet, videlicet, scilicet, *pro* ire, videre, scire licet: *vel verbo, & adverbio: ut* ubivis, quolibet: *vel duobus adverbiis: ut* tantummodo: *vel adverbio, & præpositione: ut* quoad, quorsum, *ex* quò versum, præut, præquam, præterquam, superquam, propalam, protenus, *quod valet* porro tenus, inibi, postibi, interibi: *vel adverbio, & conjunctione: ut* etiam, *ex* &, *ac* jam 3, *quod nunc unius, nunc duarum est syllabarum: vel adverbio, & syllabica adjectione: ut* ibidem, tandem, *pro* tamdem, ubinam, quianam. *Quædam etiam ex tribus vocibus conflantur: ut* quamobrem, quemadmodum, nudius tertius, *quasi* nunc dies tertius, *teste Festo*.

1 Pro *qua de re*. Nam κατ' ἔλλειψιν reticetur *de*: quod valet *ob*.

2 Nisi est ab antiquo adverbio *numerò*, pro *nimium*. Sed sic quoque est nomen adverbiale. Nam *numerò* dicitur, quasi *magno numero*.

3 Pro *quare* διότι. 5. Æn. *Heu quia nã tanti cinxerunt æthera nimbi? Nam* non conjunctio est, sed παρέλκον.

DE PRÆPOSITIONIBUS [1].

PRæpositio [2] est dictio indeclinabilis [3], qua nomen adjungitur verbo, ad caus-

1 Retinui ordinem partium vulgarem. Rectiùs tamen præpositio præmittatur adverbio. Nam ut nomen naturæ ordine est prius verbo: sic præpositio, quæ nomini præponitur, est prior adverbio, quod additur verbo. 2 *Præverbium* dicitur Varroni lib. 5. de L. L. Sed *præpositionem* etiam Cicero in Topicis appellat. 3 Definitio hæc soli convenit præpositioni separabili. Nempe aliæ non tam sunt partes orationis, quàm vocis. Eòque non nisi reductivè huc pertinent.

sam,

sam, locum, tempus, conjunctionem, aut privationem significandam [4].

* *Caussam, ut* propter: *locum, ut* ante, circiter; *quæ & tempus significant: conjunctionem, ut* cum: *privationem, ut* absque: *atque ita in aliis.*

Præpositio sic vocatur, quia plurimùm [5] præponitur aliis dictionibus: vel appositione, ut *ad patrem*: vel compositione, ut, *admiror*.

4 Præcipuè significant motum, aut quietem. Quietem quidem in loco: motum autem à re ad rem, vel circa rē. Unde aliquibus præpositio definitur, pars invariabilis, quæ vel appositione, vel compositione, præponitur aliis vocibus ad motum, aut quietem significandam. Brevissimè autem, & verissimè, definiatur particula, sive vox invariabilis natura sua casum regens. Solùm huic definitioni obstare videtur inveteratus error, quo creditur adverbia etiam, & interjectiones, regere casum. Ut, *simul filio, procul mari, væ tibi*. Sed sunt hæc ἐλλειπτικά, quia integrè fit, *simul cum filio, procul à mari, væ*, sive *malum sit tibi*. Quod fusè ostendi libro ultimo de Arte Grammatica c. 64. & 69. 5 *Plurimùm* dico, quia contrà fit in *tenus*, ut *pube tenus*: interdum & in *cum*, ut *quibuscum*. Etiam in *versus*, & *usque*, si hæc præpositionibus accensere lubet: ut *Hispaniam versus, Romam usque*.

Præpositiones sunt separabiles, aut inseparabiles.

Separabiles dicuntur, quæ etiam extra compositionem usurpantur.

Harum aliæ [6] accusativum, aliæ ablativum, aliæ utrumque casum [7] regunt.

6 Quem præpositio quæque casum regat, non est hujus loci: sed ad syntaxin pertinet. Nihilominus hìc ea reliquimus: quia pueris illorum usus statim sit maximus. Verùm de hoc fruatur quisque judicio suo. 7 *Tenus* etiam regit genitivum pluralem; ut suo loco dicitur.

Accu-

Accusativum hæ exigunt: *ad*, *apud*, *ante*, *adversus*[8], *cis*, *citra*, *circum*, *circa*, *circiter*[9], *contra*, *erga*, *extra*, *inter*, *intra*, *infra*, *juxta*, *ob*, *per*, *prope*[10], *præter*, *propter*, *pone*, *post*, *pene*, *penes*, *secundum*, *secus*, *supra*, *trans*, *ultra*[11].

Ablativum regunt, *a*, *ab*, *abs*, *absque*[12], *cum*, *clam*, *coram*, *de*, *e*, *ex*, *præ*, *pro*, *sine*, *tenus*[13].

Ex his *tenus* semper postponitur[14]. Ut, Virgil.

Capulo tenus abdidit ensem.

Quædam regunt utrumque casum: ut, *in*[15], *sub*, *super*, & *subter*[16].

8 Vel *adversum*; ut *adversus*, vel *adversum leges*. 9 *Circiter* vix præpositio videtur: quia *circiter meridiem* integrè sit *circiter ad meridiem*. 10 *Prope* potiùs adverbium est. Nam *prope urbem* κατ' ἔλλειψιν ponitur pro *prope ad urbem*. Ac par ratio, cùm dicitur *propiùs*, vel *proximè urbem*. 11 His addere si lubet *versus* sive *versum*; in universum præpositiones, quæ accusativum regunt, numero sint una, & triginta. Eas, excepto *pone*, hisce versiculis sunt complexi:

Ad, penes, adversus, cis, citra, circiter, extra,
Erga, apud, ante, secus, trans, supra, versus, &
intra,
Vltra, post, præter, propter, prope, pene, secundum,
Per, circum, circa, contra, juxta, inter, ob, infra.

Aliqui etiam *usque* addunt. Alii & *versus* & *usque*, inter adverbia referunt: & rectiùs. Nam, cùm dico, *Tiberim versus*, vel *Tiberim usque*; integrè fuerit, *usque ad Tiberim*, *ad Tiberim versus*. Ut casus non regatur à *versus*, vel *usque*; præpositione *ad* intellecta, quæ in *adversus* exprimitur. 12 *Absque* magis est Comicum: pro quo Oratores potiùs *sine*. 13 Nonnulli adjungunt *palàm* & *procul*. De priori adsentio. Nam Livii est, *palam populo*. At *procul* adverbium est. Nam *procul domo* integrè fuerit, *procul à domo*. Nec rarò additur præpositio. 14 Uti & in *quatenus* & *hactenus*: quæ integrè sint, *qua fine tenus*, *hac fine tenus*. 15 Pro *in* antiquè dixere *endo*, & *indu*. Ut *endo*, vel *indu mari*. Sic in compositione *endoperator*, vel *induperator*, pro *imperator*. Remansit in *industrius*, ab *instruendo*; *induciæ*, quasi *indu ocio*, & aliis nonnullis. 16 Alii quinctam addunt *clam*; idque Cledonio præeunte: de quo in Syntaxi dicemus.

OBSERVATIO I.

De præpositionibus separabilibus.

Præpositiones fiunt adverbia [1], quando casum amittunt: ut, *Longo post tempore venit*.

1 Hoc fit in *ante, circa, circiter, clam, coram, contra, infra, intra, juxta, palam, prope, pone, post, propter, secus, subter, super, supra, ultra*. Plaut. *Iuxta mecum rem tenes*. Terent. *Vultu adeò modesto, ut nihil supra*. Columel. *Vasa intra diligenter picata*, &c.

OBSERVATIO II.

* *Præpositiones in compositis plerumque retinent significationem suam: ut*, Adeo, abeo, anteeo, circumeo, *&c.* Adsum, absum, intersum, *&c.*

EXCIPE.

* In, *cum nominibus, aut participiis, per se compositum, plurimùm significat privationem: ut*, indoctus, improbus, insepultus, *&c.*

At compositum cum verbo, interdum auget significationem: atque eam quoque retinet in participio. Vt, infringo, *id est*, valde frango; *unde* infractus, *pro* admodum fractus. *Sed quando per se cùm* fractus *componitur, notat* nonfractum 1.

Interdum & cum nomine auget: ut, incanus, incurvus, *&c.*

Per *sæpiùs significationem auget: ut*, perfidelis, perfruor, *&c. interdum privat: ut*, perfidus, perjurus.

Auget & præ: *ut*, prædives.

Sub *quandoque minuit: ut*, subtristis, subtimeo, *&c.*

De *in verbis auget: ut*, deamo, demiror. *In nominibus privat: ut*, demens.

Idem in ex *fieri videtur. Prius in* exclamo, exaggero. *Posterius in* excors, exsanguis.

1 Simile quodammodo est *invocatus*. A *vocatus* cùm venit, significat non vocatum. Sed è verbo *invoco*, sic dicitur, quem invocavimus. Ubi *in* valet, quod præpositio in ἐπικαλεῖσθαι.

OBSERVATIO.

Præpositio etiam componitur cum præpositione, vel adverbio.

adverbio. Ut, adversus, circumcirca, inante, exante 1, inibi, insimul, &c.

1 Sic *præter propter vitam vivitur*, apud Ennium. Nisi legere malis, *vita vivitur*. Quomodo adverbium erit. Sed de *inante*, & *exante*, ambigi possit, an non divisum rectiùs scribantur. Ut apud Ciceronem hoc pacto: *Comitia in ante diem Kal. xv. Nov. distulit*. Hoc est, usque in eum diem. Item: *Ex ante diem nonas Julias*. Hoc est, ab eo die. Et sanè Plinii similiter est, *A pridie Idus Sept.* Hoc est, ab eo die, qui est pridie Id. Sept. Porrò ex compositis unum est ex præpositione & conjunctione, vel potiùs adjectione syllabica: puta *absque*. *Usque* potiùs adverbium putatur: diciturque, ut Græcis ἔωτκε, vel ὤτκι, unde *usque* derivatur.

De præpositionibus inseparabilibus 1.

Præpositiones inseparabiles, sunt, quæ extra compositionem non sunt in usu. Hujusmodi sunt. *Dis* 2, *re* 3, *se* 4, *am*, 5 *ve* 6. Ut, *Disjicio, repono, secubo, ambedo, vesanus*.

* *Addunt*, con 7. di, an, ne. *Sed* con *corruptum est*, ex cum, *ut* concludo. Di *ex* dis, *ut* divido. An *ex am*, *ut* anhelo. Ne *potius adverbium est; quod in compositione interdum producitur*: *ut*, nequaquam, nequicquam: *interdum corripitur*; *ut*, nefas, nefastus.

1 Eas *loquelares* vocat Probus; quia loquelæ inserviunt in compositione.

2 *Dis* volunt esse à *δὶς*, id est, *bis*: atque ideò notare divisionem, ut *distraho*: vel distinctionem, ut *dijudico*; quod valet distinctè judico. Sed potiùs censeo, esse à *διὰ*, quod eandem in compositione vim habet: ut *διαφέρω*, idem ac *differo*. Sic *διαφωνεῖν*, *dissonare*: *διασκεδάζειν*, *dispergere*. Interdum & *dis* negat; ut *diffido*, quod notat, non fido: vel auget, ut *discupio*, hoc est, valde cupio. 3 *Re* sæpiùs iterationem, interdum & privationem signat: ut *retego*, *revelo*. 4 In compositione interdum *e* in *o* mutatur: ut, *socors*, *sobrius*. 5 *Am* prisci etiam usi extra compositionem. Ut Cato in Originibus: *Am terminum*, id est, circa terminum. Est ab *ἀμφὶ*, quod idem significat; ac in compositione ante vocalem assumit *b* ut *ambages*, *ambedo*, *ambio*, *amburo*. Nisi *b* sit ex antiquo *ambe*, vel *ambi*, quod apud Varronem legas in 6 de L. L. Sic ab *ἀμφὶ* fit *ambi*: ex hoc fuerit *am*, *κατ' ἀποκοπήν*: porrò ab *ambi* sint *ambages*, *ambio*; ab *am* autem *amplector*, & *amicire*, ex *am*, & *icere*, vel *jacere*. Unde *amiculum* à circumjectu ita dictum ait Festus. Sæpè autem M abit in N: ut *anceps*, *anfractus*, *anhelo*, *anquiro*. 6 Quæ in compositione minuit: ut *vegrandis*, malè grandis. 7 Sanè qui *con* adjiciunt pro *cum*, *au* quoque adjungant pro *ab*: ut in *aufero*, *aufugio*. Quin etiam huc referant *ar* pro *ad*: ut in antiquis *arvenio*, *arvocatus*, *arcio*, unde remansit *arcesso*. Adhæc *co* addant. Nam *con* ante vocalem perdit consonam: ut, *coalesco*, *cohibeo*, *cooperio*, *cogo*, *cohæreo*, &c. Uti contrà etiam *b* adsciscit, ut *comburo*

DE CONJUNCTIONIBUS.

Conjunctio est dictio invariabilis, quæ conjungit dictiones, & sententias.

Potestas, seu significationes[1] conjunctionum sunt variæ.

Copulativæ conjunctiones dicuntur, quæ copulant & sensum, & verba: ut, *&*, *que*, *quoque*, *ac*, *atque*, *etiam*, *cum*, *tum*[2]. Item, *nec*, & *neque*, quæ utramque rem tollunt. Ut, *Neque natare, neque literas novit*.

Disjunctivæ sunt, quæ verba quidem conjungunt; sensum autem disjungunt: ut *ve*, *vel*[3], *aut*, *sive*[4], *seu*. Ut, *Seu boni, seu mali*.

1 Significationes interdum ita vicinæ sunt adverbiis, ut etiam doctissimi dissentiant, utrùm quid conjunctionibus, an adverbiis, debeat accenseri. Hujusmodi dicebantur *adverbia conjunctiva*, vel *conjunctiones adverbiales*; teste Max. Victorino. 2 Non tantùm *cum*, *tum*; sed & *tum* geminatum: ut, *tum doctus*, *tum pius*. 3 *Vel* quandoque est copulativum. Ut, *Carmina vel cælo possunt deducere Lunam*. Ubi *vel* valet *etiam*. Nisi *tum* intendendi, *vel* remittendi, esse adverbium malis: ut in Adverbiis annotabam. 4 Interdum tamen *sive* potiùs copulat. Ut cùm synonymum adjungitur. Quale illud, *Diana sive Luna*. Ubi possis dicere *explanativam*. Quo pacto *&*, nec non enclitica *que*, quandoque accipiuntur. Ut illo 1. Æn. *Judicium Paridis, spretæque injuria formæ*. Nam sententia est, *sive spretæ*, vel *hoc est*, *spretæ*.

Concessivæ sunt, quæ aliquid concedunt, cui posterior sententia videatur adversari: ut, *etsi*, *etiamsi*, *tametsi*, *quanquam*, *quamvis*, *licet*, &c.

Adversativæ sunt, quæ diversam sententiam superiori subjiciunt: ut, *sed*, *at*, *ast*, *verùm*, *verò*, *porrò*, *atqui*, *tamen*, &c.

Caussales sunt, quæ caussam reddunt superioris sententiæ: ut, *nam*, *namque*, *enim*,

etenim,

etenim, *quia*, *quoniam*, *quando*, *quandoquidem*, *siquidem* [5], &c.

5 Causa etiam est *quia*.

Cic. *Non quò quicquam desio, sed quia valdè cupio*. Item *ut*; velut cùm dico, *Feci, ut faceres*. Quòd si *ut* fuerit conjunctio causalis, quodammodo & hujus loci erit *ne*. Nam valet *ut non*: ac proindè mixtam ex conjunctione, & adverbio significationem habet. Vel potiùs dicamus, in illo, *ne venias*, per ellepsin *ut* intelligi.

Ratiocinativæ [6] sunt, quæ ex ratione proposita conclusionem inferunt. Ut, *ergo*, *ideo*, *igitur*, *idcirco*, *quapropter*, *proinde*, *quamobrem*.

6 Aliis *rationales*, vel *illativæ*.

Conditionales sunt, quæ sententiam conditione quadam determinant. Ut, *si*, *sin*, *nisi*, *modò*, *dummodò*, &c.

Electivæ sunt, quæ ostendunt præcedens membrum præferri. Velut, *quàm*, *ac*, *atque*. Ut, *Malo conscientiam bonam, quàm opes*.

Continuativæ sunt, quæ membra orationis ordine [7] connectunt: ut, *primùm*, *deinde*, *præterea*; & alia, quæ & inter adverbia ordinis superiùs recensuimus.

7 Unde & aliis *ordinativæ* vocantur.

* *Nam adverbia sunt, quatenus verbo junguntur ad circumstantiam explicandum: conjunctiones autem quia etiam respiciunt juncturam orationis.*

Completivæ dicuntur, quæ non significationis necessitate, sed ornatus gratia, in oratione ponuntur: quales sunt, *quidem*, *equidem* [8], *nam*, & aliæ; cùm additæ, vel detractæ, nihilò plus, aut minus, efficiunt. Virg. 4. Georg.

8 Virgilio *equidem*, valet *ego quidem*: unde semper jungit primæ personæ. Alii pro *quidem* usurpant: unde cuivis sociant personæ. De Cicerone tamē ambiguum est: nam unum, alterumque locum objectant, ubi non jungatur primæ. Sed corruptè sic legi videtur.

Nam[9] *quis te, juvenum confidentissime, nostras jussit adire domos?*

9 Hoc completivum *nam* coalescit in compositione cum *quis*. Itaque Servius ad allata Virgilii verba sic scribit: *Nam quis, id est, quisnam. Hodie enim particula* NAM *postponitur: antea præponebatur. Terentius in Phormione: Nam quæ est hæc anus, à fratre quæ egressa est me?*

De Ordine[1].

Ordo Conjunctionum est triplex: Præpositivus, Postpositivus, & Communis.

Præpositivæ conjunctiones sunt: *nam, quare, ac, at, ast, nec, si, quin, nisi, sin, sive, seu.*

Postpositivæ: *enim*[2], *autem, quoque, verò, quidem*. Tales sunt & Encliticæ: *que, ne, ve*[3].

Communes dicuntur, quæ possunt præponi, & postponi: ut, *ergo, igitur*[4], *itaque, quoniam, tamen,* &c.

1 Doctrina de ordine plane, judicio meo, pertinet ad syntaxin. Reliqui nihilominus hoc loco, quia tanti non videretur, ut propterea recederem ab ordine receptissimo. Nec enim tam refert, ubi discatur, quàm ut sciatur. 2 Antiqui *enim* quoque præponebant. Plaut *Enim isthæc captio*. Interdum & tertio loco ponitur. Ut apud Livium lib. 46. *Eo quoque enim mittendos fore*. Varro item: *Minus aurum enim non perstringet oculos*. 3 Encliticæ ita sub unum coalescunt accentum, ut una vox videatur: quam differentiæ causa, non tam *compositam* appellabimus, quàm *conjunctam*: ut, *Tuque, puerque tuus*. Sic *videsne*, aut *viden*; *aisne*, vel *ain*; & ita in aliis. Encliticæ verò dicuntur, ἀπὸ τοῦ ἐγκλίνειν, quia accentus fit inclinatior, depressiorque: ut qui in proximam declinet syllabam. 4 *Igitur* usitatiùs postponitur.

DE INTERJECTIONIBUS.

INterjectio est dictio invariabilis, per se sententiam perficiens.

Atque ita vocatur, quia interjici solet orationi ad declarandum animi affectum.

Significationes interjectionum sunt variæ.

Quæ-

Quædam sunt exclamantis: ut, *ô*.

Quædam blandientis: ut, *eia*.

Quædam optantis: quales, *ut* [1], *utinam*, *ô si*.

Quædam admirantis: ut, *papæ*, *hui* [2].

Quædam comminantis: ut, *væ*.

Quædam dolentis: ut, *hei* [3], *heu*, *eheu*, *ah*.

Quædam metuentis [4]: ut, *atat* [5].

Quædam indignantis: ut, *hem*, *proh*, vel *pro*.

Quædam gaudentis: ut, *evax* [6], *io*.

Quædam irridentis: ut, *hui* [7], *vah*.

Quædam vocantis: ut, *heus*, *eho*, *ehodum*.

Quædam silentium indicentis: ut, *au* [8], *est*.

Quædam approbantis: ut, *euge* [9].

Quædam fastidientis: ut, *phy*.

Quædam flentis, & ejulantis: ut, *hoi*, *hei* [10].

Quædam ridentis: ut, *ha*, *ha*, *he* [11].

* *Quædam etiam nomina, & verba, non quidem interjectiones fiunt; attamen usque adeò naturam interjectionum induunt, ut penè interjectiones videantur. Hujusmodi sunt,* malum 12. turpe, nefandum, fodes, amabo, quæso, *& alia nonnulla.*

1 Terent. *Ut te Di, Deæque perduint.* Sed & hoc, & *utinam*, ac *ô si*, quodammodo redolent adverbii naturam. Adduntur quidem orationi ad significandum animi affectum: sed non perficiunt per se sententiam. Nam plena sententia est, *utinam viveres*; vel *ô si viveres*! Imò ut *ô*, & *utinam*, potiùs adverbia sunt: sic *si* videri possit conjunctio conditionalis. Quippe integrè fuerit: *Si viveres, quàm foremus felices*! 2 Addunt *vah*: quod quandoque esse admirantis, colligunt ex Plauti Curcul. Sed videtur & istic esse ridentis. Quippe Lyco irridet vanitatem Curculionis, tam spissa concinnantis mendacia. 3 Ter. *Hei, vereor, nequid Andria apportet mali.* 4 Sive deprehendentis aliquid ex improviso. 5 Terent. 6 Plaut. Sic bacchantis est *evæ*, ex εὐοῖ. 7 Terent. 8 Terent. Eun. a. 4. sc. 4. *Au ne comparandus hic quidem ad illum est.* 9 Græcum est εὖγε. 10 Terent. 11 Terent. 12 *Malum* est stomachantis: *nefas*, & *infandum* execrantis. Integrè fuerit, *malum ei*, vel *iis sit*. Item *amabo te*. Atque ita in aliis.

FINIS.

OBSERVATIONES

paucula

DE ORTHOGRAPHIA,

& literarum [1] apud Romanos compendiis

1 Vulgo *notas* vocant.

Sed hæ à literis sunt diversæ: ut liquet ex opere Tironis, ac Senecæ nominibus inscripto. His qui uterentur, *notarii* vocabantur. Duo hæc sic distingui oportere, ostendit & Antonius Augustinus extremo dialogo XI. Antiquitatum Romanarum, & Hispanicarum. Vide & quæ de Notis annotavit cùm Cujacius, & Brissonius; tum imprimis Justus Lipsius ad Leonardum Lessium epist. XXVII. Centur. primæ ad Belgas.

De iis, quæ majusculis literis scribuntur.

A Majuscula litera inchoant,

I. Nomina propria: ut, *Moses*, *Homerus*, *Cicero*. Item inde deducta: ut, *Mosaicus*, *Homericus*, *Ciceronianus*.

* *Addunt aliqui, quæ proprii loco, per antonomasiam ponuntur: ut,* Dominus, *pro Christo;* Poeta, *pro Virgilio. Item nomina artium, ac dignitatum: ut,* Rhetorica, Astrologia, Rex, Dux, *&c. Item festorum: ut,* Pascha.

II. Voces novam periodum inchoantes,

* *Post breviorem tamen periodum quandoque minuscula suffecerit: ut in distinctionum notis dicetur.*

III. Primæ versus cujusque literæ in carmine.

De majusculis literis, quæ vel solæ, vel una, aut gemina litera sequente, pro voce integra ponuntur.

† Prænomina quædam una litera scribuntur: ut, *A.* notat *Aulus*, *C.* *Cajus*,

jus *, D. *Decimus*, K. *Kæso*, L. *Lucius*, M. *Marcus*, M' vel M. *Manius*, N. *Numerius*, P. *Publius*, Q. *Quinctus*, T. *Titus*. Quædam ſcribuntur binis: ut, Ap. *Appius*, Cn. *Cnæus*, Op. *Opiter*, Sp. *Spurius*, Ti. *Tiberius*. Quædam ternis: ut, Mam. *Mamercus*, Sex. *Sextus*, Ser. *Servius*, Tul. *Tullius*.

Sic F. notat *filius*, N. *nepos*. Ut, M. F. M. N. eſt, *Marci filius*, *Marci nepos*. Atque ita in aliis.

Itidem P. C. notat *Patres conſcripti*, R. P. *reſpublica*, P. R. *Populus Romanus*, U. C. *Urbs condita*, S. P. Q. R. *Senatus*, *Populuſque*, *Romanus*, H. S. vel L. L. S. valet *ſeſtertium*, quaſi dicas duos aſſes & ſemiſſem, hoc eſt, duas æris libellas, & ſemiſſem.

* Quod pronunciabant, ut *Gajus*. Nempe origo eſt à γάϊος, pro γήϊος. Ac ſimiliter *Cnæus*, quod ſubjungo, efferebant ut *Gnæus*, videlicet quia origo foret ex γενναῖος. Facta hæc amore priſcæ conſuetudinis, quãdo *G* non haberent. Sic in roſtrata Duilii columna eſt *leciones*, pro *legiones*, *maceſtratos*, pro *magiſtratus*, & ſimilia.

* *Vnde &* ſeſtertius *dictus*, *quaſi* ſemitertius, *ubi intelligitur* nummus. *Cætera hujus generis vide ſis, in Valerii Probi & aliorum libellis, de interpretandis literarum apud Romanos compendiis.*

De I, *&* V.

Plerique has literas aliter pingunt, cùm vocales ſunt; aliter, ſi fuerint conſonantes. Cùm vocales ſunt, figuram iis majuſculam tribuunt: I, & V, vel U: minuſculam autem *i*, & *u*. Sed ſi conſonantes ſint, figu-

ram illis majusculam assignant, J, & V; minusculam, j, & v *.

• Nec inutilè sic distingui; cùm alioquin sæpiùs contingat, ut ambigua sit mens scriptoris. Ut num *parui* sit à *pareo*, an *parvi* à *parvus*: utrùm *volui* à *volo*, an *volvi* à *volvo*: num *consuerunt* à *consuo*, an *consverunt* à *convesco*: atque ita in aliis. Quare in hujusmodi statuere aliquod discrimen, etiam jubet ingentis & doctrinæ, & judicii vir, Ludovicus Vives, libello de ratione studii puerilis ad Catharinam Hispanam, exarato, quo à filia Maria, Angliæ postmodò Regina, observaretur.

De Orthographia cognoscenda ex primigenio, aut derivato.

Derivatum sequitur formam primitivi. Ita *gratia* scribitur per *t*, quia est à *gratus*; *audacia*, per *c*, quia est ab *audax*, cujus obliquus est *audacis*. Et contrà primitiva cognoscuntur à derivatis: quomodo *delicia* scribimus, quia dicitur *delicatus* [1].

1 Interim neque hìc è primigenio causa est obscura. Nam à *lacio* sunt *illicio*, *delicio*, *pellicio*: à *delicio* autem, (quò Titinnium esse usum ex Nonio constat) venit *deliciæ*.

De recta syllabarum disjunctione.

I. Consonans inter duas vocales posita, pertinet ad posteriorem: ut, *a-mor*, *le-go*.

II. Si consonans geminetur, prior ad priorem, posterior ad posteriorem syllabam pertinet; ut, *an-nus*, *flam-ma*.

III. Consonantes, quæ initio vocis non possunt sociari, nec in medio conjunguntur: ut, *ar-duus*, *por-cus*.

* *Adversus hosce tres canonas nemo facilè peccet, nisi usque adeò sit rudis, ut colligere literas nesciat. At major usus est regulæ sequentis.*

IV. Con-

IV. Consonæ, quæ conjungi possunt initio vocis, etiam in medio connectuntur: ut,

bd. *he-bdomas*,	quia dicitur,	*bdellium*.
cm. *Pyra-cmon*,		κμητός [1].
cn. *te-chna*,		*Cneus* [2].
ct. *do-ctus*.		*Ctesipho* [3].
dm. *A-dmetus*,		δμάω, *dmois* [4].
gn. *a-gnus*,		*gnatus*.
mn. *o-mnis*,		*Mnemosyne*.
phth. *na-phtha*,		*phthisis*.
pn. *Thera-pne*.		πνεῦμα.
ps. *scri-psi*,		*psittacus*.
pt. *a-ptus*,		*Ptolemæus*.
sb. *Le-sbia* [5],		σβέσις.
sc. *pi-scis*,		*scamnum*.
sm. *Co-smas*,		*smaragdus*.
sp. *a-sper*,		*spes*.
sq. *te-squa*,		*squama*.
st. *pa-stor*.		*sto*.
tl. *A-tlas*,		*Tlepolemus* [6].
tm. *La-tmius* [7],		*Tmolus*.
tn. *Æ-tna*,		θνήσκω.

* *Quemadmodum autem* a-gnus *scribo, ita &* a-gmen 8, *&* te-gmen: *non quia vox ulla occurrat, quæ à* gm *incipiat; sed quia* a *in* ago, *&* te *in* tego, *syllabam faciant, unde illa derivantur. Similiter* fra-gmentum *exarandum, quia in* frago, *unde* fregi, *&* fragilis, g *pertinet ad secundam syllabam. Par ratio in* au-gmentum, *&* un-guentum. *Item in* do-ctrina: *non quia ulla vox incipiat à* ctr; *sed quia* do *syllabam constituit in* doctus,

1 Hoc est, τὰ πεποιημένα, teste Hesychio. Sic κμέλεθρα, *trabes*, ut Herodianus ex Pamphilo testatur.
2 Sic *cnasones*, & *cnephosus*: de utroque Festus.
3 Similia *Ctesias*, *Ctesibius*, *Ctesippus* apud Plu. *Ctesicles* apud Athen.
4 Puto autē ut se habent tenues *ti*, ita & se habere medias *gd*: eoque scribam; *Mygdonia*.
5 Sic *Thi-sbe*.
6 Filius Herculis à Sarpedone interemtus.
7 Sic & *Arithmetica*.
8 Similiter Priscianus in fine libri primi.

a quo

à quo doctrina. *Neque impedit soni natura, quò minùs Latini, & Græci potuerint vocem habere à* ctr *incipientem. Nec enim multò id erit durius; quàm cùm duæ consonæ concurrunt post* ſ. *Quod variè fit. Vel enim sequitur* cr, *ut*, ſcriba, ſcrobs: pl, ſplendeo: *vel* pr, *ut* ſpretus, σφραγὶς: *vel* tl, *ut* ſtloppus, *quod apud Persium est sat.* 5. *etiam Prisciano testante: similiterque veteres dixere* ſtlitem, ſtlata, ſtlocum: *vel* tr, *ut* ſtrabo, ſtruo. *Imò & in Græcis sequitur* cl *vel* cn: *ut* σκληρὸς, durus; σκνὶψ, culex ficus infeſtans: *ut dubium non sit, quin in* A-ſclepiades *pertineat* ſ *ad syllabam secundam*.

EXCIPIUNTUR.

Composita cum præpositionibus: in quibus pars quæque ab altera eſt ſeparanda: ut, *in-ers*, *ab-esse* [1], *abs-trusus*, *dis-cors*, *ex-istimo*, *trans-alpinus*, *præter-eo*, *propter-ea*, &c. Par ratio in aliis compoſitis: ut, *juris-consultus*, *olus-atrum*, *alter-uter*, *amphis-bæna*, *dys-enteria* (δυσεντερία), *et-enim*, &c.

1 Errat igitur Priſcianus lib. 1. ubi jubet ſcribere *a-bdomen*, quia dicamus *bdellium*. Nam *abdomen* dicitur, quoniam abditum. In *abdo* autem *b* ad priorem pertinet ſyllabam, quia compoſitum eſt.

DE NOTA

Apostrophi, Diæresis, & ea, quæ Hyphen vocatur.

Apoſtrophus eſt nota rejectæ vocalis [1]: ut, *egon'*, *ain'*, *viden'*, *nostin'*: pro *egone*, *aisne*, *videsne*, *nostine*.

Diæreſis nota ſunt puncta duo literæ impoſita. Utimur ea differentiæ cauſa: ut *aëra*, nec legatur *æra*. Sic in illo Ovidii,

Nec temere in mediis dissolüantur aquis.

1 Idque non tantùm ſequente vocali: ſed, ut Diomedes cenſet, etiam conſona ſequente. Ut, *Tanton' me crimine, dignum*. Et apud Perſ. *Ten' cirratorum centum dictata fuisse*.

Ne

Ne metri ignarus legat, *dissolvantur*, quatuor syllabis.

Hyphen [2] ita connectit vocabula duo, ut proximè ad compositorum naturam accedant. Nota ejus est [3] Y. Ut apud Virgilium, *ante* Y *malorum*.

2 *Unitio* Græcè ὑφὲν.
3 Nempe linea ab ultima prioris vocis ad primam sequêtis subducta.

DE NOTIS

Numerorum apud Romanos *.

* Vide de his fusiùs Paulum Manutium ad Ciceronis Ep. 17. lib. 2. ad Famil.

I.	unus.
V.	quinque.
X.	decem.
L.	quinquaginta.
C.	centum.
[1] IↃ.	quingenta.
[2] CIↃ.	mille.
IↃↃ.	quinque millia.
CCIↃↃ.	decem millia.
IↃↃↃ.	quinquaginta millia.
CCCIↃↃↃ.	centum millia.

1 Nunc *D* pro eo ferè obtinet.
2 Nunc *M*. Ita ut in universum sint septem literarum notæ: *C. D. I. L. M. V.* X. Nisi & addere visum *Q.* quod pro quingentis reperias in veterum notis.

Ex horum compositione facilè erit de quovis numero statuere. Quòd si minor numerus præponatur; indicio erit, tantundem à majori demi oportere. Itaque IV, valet quatuor; IX, novem; XL, quadraginta; XC, nonaginta; IC, nonaginta novem, &c.

APPEN-

APPENDIX altera
DE METAPLASMO [1],

quatenus ad etymologiam, ſive analogiam pertinet.

Metaplaſmus eſt literæ, vel ſyllabæ in voce additio, detractio, aut immutatio.

Additio fit Proſtheſi, Epentheſi, Paragoge, & Diæreſi.

Proſtheſis [2] apponit aliquid in principio: ut, *gnavus*, pro *navus*.

Epentheſis [3] addit in medio; ſive vocalem [4]: ut apud Maronem *trahea*, pro *trahæ*, & *alituum pecudumque*, pro *alitum*; ſive conſonantem [5], ut, *relligio*, *rettulit*, *repperit*, &c.

Paragoge [6] addit in fine: ut, *dicier*, pro *dici*.

Diæreſis [7] dividit ſyllabam unam in duas:

1 Diximus de Metaplaſmo jam antè: ſed ſparſim. Quare juvabit puerum, ſi ſpecies cunctæ hìc prodeant in conſpectum. Fuſiùs verò de ſingulis Linacer; quo nemo hanc de Figuris partem accuratiùs eſt perſecutus. 2 Latinè *appoſitio*, Chariſio *adjectio*. Sed cùm in medio etiam aliquid apponatur, & adjiciatur: melius, puto, diceretur, πρόθεσις, quod eſt *præpoſitio*. 3 Latinè *inſertio*, ſive ad verbium *interpoſitio*. 4 κατ' παρένθεσιν id fieri ajunt Trypho, & Chariſius. Puto autem ejuſmodi quoque eſſe illud Ennianum, *Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis*. Unde veterum aliqui collegerunt, in proſa etiam *Carthaginienſis* ſcribi oportere. Atqui ἀναλογία requirit *Carthaginenſis*. *I* verò inſeruit Ennius, neceſſitate coactus, quia metrum reſpuit alterum illud. 5 Nempe κατ' διπλασιασμόν: ſive, ut Donatus vocat, *per adjectionem*, nimis generatim: malim, *per inſertionem*. 6 Hoc eſt, *productio*. Diomedes, generali vocabulo, id fieri ait ἐκ παραλλήλου. 7 Donato dicitur *diſſciſſio*, Græcis etiam διάζευξις, vel διαχώρησις, vel διάλυσις, nominatur. Eſt verò hæc additionis figura, quia in voce auget numerum ſyllabarum. Tale eſt & *ſiluæ* pro *ſilvæ*. Nam veteres U conſonum pronunciabant, ut *vv*: videlicet *ſilvæ*, ut *ſilvvæ*. Unde facilius eſt rationem διαλύσεως obſervare, quàm ex corrupta pronunciatione, quæ nunc obtinet.

ut in *aulai* triſyllabo, pro diſyllabo *aulai*, quod nunc *aulæ*.

Detractio fit Aphæreſi, Syncope. Apocope, & Craſi.

Aphæreſis [1] præcidit principio. Quomodo Præneſtini dixere *conia* [2] pro *ciconia*. Ita factum *naſcor* ex *gnaſcor*, quia eſt à *geno*, quod à *γένομαι*. Huc vulgò etiam referunt *mitto*, pro *omitto*; *temnere*, pro *contemnere*. Sed potiùs dicendum, hìc ſimplex accipi pro compoſito.

Syncope [3] aufert medio; ſive uſitatè, ut *caldum*, pro *calidum*; *dixti*, pro *dixiſti*: ſive poeticè, ut *puertia*, pro *pueritia*; *ſurpuerat*, pro *ſurripuerat*; *promoſſet*, pro *promoviſſet*; *repoſtum*, pro *repoſitum*, &c. [4].

Apocope [5] de fine demit. Ut, *Venatu invigilant* [6], pro *venatui*; *tun*, pro *tune*; *inger* [7], pro *ingere*; *viden*, pro *vides ne* [8].

Craſis [9], quæ & ſynæreſis vocatur, con-

1 *Ablatio*, vel, ut Chariſio dicitur, *detractio*. Κατ' ἔνδειαν fieri hujuſmodi ait Trypho. Schema κατ' ἆρσιν vocat Corinthus. 2 Plaut. Truc. 3. 2. 3 Cic. *imminutio*, Acroni *detractio*. Κατὰ λέξιν ſit *conciſio*. 4 Cujuſmodi ſyncopen quandoque in proſa etiam habere locum, Giffanius, indice Lucretiano in *Deceſſe*, ex eo comprobat, quòd ipſius Ciceronis ſint, *deceſſemus* pro *deceſſiſſemus*, & *decreſſent*, pro *decreviſſent*. Ingentem hujuſmodi ſyncopen paſſorum copiam congeſſit Dauſquius Orthographicorum volum. 1. tract. 3. cap. 6. ſect. 2. pag. 129. 5 Hoc eſt, *abſciſſio*, 6 Lucret. 7. Catull. *Inger mi calices amariores*. Quamquam in aliquibus libris ſit *miſce*. 8 At inſolentes planè ſunt apocopæ iſtæ apud Ennium, *lætificum gau*, pro *gaudium*: *altiſonum cæl*, pro *cælum*: *endo ſuam do*, pro *domum*. Quæ tria ex eo adducit Auſonius in Grammatico magiſte: poſtremum etiam Marius Victorinus. Pluraque hujus generis ex aliis ſuppeditabit Claudius Dauſquius memorati voluminis ſect. ſeq. ſive pag. 131. 9 Fabio lib. 1. cap. 5. non tantùm συναίρεσις, ſed etiam συναλοιφὴ, Latinèque *complexio* vocatur: Donato dicitur *conglutinatio*.

trahit in unam [10] syllabam vocales duas, quæ ad syllabas diversas pertinent. Ut, *Thesei*, pro *Theseï*: *aureis* dissyllabon, pro *aureïs*: *Phæton* pro *Phaëton*: *vemens*, pro *vehemens*.

10 Figura hæc imminuentibus accensetur; quia, etsi manent vocales, syllabarum tamē numerus decrescit.

Hæc octo schemata complexi sunt versiculis istis.

Prosthesis apponit capiti, sed Aphæresis aufert.
Syncopa [1] *de medio tollit, sed Epenthesis addit.*
Abstrahit Apocope [2] *fini, sed dat Paragoge.*
Constringit Crasis, distracta Diæresis effert.

1 Versus gratia *syncopa*, pro *syncope*; quomodo *Helena*, & *Helene* dicitur. 2 Prima in *apocope*, præter naturam vocis, metri ergo producitur, ob concursum trium brevium: ut poetæ faciunt in *Priamides*, & *Arabia*.

Immutatio fit Metathesi, & Antithesi [1].

Metathesis [2] est trajectio literæ, vel syllabæ. Ut, *pistris*, pro *pristis*.

Antithesis [3] est literæ pro litera positio. Ut, *faciundum*, pro *faciendum*, & antiquum *olli*, pro *illi*.

1 Etiam Metaplasmus immutationis fit in systole & diastole. Verùm cùm in his quantitas spectetur: non ad etymologiam, sed prosodiam pertinent. 2 Ad verbum sonat *transpositio*; Fabio, & Donato, *transmutatio* dicitur; Diomedi *translatio*. 3 Ad verbum *oppositio*; Diomedi, *commutatio*; Servio, schema κατ' ἀντίστοιχον; interpreti Homeri, figura κατὰ μετασχηματισμόν; Scholiastæ Pindari, κατὰ μετάληψιν. Nisi generali appellatione usos esse, magis placet.

F I N I S.

LATINA SYNTAXIS,

In usum Scholarum Hollandiæ, & West-Frisiæ, Superiorum auctoritate, adornata;

Passim quidem reservatis ferè præceptis, & exemplis, Ludolffi Lithocomi;

Sed plurimis repurgata ab erroribus, etiam superfluis omissis, additis necessariis, atque omnibus meliori ordine digestis,

OPERA

GERARDI JO. VOSSI;

Qui & uberes notas ad oram adjecit.

AMSTELODAMI,
Sumptibus NICOLAI RISPOLI.

MDCCX.

SYNTAXIS LATINA.

SYNTAXIS [1] est pars Grammaticæ, quæ [2] construere orationem docet.

Hæc duplex est; analoga [3], & anomala, seu figurata.

Analoga constructio est, quæ communem loquendi consuetudinem sequitur [4].

Figurata, quæ communem loquendi consuetudinem non sequitur; & tamen bonorum Scriptorum [5] auctoritate nititur.

Constructio analoga consistit in Convenientia, & Regimine [6].

1 Σύνταξις notat structuram, qua voces συντάττονται, hoc est, ordinantur inter se. 2 Sive, quæ docet construere voces ad faciendam orationem. 3 Quæ *justa* dicitur Thomæ Linacro, viro, de hac parte artis Grammaticæ, benè jam ante seculum merito. 4 Sive, quæ simpliciorem structuram, & naturalem linguæ modum retinet. 5 Nam nisi auctoritate nitatur bonorum Scriptorum, *solæcismus* erit: quod eo differt à barbaro, quia hoc fit in voce, illud in structura. Charisius ait lib. 4. Veteres pro solœcismo *imparilitates*, vel *striblíginem* dixere. Vide Gellium lib. 5. cap. 10. At pro barbaro iidem maluere *rusticum*: uti Nigidius in comment. Gram. *Rusticus fit sermo, si adspires perperàm*. Citat. lib. 13. c. 6. 6 Ita loqui liceat cum Grammaticis. Aliter, scio Tullius; qui, ubi vulgus ait, *amo regere accusativum*, mavult dicere *consequi* accusativum: Regimen autem vocarunt Grammatici; quia vox una præest, altera inservit: ut quæ non nisi certo flexionis fine voci alteri jungatur; idque fine eo, quem illa exigat.

De Convenientia.

Convenientia est, cùm dictiones in accidentibus quibusdam conveniunt.

Convenientia vocum declinabilium [1] est triplex: adjectivi, & substantivi [2]; substantivi cum substantivo; nominativi, & verbi [3].

1 Hoc addo, quia de adverbiorum, & conjunctionum cõvenientia seorsim inferiùs agetur. 2 Sub qua continetur etiam illa antecedentis, & relativi. 3 His addunt nonnulli convenientiam interrogationis, & responsionis: de qua extremo loco aliquid addemus.

REGULA I.

De convenientia substantivorum, & adjectivorum; idque nominum, pronominum, & participiorum.

Adjectivum, & substantivum [1], conveniunt in genere, numero, & casu: ut,

Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

* *Substantivis etiam annumerantur adjectiva* 2, *cùm substantivè sumuntur: ut,*

Amicus certus in re incerta cernitur. *Ennius*.

1 Sæpè hìc, concisco, sermonis genere, intelligitur substantivum: ut, *vescibubula*, *ferina*, nempe *carne*: *laborare tertiana*, *quartana*, puta *febri*: *donari centenis æris*, videlicet *nummis*; *reus repetundarum*, nempe *pecuniarum*: *calida lavari*, & *frigida perfundi*, puta *aqua*: *civica donari*, scilicet *corona*: *in duodecim*, intellige *tabulis*: *in* XIV. *sedere*, puta *ordinibus*: *in Tusculano*, nempe *prædio*: *docere togatam*, vel *prætextatam*, scilicet *fabulam*: *Circensibus*, nempe *ludis*: *primas tenere*, vel *deferre*, intellige *partes*: *aliqua pares*, nempe *ex parte*: *eadem feceris*, puta *opera*: *de meo*, supple *ære*: &c. 2 Et adjectiva interdum substantivè sumuntur, & substantiva adjectivè. Prioris exemplum, hic est, *Amicus certus*. Simileque Ecl. 1. *Fortunate senex*. Item apud Poetam, *Fallax serenum*, & *Aperta serena*. Ubi *serenum* est serenitas, τὸ αἴθριον. Posterioris hoc exemplum est 1. Æn. *Hinc populum latè regem, belloque superbum*. *Regem*, id est, *regnantem*.

EXCEPTIO.

Relativum & antecedens, semper [1] quidem conveniunt in genere, & numero:

1 Puta in oratione analoga. Verùm per enallagen interdum fit, ut relativum, & antecedens, numero dissentiant. Cic. *Si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt*. Ubi respexit *tempora*. Ter. *Eunuchum dixit velle te, quia solæ utantur his reginæ*: puta *eunuchis*.

sed

sed casus est diversus, quando vox sequens alium [2] casum regit [3]: ut,

Literæ placuerunt, quas ad me dedisti.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu. Horat. 1. Epist. 2.

* *Antecedens quandoque repetitur. Cæsar*: Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent. *Cic.* Oportebatne de ea re judicium fieri, quæ res in judicium non venerit? *Ac interdum id, ad vitandam ambiguitatem, etiam necessarium videtur. Vt si dicas,* Lectus à me liber Nepotis de Attici vita: cui laus sua negari non debet. *Malim*; cui libro, *vel* cui Nepoti, *vel* Attico, *vel* vitæ: *prout aliter, vel aliter intellexeris.*

2 Si enim vox sequens eundem casum regat, casu etiam convenire possunt. Quod bifariam fit. Nã poetæ etiam antecedens præmittunt: ut apud Maronem; *Vrbem quam statuo, vestra est*. Quod in prosa sic efferas: *Quam statuo urbem, vestra est*. Sic orator dicat: *Quas ad me dedisti literas, placuerunt*. Poeticum magis fit: *Literas quas ad me dedisti, placuerunt*. 3 Pro *regit* malim *requirit*; sive ob convenientiam nominis cum verbo; sive ob rectionem casus. Nam cùm dico, *Literas amo, quæ hominem reddunt meliorem*: diversus est casus, non propter rectionem verbi; sed ob convenientiam cum verbo personali.

REGULA II.

De convenientia duorum substantivorum.

Substantiva rei ejusdem in [1] casu conveniunt, per Appositionem: ut,

Vrbs Colonia. Anna soror. Æneid. 4.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini. Virg. Ecl. 2.

* *Interdum Appositio fit casu genitivo: ut,*
Flumen Rheni, *pro* Rhenus 2.
Urbs Patavii. Arbor fici.

1 At numero, vel genere, nihil opus convenire; ut videre est in allato hìc altero Maronis loco, cui simile illud Cic. *Deliciæ tuæ noster Æsopus*. Neutro in loco, vel genere, vel numero conveniunt. At genere, non numero, consentiunt, *urbi Athenæ*: numero non genere, *vinum absinthites, abrotonites*; item, *stella cometes*, & similia. 2 Vocant Antiptosin, vel Enallagen casus.

REGULA III.

De Convenientia nominativi, & verbi personalis.

Omne verbum personale [1], & finitum, habet ante se nominativum ejusdem personæ [2], & numeri.

Obsequium amicos, veritas odium parit. Terent. And.

1 Non temerè excipitur verbum impersonale, & infinitum. Nam impersonale, nullum ante se casum habere solet: ut, *tædet me vitæ*: *pugnabatur fortiter*. Ac par ratio in usurpatis impersonaliter. Ut, *contingit sæpè*. Infinitum autem pro nominativo habet ante se accusativum: ut, *jubeo te venire*, pro *ut tu venias*. 2 Putant vulgo, ab hoc canone recedi, cùm dicitur, *Ego pauper laboro*, *tu dives ludis*. Et intellecto pronomine, *Calliopius recensui*: *interrogatus responde*. Atque hoc *Evocationem* appellant; quia pronomen primæ, vel secundæ personæ, quasi è stativis suis, evocet nomen tertiæ personæ. Sed *pauper* & *Calliopius*, in allatis exemplis primæ sunt personæ: *dives* & *interrogatus*, secundæ: non tertiæ, ut putarunt. Nempe revocandum in memoriam, quod dictum est in Etymologia, sive Analogia; nomen ejusdem semper esse personæ, ac pronomen est, vel verbum, cui jungitur. Atque idem judicium esto de pronomine relativo. Ut, *qui sumus*, *qui estis*, *qui sunt*; *utri sumus*, vel *estis*, vel *sunt meliores*, aut *doctiores*.

OBSERVATIO I.

† Verba primæ & secundæ personæ, rarò habent ante se nominativum expressè; nisi discretionis, aut emphasis causa.

Discretio autem vocatur, cùm diversa studia significamus.

Tu nidum servas; ego laudo ruris amœni
Rivos. Horat. 1. epist. 10.

Emphasis est, cùm plus significamus, quàm expressè dicimus.

Tu audes ista loqui?
Cantando tu illum? supple, *vicisti*. Ecl. 3.

Aliàs ferè omittitur pronomen.

Quid

Quid facis? scribo.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Ovid.

OBSERVATIO II.

† Verba tertiæ personæ, loco nominativi sæpè habent ante se verbum infinitum [1], aut orationem infinitam: ut,

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: pro *scientia tua.* Pers. Sat. 1.

——*Ingenuas didicisse* [2] *fideliter artes*
Emollit mores, nec sinit esse feros. Ovid. 2. de Pont. Eleg. 2.

1 Infinitivus sumitur pro substantivo: quod cùm fit, vocant ἀντιμεζίαν, vel Enallagen vocis.
2 Ubi *didicisse* poni pro nominativo arguit, quòd Græcè si exprimas, articulus addatur. Nam Græcè fuerit: τὸ μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη.

OBSERVATIO III.

† In quibusdam verbis tertiæ personæ, nominativus per Ellipsin subintelligitur: ut,

Ajunt, dicunt, ferunt, perhibent, &c.

Ita prædicant, supple *homines.* And. act. 5. sc. 3. [1].

Item in his: *Tonat, pluit, ningit, grandinat, lucescit, vesperascit, &c.* [2]. Ubi *Deus, cælum, aqua,* vel simile intelligitur.

*. *Interdum tamen nominativus additur: ut,* Saxa pluunt 3. *Stat.*
Multus ut in terras deplueretque lapis. *Tibul. lib. 2. el. 5.*

1 Simile est, *Sunt quos arma delectant*, puta homines: *tradunt*, supple, *scriptores.* Quomodo Gellius & alii loquuntur. Ἐλλειπτικὸν etiam videtur, *Venit mihi in mentem, ejus rei*; puta *recordatio.* 2 Ut *pluvia*, in *pluit*; *lux*, in *lucescit*, &c. 3 Grammatici ea vocant *verba exemptæ actionis*, ut dictum in Etymologia. Vel etiam *exceptæ*, aut *absolutæ actionis.*

Nonnumquam & casus alii adjungantur: ut, Pluit lacte, sanguine, carne, *&c. Liv.*

OBSERVATIO IV.

† Sæpè etiam intelligitur per Ellipsin verbum substantivum: ut,

Varium, & mutabile semper femina. Virgil. 4. Æn.

Rari quippe boni. Juvenal. sat. 13. [1].

1 Ajunt, simile esse hoc Ciceronis in Lælio: *Suavitas non mediocre condimentum amicitiæ*. Et hoc Maronis 6. Æn. *Pauci, quos æquus amavit Jupiter*. Sed loca Scriptorum inspicienti liquebit, apud Ciceronem præcedere verbum *accedit*: apud Maronem autem sequi verbum *potuere*.

REGULA IV.

De verbis utrimque habentibus nominativum.

Verba quælibet utrimque nominativum recipiunt [1].

Imprimis, *sum, forem, fio, evado, existo, maneo, nascor, orior*.

Ita furor brevis est. Horat. 1. ep. 2.

Leve fit quod benè fertur onus.

Hic evadet vir doctus [2].

Terra manet immobilis, &c.

† Item verba passiva vocandi [3], existimandi [4], & cognoscendi [5].

Glycerium dicta est, atque habita soror Chrysidis. Terent. And. Act. 4. scen. 6.

1 Perperam vulgò dicunt *regunt*: pro quo reposui *recipiunt*. Nec enim nominativus à verbo regitur; sed cum eo convenit.

2 Pro quo vulgò, sed minùs Latinè, dicitur, *Hic evadet in virum doctum*.

3 Ut etiam sunt, *appellor, audior, dicor, feror, nominor, nuncupor, perhibeor, salutor*.

4 Ut sunt, *appareor, censeor, credor, habeor, judicor, videor*.

5 Qualia quoque, *arguor, deprehendor, evincor, reperior*.

Septem

Septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes & haberentur, & vocarentur. Cic. de Orat.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. Horat. ep. 19. lib. 1.

† Similiter verba, quæ recipiunt post se nominativum significantem statum, aut gestum rei: ut,

Nemo saltat sobrius. Cic. pro Mur.

† Item in his, ubi prior nominativus ex præcedenti oratione est supplendus.

Incedit rectus. Dormit supinus.

It cubitum incœnatus. Plautus Pseud. act. 3. sc. 4.

† Huc pertinent, in quibus nomina adjectiva pro adverbiis [6] ponuntur.

Venio in senatum frequens, pro *frequenter*. Cic. de senect.

Tibi lubens benè faxim. Adel. act. 5. sc. 5.

* Nec minùs Æneas se matutinus agebat, *Virg.* *pro* mane [7].

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. *Virg. ubi* Eoæ *similiter valet* matutinæ; *hoc est*, manè.

6 Per Enallagen partis.

7 Quanquã *mane* non tam adverbium quàm ablativus possit videri. Dicimus enim, *summo*, vel *obscuro mane*, ut in nominativo, *clarum mane*.

OBSERVATIONES aliæ:

Sed quæ ad diversa convenientiæ genera pertineant.

OBSERVATIO I.

Duo singularia plerumque habentur pro

plurali; unde & adjectivum, ac verbum plurale adſciſcunt [1].

Pater, & Chremes, reverſi. Sulp. in Arg. Phor. Ter.

Nox & amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent. Ovid. 1. Amor. Eleg. 6.

1 Non ſemper, ſed plurimum. Nam Ciceronis eſt: *Et ego, & Cicero meus flagitabit.* Item: *Mihi & res, & conditio placet.* Item: *Egit pater, & filius, ut tibi ſponderem.*

2 Ubi *cum* ponitur pro *&*. Nam ſententia eſt, *& Strymonem.*

* *Poetæ etiam, quando alterum ſingularium in ablativo ponitur cum præpoſitione, addunt interdum adjectivum, aut verbum plurale.*

Fors eadem Iſmarios Hebrum cum [2] Strymone ſiccat. *Ovid.*

——Remo cum fratre Quirinus
Jura dabant. *Virgil.*

OBSERVATIO II.

Eaque quinque-partita.

† I. Relativum *qui*, poſitum inter duo ſubſtantiva diverſorum generum, cum antecedente convenit, vel ſequente.

Cum antecedente:

Jovis ſtella, quæ Phaëton dicitur. Cic. 2. de Natur. Deor.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos. Ovid. 1. Met.

Cum ſequente:

Animal plenum rationis, quem vocamus hominem. Cic. 1. de leg.

Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Salluſt.

* II. *Si-*

* II. *Similiter participia passiva verborum, quæ nominandi, vel existimandi significationem habent, quandoque cum sequenti substantivo conveniunt.*

Non omnis error stultitia dicenda est. *Cic.*

Paupertas mihi onus visum est miserum, & grave. *Terent. Phor.*

Gens universa Veneti appellati. *Liv.*

III. *Si in appositione prius substantivum sit hominis, aut animalis; consentiet adjectivum, aut verbum, cum substantivo eo, quod in ordine grammatico præcedit.*

Cùm duo fulmina nostri imperii, Cn. & Pu. Scipiones, extinct occidissent. *Cic.*

Tullia, deliciolæ nostræ, tuum munusculum flagitat. *Idem.*

Sin prius est nomen rei inanimæ, cum posteriori 1 *conveniet.*

Oppidum Latinorum Apiolæ captum à Tarquinio rege. *Plin.*

Tungri, civitas Galliæ, fontem habet insignem. *Idem.*

IV. *Superlativus partitivè positus sæpius convenit cum substantivo, de quo est sermo. Cic.* Indus fluminum maximus. *Plin.* Villosissimus animalium lepus. *Interdum & cum genitivo plurali. Plin.* Moly herbarum laudatissima: *&*, florum pulcherrimus.

V. *Verba substantiva, vocativa, & similem vim habentia, quando utrimque nominativum habent, sed diversi numeri; usitatius quidem cum priori, rarius autem cum posteriori conveniunt.*

Nuptiæ sunt res honesta 2.

Amantium iræ, amoris redintegratio est. *Ter.* 3

1 Intellige posterius in ordine grammatico. Quod etiam fit in sequenti exemplo. Nam structura est, *Apiolæ, oppidum Latinorum, captum.*

2 Sic Ovid. *Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.* 3 Huc etiam refer, cum particula *nisi*, vel similis, intercedit. Virgil. *Nihil hic nisi carmina desunt.* Ovid. *Quid enim nisi vota supersunt?*

OBSER-

OBSERVATIO III.

* *Cùm adjectivum refertur ad plura substantiva genere, vel numero, diversa: vel verbum respicit plures nominativos numero, aut persona diversos: cum propiore cujuscumque numeri conveniet per Zeugma* 1: *cum digniore, per Syllepsin* 2, *sed nonnisi numero plurali. Dignius autem est genus masculinum feminino* 3: *persona item prima dignior est, quàm secunda; & secunda, quàm tertia.*

Zeugma

Cum propiore genere: ut,
Locus, tempus, constitutum est. *Eunuch. act. 3. sc. 4.*
Cum propiore numero: ut,
Caper tibi salvus, & hœdi. *Virg. 7. Ecl.*
Hic illius arma, hic currus fuit. *Æn. 1.*
Cum propiore persona: ut,
Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi. *Hor. 1. ep. 1.*

Syllepsis

Cum digniore genere: ut,
Pater, & mater mortui 4. *Eun. act. 3. sc. 3.*
Cum digniore persona: ut,
Si tu, & Tullia, lux nostra, valetis; ego, & suavissimus Cicero, valemus. 14. *epist. Fam. 5.*

1 Ζεῦγμα Latinè sonat *junctio*, sive *jugatio*, atque ita vocatur, quia aliquid ei convenit, cui jungitur. Porrò si adjectivum, aut verbum, initio ponatur, *protozeugma* nominant: si in medio, *mesozeugma*: si in fine, *hypozeugma*. Cujusmodi anxia vocũ distinctio, morari magis studia, quàm juvare, mihi videtur. 2 Σύλληψις Latinè fit *comprehensio*: atque ita dicitur, quia aliquid duo diversa comprehendat: unde adjectivum, & verbum, hìc semper est numeri pluralis. Nam quod plura comprehendit, singulare esse nequit: contrà quàm in zeugmate fit, ubi aliquid uni jungitur, deque altero intelligitur. Cæterùm συλλήψεως vox latiùs patet apud veteres Poetarum interpretes, quàm hodie fit. Nam iis, præter syllepsin eam, de qua actum, etiam complectebatur zeugma & synthesis, de qua paulò pòst dicetur. At zeugma iis erat, cùm vox eadem sine immutatione est repetenda ἀπὸ κοινοῦ. 3 Utrùm & femininum dignius est neutro? Ita quidem plerisque videtur, idque propter illud Lucani: *Leges, & plebiscitæ, coactæ*. Sed istoc μοναδικὸν videtur, sive singulare; ut adversus aliorum scriptorum consuetudinem exinde non debeat judicium ferri. 4 Adjectivorum naturam quandoque etiam substantiva sequuntur. Ut in isto: *Cæsar, Ptolomæus, & Cleopatra, reges*. Sic Ovid. *Soceri tibi, Marsque, Venusque*. Nam in talibus etiam appositum respicit genus dignius.

Fit

Fit Syllepsis ferè in substantivis rerum animatarum.

Sed substantivis rerum inanimarum subjicitur plerumque adjectivum plurale neutrum.

Divitiæ, decus, & gloria, in oculis sita sunt. *Saluſt. in Catul.* 5

5 Sic Livius: *Murus, & porta, de cælo tacta erant.* Sed si unum fuerit animatum, alterum inanimum, convenit cum animato. Ut in illo Ovidii: *Jam fac æternos pacem, pacisque ministros.*

OBSERVATIO IV.

* *Per Synthesin* 1 *adjectivum, & substantivum, sæpe in genere, & numero, dissentiunt* 2.

Duo millia crucibus adfixi 3. *Curtius lib.* 4.

Ubi illic scelus est, qui me perdidit. *And. act.* 3. *sc.* 5.

Centauro invehitur magna. *Virg.* 5. *Æneid.*

Imprimis autem locum habet in collectivis, & distributivis 4.

Maxima pars vulnerati. *Saluſt. in Iugurth.*

In quibus etiam per Synthesin nominativus, & verbum, sæpe in numero dissentiunt: ut,

Pars epulis onerant mensas. 4. *Georg.*

Dederim vobis consilium, quod laudetis uterque. *Plaut.*

Quisque suos patimur manes. *Virgil.*

Aperite 5 actutum aliquis ostium. *Ter.*

1 Vocem Synthesios ignorant veteres: sed figuram eam sub Syllepsi comprehendunt; ut paulò antè diximus. Et sanè, si oratio solum intellectu congrua sit: potiùs σύνεσις, hoc est, *intellectio* dici debuerat, quã σύνθεσις, hoc est, *compositio*. 2 Nempe dissentit adjectivum à substantivo expresso, sed consentit cum intellecto. Quomodo in exemplis allatis, non respicitur ad *duo millia*; sed ad *bis mille*, quod in animo est: non ad *scelus*, quod ponitur; sed ad *scelestus*, qui menti obversatur. Similiterque, cùm dicitur *Centaurus*, in mente est *navis*, atque ad illud in structura attenditur. Porrò in tribus hisce exemplis tantùm est generis dissensus. In sequentibus autem, vel solius numeri, vel & generis, & numeri, dissensus invenitur. 3 Raderus edidit *adfixa*. Sed *adfixi*, invenio in *MSSis*, ac similiter editio Hadriani Junii; ut mittam alias. 4 Adde & abstractis positis pro concreto. Velut illo Ter. *Vt illum Di, Deæque, senium perdant.* 5 Ita enim scribendum, non *apertio*. Nam, ut Donatus ait, *aliquis* hìc habet vim pluralis: quia nempe non est aliquis nisi de multis.

Syn-

Synthesis est constructio intellectu, non voce, congrua 6.

Ad Synthesim etiam refer, cùm in possessivo 7 *respicitur ad primitivum, quod includitur.*

Id mea minimè refert, qui sum natu maximus. *Ter.*

Vestra enim, qui cum summa elegantia, atque integritate, vixistis, hoc maximè interest. *Cic.*

Ad primitivum similiter respicitur, cùm possessivis adduntur genitivi nominum 8, *pronominum* 9, *vel participiorum.*

Tuum hominis simplicis 10 pectus vidimus. *Cic. Philipp.* 2.

Juravi, rempub. mea unius opera esse salvam. *Cicer. in Pison.*

Meum solius peccatum corrigi non potest. *Cic. epist.* 15. *lib.* 11. *ad Attic.*

Et flesti, & vestros vidisti flentis 11 ocellos. *Ovid. epist.* 9.

6 Ex generali hac Synthesis definitione liquet, ad eam referri posse hoc Virgilii: *Vos, ô Calliope, precor, adspirate canenti*. Nam συνεκδοχικῶς per Calliopen omnes Musæ intelliguntur. Videtur & huc pertinere archaismus ille apud Ter. *Absente nobis*: & apud Catul. *Insperanti nobis*. 7 Canon hujusmodi est: Relativum, vel verbum, interdum respondet primitivo ei, quod intelligitur in possessivo. Ac plurimùm quidem possessivum illud est pronomen, uti in exemplis allatis; ubi in *mea* includitur, *me*; in *vestra*, *vos*; ut sequens relativum ostendit; rarius verò est nomen; ut in illo Plinii lib. 9. cap. 28. *Stomacho accommodatissimum caprinum* (lac) *quoniam fronde magis, quàm herba, vescuntur*. Ubi ex possessivo *caprinum*, intelligitur pluralis *capræ*. Huic enim respondet verbum *vescuntur*. 8 Præcipuè nominum, quæ significant numerum cardinalem: ut in illo Livii, *Noster duorum eventus ostendit, utra gens bello sit melior*. Aut signum universale, vel particulare. Ut apud Plaut. *Qui vestris paucorum respondent laudibus*. Simileque sit: *Vestris omnium laudibus*. Aut genitivi *unius*, & *solius*; uti ostendunt exempla, quæ adferuntur. 9 Potissimùm pronominis *ipse*, Ut hoc Cic. *Conjecturam de tuo ipsius studio facillimè ceperis*. Et illo ejusdem: *Contentus ero nostra ipsorum amicitia*. Græci similiter, ut Luc. 2. τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, *tuam ipsius animam*. 10 Sic Plin. *Post judicium tuum viri eruditissimi*. 11 Sic Horat. *Cùm mea nemo Scripta legat vulgo recitare timentis*. —— Sed usitatius Ovidius dixit: *Nunc mea scripta legis, qui sum summotus ad Istrum*. Alibi tamen idem Ovidius: *Ut mea defunctæ molliter ossa cubent*.

APPENDIX I.

De convenientia interrogationis, & responsionis.

* *Additur à nonnullis hic canon:*
Interrogatio, & responsio, casu debent convenire.
Cui dono lepidum novum libellum?
Corneli, tibi. *Catul.*
Quid meritus es? crucem. *Ter. And.*
Excipe, si diversa vocum natura diversos casus exigat: ut,
Cujus liber? meus.
Cujum pecus? Ægonis. *Ecl.* 3.
Cujus interest? Mea.

APPENDIX II.

De Convenientia numeralium [1].

* *In Cardinali numero hoc observandum, composita à decem etiam divisim efferri, sed minori numero majorem cum copula ferè præeunte, ut,* tredecim, *vel,* tres & decem: sexdecim, *vel* sex & decem: octodecim, *vel,* octo & decem, *pro quo & dicitur* duodeviginti; *ut* undeviginti, *pro* novendecim. *Similiter se res habet in* viginti, triginta, *&c. ut* viginti duo, *vel,* duo & viginti: viginti octo, *vel* octo & viginti, *aut* duodetriginta; *ut* undetriginta, *pro* viginti novem; *atque ita in aliis.*

In ordinibus interdum minor numerus subjicitur majori cum copula. Cicer. Venerunt post diem quadragesimum & sextum. *Suetonius:* Funeratus trigesimo & octavo ætatis anno, & nonagesimo & quincto imperii die. *Imò & pluribus modis efferuntur. Nam dicimus,* trigesimus primus; *&* primus, *vel* unus, & trigesimus; trigesimus secundus, *vel* secundus & trigesimus, *vel* trigesimus & alter; *quandoque etiam,* alter trigesimus. *Vt apud Cic.* [2] Altero vicesimo die.

1 Quæ doctrina, quatenus numerorum connexio in se spectatur, plane hujus est loci: sed quatenus copula attenditur, ad conjunctionum doctrinam pertinet.

2 Lib. 12. epist. 25.

DISTRI-

Distributiva *gaudent carentibus numero singulari*. *Cic.* Binas abs te accepi literas. *Liv.* Castra terna eodem die capta. *Apud Tacitum tamen legas*, tres liberos [3].

Hactenus de Convenientia: sequitur Regimen.

Regimen [4] est certi casus rectio.

Omnes partes orationis regunt casus, excepta Conjunctione.

3 Fortè quia & *liber* in singulo numero dixere: unde *Liber*, *Liberaque*, de Baccho, & Proserpina: *q.d.* filium, filiamque Cereris. 4 Cur *regimen* à Grammaticis vocetur, superiùs diximus.

DE REGIMINE NOMINUM.

NOmen regit [1] Genitivum, Dativum, Accusativum, & Ablativum.

De Genitivo Nominum substantivorum,

REGULA I.

Substantivum regit substantivum rei diversæ in genitivo: ut,

Gloria est umbra virtutis. Senec. epist. 80.

Dos est magna parentium virtus. Horat. od. 24. l. 3.

Idem fit, si alterum substantivorum fuerit pronomen [2].

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Juxta hanc regulam adjectiva, tum nomina, tum pronomina, neutro genere substantivè posita, regunt genitivum: ut,

1 Rectio nominis alia vera est, alia apparens. Utramque deinceps junximus; idque veterum, & juniorum exemplo. Sed quas apparentes, non veras rectiones putemus, suis locis ad latus annotabimus. Summa eò redit, casus non semper regi à nomine expresso; sed etiam à voce aliqua, quæ per ellipsin reticetur. 2 Puta pronomen primitivum loco substantivi positum. Ut hoc loco, *Vindictam sui*, hoc est, vindictam iræ, vel numinis.

Dedit,

Dedit in sumtum dimidium minæ. Adel. act. 3. sc. 4.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,

Tantum habet & fidei. Juven. Sat. 3.

Quid hoc hominis? Quid illud mali? Terent. Eunuch. act. 3. sc. 4.

Hoc literularum exaravi ante lucem. Cic. lib. 12. ep. 1. ad Att.

Sed substantivum ejus rei, quæ significatur alteri inesse, vel adesse, nunc in genitivo ponitur, nunc in ablativo: ut,

Puer boni ingenii, vel bono ingenio.

Vir magni nasi, vel magno naso.

Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris. Juven. Sat. 11.

Homo antiqua virtute. Adelph. act. 4. sc. 4.

* *In quibus genitivus quidem per superiorem regulam ponitur: ablativus autem per regulam de ablativis partis* 3, *modi, aut similis circumstantiæ: qua de re inferiùs dicetur.*

Substantivum regens interdum per ellipsin intelligitur. Inprimis accusativus ædem. Ter. *Adel.* Ubi ad Dianæ veneris. *Cic. 2. Phil.* In tabulis, quæ sunt ad Opis.

Sic, Accusat te furti, *puta*, crimine. Est Romæ, *pro*, in urbe Romæ. Quanti emisti? *pro* quanti æris pretio. *De quibus loquar inferiùs. Interdum deest contrà genitivus rectus. Horat. lib. 1. sat. 5.* Millia tum pransi tria repsimus. *Supple*, passuum.

3 Nisi malis in ablativis intelligi adjectivum *affectus*, aut *præditus*; quod interdum etiam exprimitur. Dicere etiã possumus, intelligi participiũ verbi substantivi: vel, quod ejus locum supplet, *qui est.* Sanè, *homo honesta facie*, simile est huic Terentiano, *Erat honesta facie.* Ergo, *homo honesta facie*, integrè sit, *qui est honesta facie.* Sed sic quoque fuerit ἔλλειψις præpositionis *cum*, unde regitur ablativus. Nam integrè sit, *cum honesta facie.* Sic *homo antiqua virtute*, integrè fuerit, *cum antiqua virtute.* Atque hoc prioribus est simplicius, veriusque.

REGULA II.

* *Substantiva affectuum significant passionem, cùm regunt genitivos primitivorum*, mei, tui, sui, nostri, vestri. *Sed possessiva*, meus, tuus, suus, noster, vester, *activè explicantur: ut*,

Amor tui, *id est*, quo tu amaris.

Amor tuus est, *id est*, quo tu amas.

Victus amore tui. *Virg.* 12. *Æneid.* 1.

Ne studio nostri pecces. *Horat. lib.* 1. *epist.* 13.

Sic, odium, cura, sollicitudo, memoria, fastidium, desiderium, contemtus, mei 1, *&c.*

Sin substantiva ejusmodi aliis jungantur genitivis, nunc activè, nunc passivè, exponuntur: ut, amor Romanorum, *hoc est, quo amant, vel amantur*. Vituperatio Persarum, *id est, quo vituperant, vel vituperantur*.

1 Cic. Pro Rab. *Nihil horum, sine magna cura, & summa caritate vestri ordinis, loquar.*

Possessiva interdum accipiuntur pro primitivis. Cic. Quæ mea causa fecit. *Terent.* Quæ nostra causa nunquam fecerimus.

REGULA III.

Opus, pro *necesse* 1, gaudet ablativo.

Ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis. Cic. vel alius in Sallust.

Priusquam incipias, consulto; ubi consulueris, maturè facto opus est. Sallust.

Sæpè etiam nominativum habet.

Dux nobis, & auctor opus est. Cic. lib. 2. epist. 8. ad Fam.

1 *Opus* hic *necesse* exponitur ex interpretatione præstantium etiam Grammaticorum: qui & *opus* adjectivum esse tradunt. At non *opus* magis est adjectivum, quàm *usus*, cùm est quartæ decl. Quòdque ad propriam significationem, cùm quid utile esse significamus, utimur vocibus *opus*, & *usus*: sed *necesse*, de eo potiùs usurpatur, quod necessarium est, sive, sine quo res *nec esse* possit. Docet hoc Catonis illud apud Senecam: *Emas, non quod opus est; sed quod necesse est*. Et hoc Tullii epist. 9. ad Lentul. lib. 1. *Legem Curiatam Consuli ferri opus esse, necesse non esse*. *Opus habeo*, Columella, purissimus scriptor, usurpat, nempe ut Græci dicunt, χρείαν ἔχω. Sed Latinis ita rarum est, ut, sic dici posse, neget Diomedes.

Simul,

Simul, quæ curando vulneri opus sunt, parat. Liv.

* *Vt* opus, *ita &* usus, *cùm idem significat, ablativo* 2 *jungitur à poetis, imprimis Comicis.*

Nunc viribus usus. *Virgil.*

Viginti jam usus est filio argenti minis. *Plaut.*

2 * Etiam genitivo jungitur. Ut in epist. Planci ad Ciceronem: *Magni laboris, & multæ impensæ opus fuit.* Antiquè etiam accusativum regit. Ut apud Plautum: *Puero opus est cibum.* Nisi *cibum*, quod malim, vetus sit nominativus, pro *cibus*. Crebrò & ponitur absolutè. Ut, *si opus fuerit, faciam te certiorem.* Vel cum verbo infinitivo, aut conjunctivo. Ut cùm Cicero ait ad Att. lib. 7. ep. 8. *Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare?* Et Terentius And. 1. 5. *Peropus hunc cum ipsa loqui.*

OBSERVATIO.

* *Verbalia in* io *antiquè regunt casum verbi, unde derivantur. Plaut. Amphitr.* Quid tibi hanc curatio est rem? *Idem Aulul.* Quid tibi nos, mendice homo, tactio est 1?

1 Imò Ciceronis quoque est lib. 1. de Legg. *Justitia est obtemperatio scriptis legibus.* Item Cæsaris lib. 1. de bel. Gal. *Domum reditionis spe sublata.* Par ratio verbalium aliter exeuntium. Nam Ciceronis est Philip. 4. *Cum pestiferum Brundusio Antonii reditum timeremus.* Quandoque idem fit in verbalibus adjectivis. Ut apud Justinum lib. 9. *Rex armorum, quàm conviviorum apparatibus studiosior.* Sic verbalia in *bundus*: ut, *Populabundus agros: Vitabundus castra hostium.* Etiam ad verbalia pertinent supina; quæ & ipsa regere verborum suorum casus, inferiùs dicetur.

De regimine Adjectivorum simplici, ac primùm cum genitivo.

REGULA I.

Adjectiva partitiva 1, seu nomina sint, seu pronomina, item substantivum *nemo*, & omnia partitivè posita, regunt geniti-

1 Partitiva dicũtur, quia vel partem quamvis notant, ut *quisque*: vel unam ex toto, ut *aliquis*. Sunt igitur partitiva, *ullus, nullus, nemo, solus, uter, uterque, utercumque, utervis, uterlibet, alter, alteruter, aliquis, quidam, quispiam, quisque, unusquisque, quotusquisque, cæterus, reliquus*. Quorum more etiam construuntur *omnis*, & *cunctus*.

b 2 vum

vum pluralem, vel collectivi nominis singularem [2]: ut,

Quis nostrùm? nemo vestrùm; nullus, aliquis fratrum; alter, neuter horum.

Nemo mortalium omnibus horis sapit. Plin.

Partitivè autem capiuntur, quæ exponuntur per *inter*, & *ex*, vel *de*: ut,

Numeralia, quæ ordinem [3] significant:

Quinctus regum Romanorum,

Sapientum octavus. Horat. lib. 2. sat. 3.

Sæpè etiam sic sumuntur comparativa, & superlativa: ut,

O major juvenum [4]. Horat. in art.

Villosissimus animalium lepus. Plin. lib. 11. cap. 39.

Optimus populi Romani [5].

* *Quandoque etiam positiva: ut,*

Sequimur te, sancte Deorum [6]. *Virg*. 4. *Æn*.

Nigræ lanarum nullum colorem bibunt. *Plin. lib*. 8. *cap*. 48.

Crebrò tamen, quæ partitivè ponuntur, pro genitivis habent accusativum, vel ablativum cum aliqua præpositionum, per quas genitivus exponi solet.

Herba inter paucas utilissima. *Plin.*

2 Si accuratè tamen loqui velimus, genitivus ille non regitur à partitivo, sed nomine intellecto. Nam *quis nostrùm*. *nemo vestrùm*, valent, *ex numero nostrùm* aut *vestrùm*. Atque ita in aliis. 3 Non ordinalia modò, sed etiam cardinalia. Cic. *Duos duarum ætatum plurimi facio*. Sed utrobique est ἔλλειψις. Nam, *quinctus regum*, valet, *e numero regum*. *Duos duarum ætatum*, tantundem, ac, *è numero duarum ætatum*. 4 De duobus comparativo utimur: ut, *minor fratrum*. De pluribus, superlativo: ut, *minimus fratrum*. In plurali tamen id non observatur. Plin. *Apum adolescentiores ad opera exeunt*. Nempe quia apes in duos dividuntur ordines; puta adolescentiores, & grandiores natu. Similiter dixeris: *Peritiores geographorum*. 5 In exemplis superiùs adductis habes genitivum pluralem: hìc singularem, quia in singulari ponuntur collectiva: ut canon allatus tradit. Sic Cicero: *Quem unum nostræ civitatis præstantissimum audeo dicere*. Idem: *Vnus totius Græciæ facilè doctissimus Plato*. Virgil. *O Danaùm fortissime gentis Tydide*. 6 Hìc quoque est ἔλλειψις. Nam *sancte Deorum*, dicitur, pro, è *numero deorum*; *nigræ lanarum*, pro, è *numero lanarum*.

Acerrimus ex omnibus sensibus est sensus videndi. *Cicer.*

Pauci de nostris cadunt. *Cæs.*

Solus de superis, qui tua terga videt. *Ovid.*

Ante alios pulcherrimus omnes. *Virg.*

REGULA II.

Adjectiva verbalia [1], multaque alia, quæ animi affectionem, ut desiderium, curam, metum, notitiam, vel contrarium, significant, genitivum regunt.

Tam ficti, pravique tenax, quàm nuncia veri. Virgil. 4. Æneid.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ. Id. 10. Æneid.

Sic, *Rudis omnium rerum* [2]. *Memor lethi* [3]. *Trepidi rerum suarum* [4]. *Timidus procellæ* [5]. *Securus amorum* [6]. *Præsaga mali mens* [7]: & infinita alia [8].

1 Præcipuè verbalia exeuntia in *ns*: ut, *uni abstinens*: *ax*, ut *tempus edax rerum*: *idus*, ut *providus malorum*: *ius*, ut *nescius veri*: *rus*, ut *avarus laudis*: vel *tus*, ut *peritus*, vel *indoctus talium.* Si tamen hæc ad vivum resecare velim: dixero, ut Græci in talibus intelligunt ἕνεκα vel χάριν, atque inde regitur genitivus, non ab adjectivo: sic apud Latinos etiam esse ellipsin vocum, *caussa*, *gratia*, *ergo*. Itaque *non anxius sui*, integrè fuerit, *sui caussa*. 2 Cic. pro Flacc. 3 Pers. sat. 5. 4 Liv. lib. 5. & 86. 5 Horat. in Art. 6 Virg. 7 Idem. 8 Atque inter ea etiam, cùm crimen, aut contrarium significatur. Cic. *Reus furti*, pro *furti gratia*. Livius, *Insons cædis*. Sed talium magna omninò copia est, inprimis apud Tacitum: qualia usu addiscere satius est. Interim vide sis Linacrum, qui fusè de iis agit.

De dativo adjectivorum

REGULA I.

Adjectiva regunt dativum personæ, vel rei, cui aliquid acquiritur, vel adimitur.

Hujusmodi sunt adjectiva commodi, &

incommodi: ut, *utilis*, *inutilis*, *noxius*, *perniciosus*, *jucundus*, &c.

Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho. Virgil. 4. Georg.

Non hic cibus utilis ægro. Ovid. 3. Trist. el. 3.

* *Item quæ aptitudinem, vel ineptitudinem significant: ut,* appositus, idoneus, habilis, *&c.*

Aptum consentaneumque tempori, & personæ. *Cic. in Brut.*

Adhæc adjectiva facilitatis, & difficultatis: ut, levis, gravis, laboriosus, molestus, notus, ignotus, apertus, perspicuus, *&c.*

Otium tibi molestum est. *Catul.*

Invia virtuti nulla est via. *Ovid.*

Sic amicitiæ, vel odii: ut, benevolus, propitius, carus, fidelis, suspectus, iratus, offensus, infestus, invisus, *&c.*

Paucis carior fides, quàm pecunia fuit. *Salust.*

Consiliis nulla res tam inimica, quàm celeritas. *Liv.*

Præterea æqualitatis, & inæqualitatis: ut,* par, impar, secundus, *pro* impar, congruus, consentaneus.

Æqualem, ac parem verbis vitam agere. *Cic.*

Nulli veterum virtute secundus. *Virg.* 11. *Æn.*

Item propinquitatis; ut, vicinus, finitimus, affinis, cognatus, socius, contiguus, conterminus, *&c.*

Nulli sceleri, nulli facinori affinis. *Cic.*

Falsa veris finitima sunt. *Cic.*

Adde verbalia in bilis*.

Nec ductu affabilis ulli. *Virg.* 3. *Georg.*

Multis ille bonis flebilis occidit;

Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili. *Horat.* 1. *Od.* 24.

Quædam tamen ex memoratis etiam cum genitivo inveniuntur.

* Hæc ita distinguũt: ut, *æqualis ei*, valeat idem, ac par: *æqualis ejus*, idem sit, ac ætate conjunctus. Sed id discrimen perpetuum nõ est.

* Nempe passivè accepta. Similiterque participialia in *dus*. Martial. *O mihi post nullos, Juli, memorande sodales.*

Patres

Patres æquum esse censent, nos jam à pueris illicò nasci senes:

Neque illarum esse affines rerum, quas fert adolescentia. *Ter.*

Prætereà regina tui * fidissima dextra

Concidit ipsa sua. *Virg.*

Quem metuis, par hujus erat. *Lucan.*

Quemadmodum autem affinis sceleris *vel* sceleri *dicimus: ita &* conscius facinoris, *vel* facinori. *Cic.* Mihi nullius culpæ conscius sum. *Idem*: Is conscius illi facinori fuisse putabatur. *Item*: Nolo viros primarios esse temeritati, & mendacio, conscios.

* Quod prolatum κατ' ἔλλειψιν, integrè fuerit, *tui causa*, vel *ratione*. De cujusmodi ellipsi paulò antè in Genitivi structura dicebamus.

OBSERVATIO I.

† *Aptus*, *ineptus*, *utilis*, *inutilis*, *par*, *æqualis*, & quædam alia, interdum pro dativo habent accusativum cum præpositione.

Calcei habiles, & apti ad pedem. Cic.

Homo ad nullam partem utilis. Id.

Virtutes ipsæ inter se æquales, & pares. Id.

OBSERVATIO II.

† Aliquando ponitur quidem dativus: sed per ellipsin intelligitur *aptus*, vel *idoneus*.

Nec tu solvendo eras. Cicer. 2. Phil.

Ea modò, quæ restinguendo igni forent, portantes. Livius lib. 30.

Ellipsis est vocabuli in oratione defectus.

De ablativo adjectivorum

REGULA I.

Adjectiva regunt ablativum [1], significantem caussam [2], instrumentum, partem, aut modum, vel simile aliquid; uti adjunctum, aut circumstantiam.

Caussæ ablativus est:
Deteriores omnes sumus licentia. Terent.
Insequitur, celeremque metu celer urget amore. Ovidius 11. Metam.

Instrumenti: ut,
Hic melior remis. Virg.
Sic, *Ense validus, promptus manu.*

Partis: ut,
Æger oculis, pedibus: quietus animo.
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus. Martial. lib. 12. epig. 54.

Modi, adjuncti, aut circumstantiæ alicujus: ut,
Homo ornatissimus loco, ordine, nomine, virtute, ingenio. Cic.
Consilia audacia, prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia. Liv.
Sic, *Puer ingenuus vultu; similis voce, coloreque; grandis, major, minor, natu; genere insignis; patria Syrus, vel Græcus,* &c.

Interdum etiam substantiva admittunt ablativum caussæ, modi, aut similis circumstantiæ.

1 Si tamen primævam linguæ naturam attendas; dicendum, ablativum regi ab intellecta preposítione *a, ab, ex, cum,* vel alia: ut, *arte insignis.* Ovidius loquitur: *virtute clarus,* pro *ab* vel *ex virtute: præstantior armis,* pro *in armis,* vel *ab armis: animo otiosus,* pro *ab animo: natione Græcus,* pro *à natione.*

2 Causam intellige nō efficientem modò, sed etiam materialem. Virg. *Duplicem gemmis, auroque, coronam.*

Natu-

Natura tu illi pater es, consiliis ego. Ter.

Puer ætate. Cæs.

Eunuchus nomine Photinus. Hirtius de bell. Alex.

Sed adjectivis caussæ, aut modi, & similibus, interdum additur præpositio [3]: ut,

Firmus ab equitatu. Plancus ad Cic. lib. 10. epist. 15. Fam.

Imparatus à militibus, à pecunia. 7. epist. 15. Att.

Sic habeto, nunquam me à caussis, & judiciis, districtiorem fuisse. Idem.

Ab omni laude felicior. Id.

* *Græcismus est, cùm poetæ, & historici* 4, *mutant ablativum partis, vel adjuncti, in accusativum* 5: *ut,*

Albus dentes. Cressa genus. Cætera Grajus.

Os, humerosque deo similis. 1 *Æneid.*

Hæc constructio vocatur Synecdoche 6, *quæ & in verbis fit, ac participiis: ut,*

Rubet capillos 7, *pro* capillis.

Micat auribus, & tremit artus. 3. *Georg.*

Induitur vestem. *Curt. lib.* x. 8.

Nondum teneras vestite genas. *Senec. in Herc. OEt.*

3 Vulgò persuasum esse video, præpositionem hic πλεονάζειν. Sed contrà statuendum, cum ἐλλείπειν, quoties non apponitur. Superiora ergo pertinent ad constructionem figuratã; quę hic referuntur, ad integram, & analogam. 4 Quod imitatus Pomponius Mela. Ejus est: *Sarmatæ totum braccati corpus, &, nisi qua vident, ora vestiti.* 5 Synedoche eò appellatur, quia, quod convenit parti, tribuitur toti. Nam cùm dico, *Titus est æger pedibus*; *æger* non obliquo effertur, ut casu conveniat cum *pedibus*, qui pars sunt: sed casu recto, ut conveniat cum *Titus*, qui est totum. 6 Accusativus is regitur à præpositione intellecta, quæ Græcis est κατὰ, Latinis *secundum, per, circa, ad* præcedente *quod*. Græcam figuram Servius appellat. 7 *Rubet capillis*, pro *in capillis*. *Rubet capillos*, pro *quod ad capillos*. Id barbarè efferunt, *quoad capillos*. 8 Non unus historicorum sic Curtius loquitur; sed & alii. Tacitus: *Frontem cruore oblitus.* Suetonius: *Dextrum genu lapide ictus: crus, & utrumque brachium, ruina pontis consauciatus.*

REGULA II.

Comparativa regunt ablativum [1], qui exponitur per *quàm* [2]: ut,

Crœso ditior. Iro pauperior. Horat. 1. ep. 1.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Nullum theatrum veritati conscientia majus est. Cicer.

Hæ quoque intendendi particulæ [3] comparativis addi solent, *tantò*, *quantò*, *aliquantò*, *hoc* [4], *eò*, *quò*, *multò*, *longè*, *paullò*, *nimiò*.

Quò quis indoctior, eò impudentior. Fab.

Quantò superiores sumus, tantò nos submissiùs geramus. Cic.

Item hæc nomina adverbialiter sumta, *tantùm*, *quantùm*, *aliquantùm* [5].

Quantùm domo inferior, tantùm gloria superior. Valerius Max. lib. 4.

Ejus frater aliquantùm est ad rem avidior. Ter. Eun. act. 1. sc. 2.

* *Etiam inter duos comparativos ponitur particula* quàm: *ut*,

Varro doctior, quàm eloquentior.

1 Censeo tamen ablativum potiùs regi ab intellecta præpositione *præ*. Ut, *Crœso ditior*, sit ἐλλειπτικὸν, pro, *præ Crœso ditior*. 2 Vel *ac* aut *atque*. Ut, *Amicior illo*, hoc est, *ut ille*, vel *atque ille*. Plaut. *Amicior mihi nullus vivit, atque is.* 3 Sic loquor cum vulgo. Re vera autem omnia hæc, præter *longè*, ablativi sunt. Nam *multo doctior*, dicitur, ut *multis rebus* vel *partibus doctior*. 4 Plin. ep. 10. lib. 3. *Effigies hoc diuturnior erit, quo verior.* Ac similiter his particulis, comparativi adverbiorum junguntur. Ut in eleganti illa γνώμη Fabii: *Quo quisque ingenio minus valet, hòc se magis attollere, & dilatare conatur: ut statura breves, in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur.* 5 Accuratè loquendo, dicendi sint accusativi recti à præpositione *in*, quæ & aliquando exprimitur. Plin. lib. 10. cap. 36. *Columbarum volatu in multum velociore.* Similiter in secundo de bello Trojano Dictys Cretensis, scriptor elegantior, quàm multi putant: *Nostros multorum navigatione in aliquantum exhaustos.*

Trium-

Triumphus clarior, quàm gratior. *Liv. lib.* 5.

Pestilentia minacior, quàm perniciosior. *Id. lib.* 4.

Poetæ pro ablativo, qui comparativis additur, interdum usurpant ante *cum casu suo.*

—— Scelere ante alios immanior omnes. *Virg. pro* immanior omnibus.

REGULA III.

Dignus, indignus, contentus [1], *præditus, fretus, venalis, carus, vilis*, adsciscunt ablativum.

Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro. Ovid. 3. de Pont. eleg. 8.

Dignum laude virum Musa [2] *vetat mori.* Horat.

Indignus honore, amicitia, favore.

Contentum suis rebus esse, maximæ sunt, certissimæque divitiæ. Cic.

Præditus virtute, ingenio, arte, autoritate, opibus, vitio, audacia, &c.

Fretus ingenio, amicitia, conscientia, malitia, &c.

——*Nec gemmis, neque purpura, venale, nec auro.* Horat.

*Quod non opus est, asse carum est**. Sen. ex Cat.

Vilis viginti minis. Plaut.

1 Est id quoque hujus loci. Nam etsi sit à continendo; tamen, ut benè monitum Vallæ, magis nominis refert naturā, quàm participii.

2 Sed acutiùs rem intuenti, ille etiam ablativus regitur ab intellecta præpositione. Ut *dignus laude*, pro *ab laude*. *Fretus* vel *contentus eo*, pro, *in eo*.

* Quid si hìc ἔλλειψιν statuamus? ut *asse carum*, valeat, *carū etiam asse emtum*, aut *asse venale*: ac similiter *vilis viginti minis*, valeat, *vilis etiam viginti minis emtus*; sive, si vel viginti minis venalis foret. Cæterùm, adjectivis superiùs commemoratis, addere possis, *extorris*. Livius: *Extorrem urbe, domo, penatibus, foro, congressu æqualium.* Additur & præpositio: unde idem Liv. lib. 5. *Exultatque extorris ab solo patrio.*

OBSERVATIO.

* Dignus, & indignus, *more Græcorum; etiam genitivo junguntur.*

Obse-

Obſecro te, mi Cicero, ſuſcipe curam, & cogitationem digniſſimam tuæ virtutis. *Balb. ad Cic.*

Magnorum haud unquam indignus avorum. *Virgil. 12. Æneid.*

Hactenus de adjectivis, quæ, extra Græciſmum, ſimplicem ſtructuram amant. Sequuntur, quæ plures caſus adſciſcunt.

REGULA I.

Quæ eſt de junctis genitivo, vel dativo.

Similis & *diſſimilis*, *proprius*, & *communis* [1], dativum, vel genitivum regunt.

Patri ſimilis filius. Cic. 5. de Finib.

Domini ſimilis ſervus. Ter. Eun. act. 3. ſc. 2.

Tempus agendi fuit mihi magis proprium, quàm cæteris. Cic.

Ego vitam Deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror, quòd voluptates eorum propriæ ſunt. Terent. And.

Omni ætati mors eſt communis. Cic.

Hæc ſunt virtutum reliquarum communia. Id.

[1] Etiam *affinis*, *fidus*, *par*, *conſcius*, ut uſitatè dativo junguntur, ita adſciſcunt genitivum. Cujus rei exempla dedimus regula prima de dativis adjectivorum.

REGULA II.

De his, quæ genitivum, & ablativum amant.

Adjectiva copiæ, & inopiæ, regunt ablativum, vel genitivum [1].

Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis. Horat. 1. ſat. 2.

Quàm dives pecoris nivei, quàm lactis abundans. Virgil. Ecloga 2.

[1] Propriè ſi loqui amamus, & genitivus, & ablativus, aliùnde reguntur. Nam *dives nummis* dicitur, pro *à nummis*. *Plenus vino*, pro *de vino*. At *dives pecoris*, integrè ſit, *pecoris ergò*. Sic *plenus vini*, valeat, *vini cauſa*. Saltem credibile eſt, huc ſpectaſſe auctores linguæ Latinæ.

Sic

Sic *Plenus*, *Vacuus*, & *Inanis*, &c.

Compos voti, *Impos animi*, cum genitivo usitatiùs.

Cætera, quæ sunt hujus generis, ablativo magis gaudent: ut,

Cassus lumine.

Captus oculis, *mente*, *auribus*, &c.

Quædam etiam junguntur ablativo cum præpositione: ut,

Oratio inops verborum, *inops verbis*, vel *à verbis*.

Vacuus curarum, *vacuus curis*, vel *à curis*.

* *In quibusdam genitivus proprius poetarum videtur: ut*,

Apud Horat. Liber laboris.

Apud Lucan. Libera legum 2 Roma fores.

At Cicero dixit, Animus terrore liber: *item*, Liber à delictis.

Et Livius, Liber omni metu.

Item, Liber à metu insidiarum campus.

Sic Virgilius, belli immunis. *Ovidius*, operum; *item*, mali immunis. *At Livius*, immunis militia. *Plinius*, Caprificus omnibus immunis, *nempe* malis, *de quibus fuerat sermo*. *At* expers metus *usitatiùs dicitur*, *quàm* expers metu, *quomodo loquitur Plautus*: *uti Salustius*, expers more: *Iustinus*, expers fama, & fortunis.

2 Pro quo *libera à legibus* ait Plautus Trinummo act. 4. sc. 3.

REGULA III.

De his, quæ dativum, & accusativum amant.

Propior, & *proximus*, vel dativo [1] junguntur, vel accusativo.

1 Sed dativus multò hìc est usitatior.

Dativo: ut,

Flamma fumo est proxima. Plaut.

Proxi-

Proximus sum egomet mihi. Ter.

Tibi me propior nemo est. Cic.

Accusativo: ut,

Propior montem.

Laconicus ager proximus finem Megalopolitarum est. Livius lib. 35.[2].

2 Etiam Linacer, & in Thesauro Rob. Stephanus, atque alii, è Cicerone ipso adducunt, *Proximus Pompejum sedebam*. Sed hic in melioribus libb. est, *Proximè Pompejum*: quomodo & Priscianus legit. Nempe, ut *prope*: sic *propius*, & *proximè*; atque horum exemplo *propior*, & *proximus*; accusativum regunt.

REGULA IV.

De regimine dativi, & ablativi.

Alienus adsciscit usitatè dativum, vel ablativum.

Quod illi caussæ maximè est alienum. Cic. pro Cæc.[1].

Facis nihil alienum necessitudine nostra. Id.

Vel cum præpositione.

Hoc mihi alienum à vita mea videtur. Ter.

Rariùs jungitur genitivo.

Quis alienum putet ejus esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit? Cic. lib. 1. de Fin.

* *At* diversus, *regit quidem cùm dativum, tum ablativum, sed cum præpositione: ut*, diversus huic 2, & diversus ab illo: *nempe ut dicimus*, alter ab illo, & alius ab isto.

1 Sic Sen. *alienus ambitione*. Et Quinctil. *alienum arti oratoriæ*. Itē *alienissimum huic personæ*. Genitivo usus etiam Salust. *aliena consilii domus*. Ablativus passim se offert: ut, *alienum amicitia nostra*, *dignitate*, &c. vel cum præpositione, *alienum à dignitate nostra*, *ab amicitia*, *à tempore*, *à persona judicum*, &c. 2 Fabius lib. 8. cap. 3. *Apparet diversam esse orationi voluntatem*. De ironia loquitur.

REGULA V.

De illis, quæ accusativum, & ablativum adsciscunt.

Adjectiva quædam quantitatis regunt accusativum [1], significantem certam mensuram: ut,

Altus pedem. Latus manum. Crassus digitum.

Umbram reddit quatuor pedes longam. Plin. lib. 6. cap. 34.

Regunt interdum & ablativum: ut,

Longum sesquipede. Latum pede. Plin. lib. 35. cap. 14.

Sesquipede quidem est, quàm tu, longior. Plaut. Trin. act. 4. sc. 2.

Tota cohors pede non est altior uno. Juven.

Quandoque etiam genitivo junguntur.

Trabs pedum viginti duorum longa *. Cato.

Pyramides quinque, in imo latæ pedum septuaginta quinùm, altæ centum quinquagenùm. Plin.

1 Caussas inquirentibus sermonis Romani obscurum esse nequit, accusativum illum veriùs regi ab intellecta præpositione *ad*. Nam *altus pedem* dicitur pro *ad pedem*.

* Ubi *lata*, *longa*, *alta*, valet *latitudine*, *altitudine*, *longitudine*. Nisi magis placet, genitivum hìc, non tam ab adjectivis mensuræ regi, quàm à substantivis *trabs*, & *pyramides*.

DE PRONOMINIBUS.

* *De pronominibus, tam substantivis in genitivo rectis* 1, *tum substantivè positis* 2 *genitivum regentibus, in nominum doctrina, eò quòd par horum ratio foret, diximus.*

1 Ut sunt, *memoria mei*, *vindicta sui*, *satietas nostri*, &c. Vide de regimine nominum regulam secundam. 2 Ut *aliquid monstri*, *id ætatis*, &c. Adi regulam primam de nominum regimine.

De

De Reciprocis [1].

1 Doctrina hæc de reciprocis, ad Convenientiam potiùs, quàm ad Regimen pertinet. Ut duplex sit convenientia: una in genere, numero, casu, aut persona: altera autem in reciproci consensu cum nomine, aut pronomine.

I. *Si reditur ad nomen tertiæ personæ, quod antecedit, reciproco utimur: ut,*

Natura est conservans sui; *hoc est, naturæ.*

Frater rogat te, ut ignoscas sibi; *hoc est, fratri.*

Rogat te Cæsar, ut suas partes sequaris; *hoc est, Cæsaris.*

Sed in prima, vel secunda persona, non fit reciprocatio. Nec enim dicimus, Dixi sibi; *sed* ei: *nec,* Nosti suum fratrem; *sed* illius.

II. *Etiam reciproco utimur, etsi non antecedat nominativus tertiæ personæ; dummodo sententia tantundem polleat. Ut cùm id, quod pronomine possessivo significatur, in illud agere dicitur, ad quod refertur.*

Cic. pro Sext. Hunc sui cives è civitate ejecerunt: *quod idem est, ac,* Hic à suis civibus è civitate est ejectus.

——Trahit sua quemque voluptas; *hoc est,* trahitur quisque à sua voluptate. *Virgil. Ecl.* 2.

III. *Si plures personæ tertiæ concurrant; ad ambiguitatem 2 tollendam, sæpiùs 3 utimur relativo: ut,*

Vas factus est alter, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. *Cic.* 3. *Off.* ipsi *scilicet* vadi.

Sic, Vulpes comedit gallinam cum pullis suis, *vel* pullis ejus.

2 Ambiguitas ea oboritur quoque, cùm de duobus agitur. Ut, *Titius videbat Mævium præ foribus suis.* Ubi dubium, num fores Titii, an Mævii, signentur. Si Titii intellexeris, non aliter loqui poteras. Sin Mævii fores signabas, poteras ad tollendam ambiguitatem dicere, *præ foribus ipsius.* Sic in illo Ciceronis: *Pythius piscator rogavit, ut ante suos hortos piscarentur.* Ubi aliter loqui non potuit, quia intelliguntur horti Pythii. Sin horti piscatorum intelligerentur; satius fortasse fuisset, ne sermo sit ambiguus, dicere, *ante hortos ipsorum.* 3 Non semper, ut indicat illud Ciceronis: *Negligere, quid de se quisque dicat, est dissoluti.* Ubi *se,* ad negligentem, non ad *quisque* pertinet.

IV. *Imò*

IV. *Imò aliàs quoque scriptores utuntur interdum pronomine pro reciproco.*

Camillus mihi dixit, te locutum esse cum eo: *pro* secum. *Cic. in epist.* 4.

Grammaticis inter ipsos 5, & philosophis, pugna est. *Quinctil. lib.* 8. *c.* 6.

Pro quo usitatiùs diceretur, inter se.

Fit hæc commutatio, quando locutione ejusmodi sermo non redditur ambiguus.

V. *Si copula intercedat, reciprocum non habet locum.*

Ita sine copula dicimus, Cepi columbam cum pullis suis: *cum copula autem*, Cepi columbam, & pullos ejus.

Sic, Pater arcessit villicum, & filium ejus: *hoc est*, villici.

Sed, Pater arcessit villicum, & filium suum: *hoc est*, patris.

VI. Quisque, & unusquisque, *reciproco gaudent: ut*,

Quisque suos patimur manes. *6. Æneid.*

Est suus unicuique locus. *Horat. Sat.* 9. *lib.* 1.

4 Nec dubitat & alibi ita loqui Tullius: ut, *Deum agnoscimus ex operibus ejus*. Item, *Omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt*. Similiter Nepos in Hannibalis vita, *Gortinii templum magna cura custodiunt, nequid ille, inscientibus illis, tolleret*. Atqui inibi: *At Eumenes, soluta epistola, nihil in ea reperit, nisi quòd ad irridendum eum pertineret*. Priori loco, *inscientibus se*, altero, *ad irridendum se*, poterat dicere. 5 *Inter ipsos*, pro *inter se*, locum habet præcedente genitivo, dativo, & ablativo. Genitivo, in illo Tullii: *Quorum suum quondam inter ipsos odium meministis*. Dativo, ut hoc ejusdem: *Latissimè patens hominibus inter ipsos societas hæc est*. Ablativo, cùm ait Fabius: *In magnis auctoribus incidunt vitiosa aliqua, & à doctis inter ipsos etiam mutuò reprehensa*. At non item hoc locum habeat, præcedente, vel nominativo; ut in illo Tullii, *Pueri valent, & inter se amant*: vel accusativo; ut in hoc ejusdem, *Damonem, & Pythium, ferunt hoc animo inter se fuisse*; non *inter ipsos*.

De pronomine idem.

Idem post se habet *qui*, *&*, *ac*, vel *atque* [1].

1 Similiter dicimus, *alius ac, alius atque alius*; & Cic. de Oratore: *Aliud mihi, ac tibi videri*. Idem lib. 1. epist. 9. *Non alius essem, acque nunc sum*. Pro Cœlio: *Lux denique alia est Solis, & lychnorum*.

Peripatetici quondam iidem erant, qui Academici. Cicer.

Num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Cic.

Dianam, & Lunam, eandem esse dicunt. Cic.[2].

Poetæ autem, Græcorum more, etiam jungunt dativo.

Invitum qui servat, idem facit occidenti. Horat.

Idem cum illo, hodie usitatius est; sed sine classicorum scriptorum exemplo sic loquuntur[3].

2 De *ac*, & *atque*, post *idem*, en exempla. Ter. Heaut. *Animus erga te idem ac fuit*. Cic. pro domo sua: *Unum, & idem videtur esse, atque id, quod de meipso nominatim tulisti*. 3. Nec obstat Gellii illud: *Ejusdem cum eo Musæ vir*. Quia hic de diversis est sermo. At non, si rectè dixero, *Virgilius est ejusdem Musæ cum Homero*: eò dicam quoque, *Vates Andinus est idem cum Virgilio*. Causa diversitatis est, quia prius significat, *itidem poeta*: posterius signat, *idem poeta*.

DE REGIMINE VERBORUM SIMPLICI:

Ac primùm Genitivi.

REGULA I.

Verbum *Sum* genitivum[1] regit, cùm significat possessionem, aut ad aliquid pertinere.

1 Excipe ab hac regula genitivos pronominũ primitivorum, *mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri*: quorum loco utimur nominativo generis neutrius. Cic. *Non est meum contra Senatus auctoritatem dicere*. Non *mei*. Idem: *Erat enim, si cujusquam certè tuum*. Nempe ut cùm dico, *Est Ciceronis*, sententia est, *munus vel officium est Ciceronis*: ita eùm ajo, *tuum est*, sententia est, *tuum munus est*: pro quo & dicitur, *tui muneris est*.

Vestis est patris. Pecus est Melibœi. 3. Ecl.

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Adolescentis est, majores natu vereri. Cic. 1. Offic.

Boni pastoris est, tondere pecus, & non deglubere. Suet. in Tib. cap. 32.

* *Nisi genitivus hic potiùs regitur à nominativo intellecto, quàm verbo substantivo. Exempli gratia:*

Cujus vestis? est patris: *puta* vestis.

Cujum pecus? est Melibœi: *puta* pecus.

Sic, Domini sumus: *nempe* proprii.

Est adolescentis, *vel*, boni pastoris: *puta* proprium, *vel* munus, *aut* officium.

* *Quòd si*, Sum, *aut* Fio, *significant animi, vel corporis, affectionem; nunc genitivo* 2 *junguntur, nunc ablativo: ut,*

Est bonæ indolis, *vel* bona indole. Est magni roboris, *vel* magno robore. Est tenuis valetudinis, *vel*, tenui valetudine.

Ter. Nullius sum consilii.

Quinctilianus lib. 6. cap. 4. Fio commodioris valetudinis.

Columella: Sit amplissimi corporis, cervice valida.

Cæsar: Cicero erat tenuissima valetudine.

Etiam ablativus additur cum præpositione: ut,

Sum ejus opinionis, *vel*, in ea opinione.

In his omnibus usus debet attendi 3.

2 Nisi genitivus regitur à nomine intellecto. Vide, quæ inferiùs notavimus ad regulam secundam de ablativo verborum.

3 Dicam enim, *Est quantivis precii*: non, *quantovis precio*. Dixero item, *Est mira alacritate*: non cum præpositione, *in mira*. Contrà cum præpositione efferam, *Est in magna mæstitia*: non sine ea, *Est magna mæstitia*.

REGULA II.

Verba æstimandi [1] regunt genitivos, *tanti*, *quanti* [2], *parvi*, *magni*, *nihili*, *pluris*, *minoris*, *maximi*, *minimi*.

Parvi ducitur probitas.

Plurimi fit pecunia.

Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem. Plaut. in Truc. act. 2. sc. 6.

Sic, *nauci*, *flocci*, *pili*, *assis*, *hujus non facio*.

Item, *flocci pendo*, *nihili pendo*.

Omnes unius æstimemus assis [3]. Catul.

Huc pertinet, *Æqui bonique facio;* id est, *in bonam accipio partem*. Heaut. act. 4. sc. 4.

Item, *Boni consulo*.

* *Dicitur &*, pro nihilo putare, ducere, habere, videri.

Æstimo etiam recipit hos ablativos [4], *magno*, *permagno*, *parvo*, *nihilo*.

Data magno æstimas, accepta parvo. Sen.

* *Sed & aliàs ablativum regit ejus rei, qua pre-*

1 Æstimandi verba sunt, *æstimo*, *puto*, *duco*, *pĕdo*, *licitor*, *addico*, *condico*, *taxo*, *sum*. Adhæc *facio*, *habeo*, *vendo*, *consulo*.

2 Ut *tanti* & *quanti*, sic composita ex iis, *tantidem*, & *quantivis*. Cic. pro Rosc. Amer. *Depactus est tantidem, quanti fidem suam fecit.* Paulus J. C. *Nec enim tantidem Romæ, ac in Hispania, oleum æstimabitur*. Ter. *Videtur esse quantivis pretii*. Ubi vox *pretium* exprimitur, quæ in hujusmodi genitivis intelligi solet. Unde Donatus in Adel. illud, *Quanti est*, interpretatur, *Quanto pretio valet?* Fortasse autem, quòd æstimandi verbis genitivus addatur, ex eo est, quia intelligatur nominativus, aut accusativus, qui genitivum regat. Cic. *Emero denario, quod sit mille denarium*. Puta *res*, *triticum*, aut *vinum*, *mille denariorum*. Sic cùm dico, *probitatem hodie parvi duci*, integrè sit, *eam duci rem parvi pretii*. Vel statuamus, non modò nomen *pretium*, sed etiam præpositionem *pro* intelligi. Ut in illo Ciceronis: *Vendo meum frumentum non pluris, quàm cæteri: fortasse etiam minoris*. Integrè fuerit, *pro non pluris æris pretio*. Item, *pro minoris æris pretio*. 3 Simile hoc Plauti, *Neque jam teruncii faciunt*. Id integrè fuerit, *pro teruncii pretio*. 4 Caussa est ab ellipsi. Nam *magno æstimo*, valet, *pro magno*. *Parvo emit*, idem ac, *pro parvo*.

tium

tium indicatur 5. *Ut*, æstimare talento, tribus assibus, *&c.*

Tribus denariis æstimavit. *Cic. Verr.* 5.

Sic erit, ut qui pœnam suam summis honoribus esset æstimaturus. *Quinctil. lib.* 11. *c.* 1. *de Socrate.*

Solebant libræ ejus tricenis nummis taxari. *Plin. lib.* 35.

5 Referuntur ad ablativorum regulam tertiam; quæ est de verbis mercandi.

Valeo sæpiùs ablativum, interdum & accusativum, recipit [6].

Valet duobus assibus, vel *duos asses*.

6 Regit & genitivos *tanti*, *quanti*, & alios anteà memoratos. Ut in Digestis, *Tanti valet res, quanti vendi potest*. Quamquam & legas, *Minimo valet hæreditas*.

REGULA III.

Verba accusandi, damnandi, & absolvendi [1] regunt genitivum, qui crimen [2] significat: ut,

Accusabo te furti, *mendacii*, *adulterii*, *homicidii*, *perjurii*, *negligentiæ*, &c.

Qui alterum incusat probri, *eum ipsum se intueri oportet*. Plaut. in Truc. act. 1. sc. 2.

Sic, *Deferri impietatis* [3], *condemnari sceleris* [4], *alligari* [5], vel *adstringi furti* [6], *absolvi injuriarum* [7], & similia [8].

1 Accusandi verba sunt, *accuso*, *adstringo*, *alligo*, *arcesso*, *arguo*, *castigo*, *cito*, *convinco*, *defero*, *deprehendo*, *increpo*, *insimulo*, *interrogo*, *postulo*. Verba damnandi, *damno*, *condemno*, *judico*, *noto*. Verba absolvendi, *absolvo*, *libero*, *purgo*. Fortasse autem, quòd genitivus ejusmodi verbis addatur, id fit ἐλλειπτικῶς, intelligendo, vel *crimen*, vel *caussam*, vel *pœnam*. Nempe ut integrum sit, *absolvo*, vel *accuso te crimine furti*, *adulterii*, &c. *damno te adulterii*, vel *furti caussa*: *condemno te dupli*, vel *capitis pœna*, &c. 2. Plurimum quidem crimen, at quandoque etiam pœnam: ut, *damnare dupli*, *octupli*, *capitis*, &c. 3 Tacit. 4 Cic. 5 Terent. 6 Plaut 7 Cic. 8 *Teneor* quoque interdum regit genitivum, sive criminis; ut, *teneri furti*: sive reatus, ut, *teneri damni*, *depositi*, *commodati*, &c. Sed hìc itidem intelligitur ablativus, qui quandoque exprimitur. Ulpianus: *Tenetur furti judicio*. Papinianus: *Ob pecuniam civitati subtractam, actione furti, non crimine peculatus tenetur*.

Regunt & ablativum cum præpositione: ut,

Non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis. Cicer. lib. 1. ad Att.

Postulatus de repetundis. Cic. epist. 8. lib. 8. ad fam. [9].

Vel sine præpositione, si sequatur ipsum nomen *crimen*, vel aliud generale; ut *scelus*, *peccatum*, *maleficium*.

Condemnabo ego te eodem crimine. Cic. lib. 2. ep. 1. ad fam.

Atque hunc ille vir summus scelere solutum periculo liberavit. Id. pro Mil.

9 Sic idem Cic. *De altero me purgavi.* Item: *De prævaricatione absolutus*. Livius: *De proditione appellatus*.

REGULA IV.

Verba, quæ affectionem animi [1] significant, regunt genitivum [2]: ut,

Neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem. Plaut. Cap. act. 3. sc. 5.

Arcadii quæso miserescite regis. 8. Æneid.

Similiter curandi verbum, *satago*.

Clinia rerum suarum satagit. Heaut. act. 1. sc. 2.

Sed *miseror* pro *misereor*, vel *deploro*, accusativum poscit.

Cum familiaribus commune periculum miserabantur. Cæs. lib. 1. de bell. Gall.

1 Ut sunt, *angor*, *discrucior*, *erubesco*, *fastidio*, *fallor*, *gaudeo*, *gratulor*, *indoleo*, *ingemisco*, *lætor*, *miseror*, *vereor*, & alia quædam.

2 Fortasse cùm dico, *misereri alicujus*, sententia est, *alicujus caussa*, κατ' ἔλλειψιν. Ut & in illo Curtii lib. 5. *Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunæ*. Pro quo usitatiùs diceretur, *quem pudet fortunæ*. At Cicero maluit in Vatin. *Affines te erubescunt*; quàm, *Affines erubescunt tui*.

Contu-

Contusosque animos, & res miserabere fractas. Virg. 4. Georg.

† Quædam etiam tum genitivo junguntur, tum ablativo: ut,

Discrucior animi, & animo.

Animi se angebat. Ter. *Angor animo.* Cic.

Animi pendeo. Cic.

Animis pendemus. Idem.

† Etiam generandi casu dicitur, *Mirari justitiæ, Lætari malorum.* 11. Æneid. Sed in his, Græcorum more, intelligitur ablativus *caussa*.

REGULA V.

Omne Verbum regit genitivum [1] significantem urbem, in qua fit actio: ut,

Studet Coloniæ, Lugduni.

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri. Horat. 2. Epist. 2.

[1] Ita censeo, (salvo aliorum judicio) nulla verba natura sua adsciscere genitivum, sed semper id fieri per ellipsin. Ut cùm dico, *viri boni est*, respicio *officium*: cùm ajo, *insimulo te furti*, intelligo *crimine*: si dicam, *damno capitis*, reticetur *pœna*: in illo, *misereri alicujus*, fortasse intelligitur *caussa*, vel *ergò*. Atque ita in aliis. Similiter fit verisimile, cùm locus genitivo designatur, fieri id per ellipsin substantivi *urbs*, vel *oppidum*, aut similis. Velut cùm dico, *Factum Antiochiæ*: integrum videtur esse, *in oppido Antiochiæ*. Quomodo Tullius ad Atticum ait lib. 5. epist. 18. *Cassius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu*, &c.

OBSERVATIO I.

Si nomina urbium fuerint tertiæ decli-

nationis aut pluralia, ponuntur in dativo [1], vel ablativo.

Ego ajo, hoc fieri in Græcia, & Carthagini. Plaut. in Prolog. Cas.

Cohortes partim Albæ, partim Sulmone collocavit. Cicero 8. epist. 17. ad Att.

Tacitis regnavit Amyclis. 10. Æneid.

1 Sed tutiùs in ablativo, exemplo Tullii, cujus est, *Domus ejus, quæ est Sicyone.* Item, *Sepultus esse dicitur Lacedæmone.* Quod verò ad locum è Plauto adductum, censeo, *Carthagini* esse veterem ablativum pro *Carthagine.* Ut *ruri* pro *rure.* Intelligitur autem præpositio *in.* Quæritur de structura nominum primæ in *es.* Neque enim dicitur, *Negotiatur Mitylenes*, sed *Mitylenæ*: sive *Mitylenæ* hìc dativus sit à *Mitylene*; sive potiùs est genitivus à *Mitylena.* Possis tamen dicere, *Negotiatur in urbe Mitylenes.*

OBSERVATIO II.

Pro propriis urbium [1] usurpantur hæc appellativa, *domus, rus, humus* [2], *militia, bellum.*

Unà semper militiæ, & domi [3] *fuimus.* Ter. Adel. act. 3. sc. 5.

Sum ruri. Cicero pro Client.

Et, *Sum rure* [4]. Horat. 1. Epist. 15.

Rure meo possum quidvis perferre, patique.

Sed *domi* non recipit adjectiva, præterquam ista, *Meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ, alienæ.*

Malo esse cum timore domi meæ, quàm cum periculo alienæ. Cic.

1 Sic Lithocomus; sed minùs ambiguum sit; *Velut propria urbium construuntur hæc appell.* &c. 2 Ut, *jacet humi.* Ac Maro etiam genitivo usus, ubi potiùs motus per locum significari videatur. Ut in illo 1. Æneid. *Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor Corpora fundat humi*, hoc est, *per humum*; ut Servius interpretatur. Ovidii quoque est, *Sternit humi juvenem.* Sententia est, *in humum*, vel *ad humum.* 3 Ut hìc, *militiæ, & domi*; ita Cicero 2. de Off. *Quicunque rebus domi, vel belli poterunt, Remp. augeant.* 4 Sæpiùs *ruri* invenias. Ter. *Ruri se continebat.* Sed poetæ pro eo etiam *rure* dicunt.

† Inter-

† Interdum in his quoque utimur præpositione.

Ille in domo mea sæpè convaluit. Plin. ad Cæl.

Convaluit domi paterna non dicimus; sed *domi patris* [5], vel *in domo patris* [6], vel *in domo paterna*. Ac par aliorum adjectivorum ratio est.

5 Nam jungi etiam genitivo possessoris, indicio erit, quòd Tullius dicat, *Hujus domi est mortuus, istius educatus*. Quemadmodum & cùm motus ad locum signatur. Ut in illo ejuſdem, *Prima luce Pompeji domum venisse dicitur*. 6 Quinctil. lib. 5. cap. 10. *In domo furtum factum ab eo, qui domi fuit*.

OBSERVATIO III.

† Aliquando nomina insularum construuntur ut propria urbium: ut,

Chremes clàm habebat Lemni uxorem. Sulp. Apoll. arg. Phor. [1].

Sed frequentiùs, ut appellativa, & cætera regionum nomina, in ablativo ponuntur cum præpositione: ut,

In Lemno uxorem duxit. Phorm. sc. ult.

1 Sic Cæsar, *Pompejus Cypri visus est*. Justin. *Cypri exulare*.

DE DATIVO VERBORUM.
REGULA I.

Omne verbum [1] regit dativum [2] personæ, aut rei, cui aliquid acquiritur, aut adimitur.

Non omnibus dormio. Cic. 7. ep. 25. ad fam.

Mihi peccat, si quid peccat. Adel. act. 1. sc. 2.

1 Etiam impersonale: ut, *mihi libet, licet*, &c. Quod proptereà affero hoc loco; quia de eo nihil inferiùs in doctrina Impersonalium dicetur. 2 Non hoc perpetuum est. Nam *noceo*, vel *opitulor*, item *auxilior tibi*, dico; at dicimus, *juvo te*. Et sunt similia, quæ usus docebit.

Ad hanc regulam pertinent verba *dandi*, *imperandi*, *narrandi*, *obediendi*, & contrariæ significationis [3].

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. Juven. sat. 2.

Huic mandes, si quid rectè curatum velis. And. act. 3. sc. 4.

Surdo narrat fabulam. Heaut. act. 1. sc. 2.

Obsequi animo suo. Adelph. act. 1. sc. 1.

Voluptatis blanditiis non facilè obsistimus. Cicero de Senect.

Dativum [4] etiam adsciscunt composita cum præpositionibus, *præ* [5], *ad*, *cum* [6], *sub*, *ante*, *post*, *ob*, *in*, *inter*, *sub*, & *super*.

Ego meis præluxi majoribus. Cicero contra Rull.

Errori album calculum adjicere. Plin. lib. 1. epist. 2.

Sic, *Anteponere*, vel *Postponere aliquid alicui*.

3 Sic & verba *concedendi*, *irascendi*, *favendi*.

4 Nec id tamen perpetuum. Nam ablativo etiam junguntur aliqua: ut, *supersedere labore*: vel accusativo cū præpositione: *accessit mihi*, vel *ad me*. Et sunt alia horum similia, quæ veterum lectione meliùs, quàm præceptis, discuntur. 5 Sed *præcedo*, *præcurro*, *prævenio*, & *præverto*, etiam junguntur accusativo: de quo in verbi finiti structura postremò dicetur loco. 6 *Comparo* tamen variè construitur. Nam dicimus, *comparo illi*, *ad eum*, & *cum eo*.

REGULA II.

Verba substantiva, habendi significatione, regunt dativum.

Est mihi namque domi pater, est injusta noverca. Virg. Ecl. 3.

An nescis longas Regibus esse manus? Ovid. Epist. 16.

Quid

Quid animi creditis illi misero fore? Terent. Adelph. act. 4. sc. 6.

* *Sic* suppeto. *Horat.* Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.

REGULA III.

Quædam verba [1] regunt geminos dativos, alterum personæ, alterum rei.

Est mihi curæ. Do tibi pignori.

Utrùm studione id sibi habet, an laudi putat fore, si perdiderit gnatum? Adel. act. 3. sc. 3.

Nucleum amisi, reliquit pignori [2] *putamina.* Plaut. Cap. act. 3. sc. 4.

† Huc referri potest:

Est mihi nomen Petro. Ut I. Æn. *Cui nunc cognomen Julo.* Quod etiam effertur per Appositionem, *Cui cognomen Julus*: & interdum per genitivum, *cognomen Juli*, ut *flumen Rheni*.

Nomen Mercurii est mihi. Plaut. Amph.

1 Hujusmodi verba præcipuè sunt, *Sum* in afferendi significatione, itē, *do, duco, habeo, tribuo, verto.* Varro: *Quod aliis vitio vertis, id tibi ne laudi duxeris.* Livius: *Neque ea res capitali noxæ habetur.*

2 Sed hìc dativus personæ dissimulatur. Nam integrè sit, *reliquit mihi pignori.* Par ratio in illo Livii: *Ea, quæ gloriæ esse debent, in crimen vertit.*

OBSERVATIO.

† Figuratum est, cùm verbis apponitur dativus [1] pro accusativo cum præpositione.

It clamor cœlo, pro *ad cœlum*. 5 Æneid.

Belloque animos accendit agrestes, pro *ad bellum*. 7. Æneid.

1 Dativus figuratè ponitur nùnc pro accusativo cum præpositione; ut in exemplis, quæ adferuntur: nunc pro ablativo cum præpositione; ut in Ecl. *Solstitium pecori defendite*, pro *à pecore*. Sic, *intelligor ulli*, pro *ab ullo*; de quo infrà.

† Notan-

† Notandus hìc etiam est Pleonasmus dativorum, *mihi, tibi, sibi*.

Suo sibi gladio hunc jugulo. Adelph. act. 5. sc. 8.

At ego tibi postridie à villa ante lucem: supple, *profectus sum*. Cic. ad Att.

Hic mihi gloriatur, se omnes honores sine repulsa obtinuisse. Cicer. in Pison.

Pleonasmus, est vocabuli in oratione redundantia.

DE ACCUSATIVO VERBORUM.

REGULA I.

Verba transitiva [1] cujuscunque generis regunt accusativum [2] patientem: ut,

Amat bonus otia Daphnis. Ecl. 5.

Non profecturis littora bobus aras. Ovid. Ep. 4.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam. Virg. Ecl. 2.

Quædam transitiva [3] geminos regunt

1 Sive hunc in modum, si fortè id clariùs videatur: Verba activa, & deponentia activæ significationis regunt accusativum ejus, in quod transit actio verbi. Ac par quoque neutrorum ratio est, cùm significant actionem transeuntem: ut, *ardebat Alexin*. Secùs verò est in iis, quæ significationem habent absolutam; sive neutra sint, sive deponentia: ut sunt, *existo, sto, sedeo, venio, surgo, orior, morior*, &c. 2 Pro accusativo interdum est infinitivus. Ut, *Cupio ludere*, pro *lusum*. *Disco canere*, pro *cantum*. Qua de re dicam in regulis infinitivorum. 3 Ut sunt primùm verba docendi. Cic. *Erudit te leges belli*. Item admonendi. Cic. *Sed eos hoc moneo, desinant furere*. Cui simile illud ejusdem: *Sin exieris, quod te jam diu hortor*. Sed de verbis monendi cautè capiendum; quia certis solùm junguntur accusativis: ut dicetur, ubi agemus de verbis memoriæ, & oblivionis.

accu-

accusativos; unum personæ, alterum rei [4]: ut,

Multa hominem fames docet. Proverb.

Quid nunc te, asine, literas doceam? Cic. in Pis.

* *Pro altero accusativo ponitur etiam ablativus cum præpositione*. *Cic.* Senatum edocet de itinere hostium. *Idem*: Terentiam moneas de testamento. *Idem*: Iisdem de rebus etiam atque etiam hortor.

Sic verba rogandi: ut, *rogo*, *flagito*, *oro*, *posco*, *peto* [5] *te hanc rem*, vel *abs te*; quod usitatius [6] est.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Virg. 2. Æneid.

Item hæc: *Facio te Deum*. Adel. act. 4. sc. 1.

Præsta te virum [7]. Cic. 1. epist. fam.

Celo te hanc rem. Adel. act. 1. sc. 1.

4 Quin regant accusativum personæ, dubium non est. Sed de accusativo rei negant aliqui. Putant enim attendi præpositionem *ad*, *circa*, *juxta*, vel *secundum*; quomodo Græci solent intelligere κατά. Capio autem de accusativis rei diversæ. Ut, *Doceo te literas*. Ac, in exemplo, quod proximè adfero, *Pacem te poscimus*. Et *Celo te hanc rem*. At dispar est ratio in illis, quæ penè invitus ex Lithocomo reliqui, *Facio te Deum*; &, *Præsta te virum*: quibus sunt similia, *Cupio te arbitrum*: *Voco te patrem*. Nam homo acutus facilè videbit in his accusativos esse rei ejusdem; ac alterum alteri jungi per regulam convenientiæ. 5 Similiter *postulo*, *percunctor*, *consulo te hanc rem*, vel *de hac re*. Cic. *Nihil decrevi, nisi quod principes civitatum me postulassent*. Idem: *Illud à vobis postulo*. Plaut. *Quæso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui*. Cic. *Ego illum de suo regno, ille me de nostra Rep. percontatus est*. Sallust. *Ibo, & consulam hanc rem amicos*. Plin. *Apollinem de bello consuluit*. Nec tamen quibusvis accusativis verba ejusmodi junguntur. Quis enim dicat, *consulo te hæreditatem*, aut *bellum*; pro *de hæreditate*, aut *bello*? *Obsecro te hanc rem*, & *obsecro à te hanc rem*. Cic. *Itaque te hoc obsecro*. Plaut. *Si me fas est obsecrare abs te pater*. 6 Cic. *Nunc à te illud primum rogabo*. Item, *Reposcere vitæ rationem ab altero*. Similiaque passim occurrunt. 7 Hunc in modum construuntur & verba nuncupandi: ut, *voco*, *nomino*, *dico*, *appello*, *nuncupo*. Quale sit, *Voco hoc potiùs latrocinium, quàm bellum*.

Vel,

Vel, *de hac re*. *De armis, de ferro, de insidiis, te celare voluit*. Cic. pro Dejot.

Doceo, moneo, rogo, posco, cum compositis, etiam in passivo retinent accusativum rei [8].

Motus doceri gaudet Jonicos Matura virgo. Horat. lib. 3. od. 6.

Multa extis admonemur. Cic. 2. de Nat. D.

Rogantur sententiam. Id.

Neges illa hominem posse exorari. Id.

Nec tantùm segetes, alimentaque debita, dives.

Poscebatur humus. Ovid. 1. Met.

Similiter in participiis.

Dulces docta modos. Horat.

Edoctus belli artes, militiam, &c. Liv.

Cato rogatus sententiam. Sal.

Sed in ablativo dixit Cicero: *Græcis literis satis doctus*. Et Salust. *Mulier literis Græcis, & Latinis, docta*.

8 Alii malunt, præpositionem in talibus intelligi: ut Græci sæpè reticent κατά.

REGULA II.

Quædam intransitiva [1] regunt accusativum [2] suæ originis, vel cognatæ significationis.

Vivo vitam. *Gaudeo gaudium*. Ter.

Ludo ludum. *Servio servitutem*. Cic. pro Mur.

Hunc, oro, sine me furere ante furorem. 12. Æneid.

Sic, *Olet vinum*. *Olet unguenta de meo*. Adel. act. 1. sc. 2.

1 Hoc est, absolutum aliquid per se significantia.

2 Accusativus hîc sæpè in ablativum vertitur. Ut, *vivere vita honesta: obire morte repentina*.

Vox

Vox non sonat hominem. 1. Æn.

Vineta crepat mera [3]. Horat. 1. epist. 7.

† Et in quibus nomina pro adverbiis ponuntur: ut,

Sonat horrendum. 9. Æneid.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia [4] *vivunt*. Juvenal. Sat. 2.

3 Sic, *ire viam*, *sitire sanguinem*, *eadem peccare*, &c.

4 Hoc est, Bacchanalium ritu, q. d. Bacchanaliter, si sic loqui liceret.

REGULA III.

Quæ significant motum ad locum, regunt accusativum, significantem urbem, sine præpositione [1].

Eo Romam.

Profectus est Athenas.

Carthaginem rediit Regulus. Cic. 3. Offic.

† Hic additur aliquando præpositio: præsertim si non ingressus in urbem, sed in locum vicinum, significetur: ut,

Profectus sum ad Capuam. Cic. de Senect [2].

Pro propriis urbium usurpantur [3], *rus*, & *domus* [4]; hoc, utroque numero; illud, singulari tantùm.

1 Quæ tamē natura intelligitur: imò etiam additur, si nomini proprio adjectivum apponatur: ut illo Propertii: *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas*.

Cæteroquin *ad* appositum, non tam ipsum locum, quàm propinquum, significat: ut proximo canone indicatur. Sic Cic. ad Att. *Venit ad Messanam*. Similiaque sunt, *Ad Ilerdam proficiscitur*: *Ad Genevam pervenit*. 2 Sic Cæsar: *Hæc ad Ilerdam geruntur*: h. e. ante, vel circa Ilerdam. 3 Ita & hic Lithocomus; quod reliquimus. Sed vide an non clariùs sit? *Velut propria urbium construuntur*, rus, & domus: vel, *Nomina urbium imitantur*, rus & domus. Idem judicium esto de similibus verbis in reg. 1. de ablativo verborum. 4 Non modò cùm locus significatur; sed aliis etiam accusativis, eundi verbum jungitur. Ut, *ire inficias*, apud Ter. *ire exsequias*, apud eundem: *ire suppetias*, apud Cæs.

Ibo

Ibo[5]. Eunuch. act. 1. sc. 2.

Ite domum[6] *saturæ, venit Hesperus, ite capellæ*. Eclog. 10.

Jam ubi vos dilapsi domos, & in rura vestra, eritis. Liv. lib. 34.

Cæteris appellativis, & regionum nominibus, additur semper præpositio[7]: ut,

Transi sodes ad forum. Phor. act. 5. sc. 7.

In Asiam ad regem militatum abiit. Heaut. act. 1. sc. 1.

5 Integrè esset, *in rus*, vel *ad rus*. Nam accusativus ἐλλειπτικῶς regitur à præpositione omissa: ut de urbium nominibus dicebamus.

6 Integrè fuerit, *ite ad domum*. Imò interdum tam accusativus, quàm præpositio, desideratur: ut cùm ἐλλειπτικῶς dicitur, *ducere uxorem*, pro *ducere domum*, sive *ad domum*. Sicut cùm dicitur, *nubere alicui*, integrè esset, *nubere vultum*; quia sponsa faciem nubebat; hoc est, flameo velabat. 7 Interdum in regionum, atque insularum nominibus, omittitur præpositio. Virgil. *Italiam fato profugus, Lavinaque venit Littora*. Idem: *Ibitis Italiam*. Imò & Livii est: *Proficisci Peloponnesum*. Sueton. *Cùm Samum insulam in hiberna se recepisset*. Justinus: *Samothraciam abire*. Idem: *Cyprum concedere*.

REGULA IV.

Quibusdam compositis additur accusativus ratione præpositionis, quæ in composito inest: ut, *Adeo patrem: Villam prætereo sciens*. Ter.

Flumen præterfluit muros. Liv.

Traducere copias flumen. Cæsar. lib. 1. bel. Gal.

E, & *ex*, sæpè habent vim præpositionis *extra* *: ut, *Egreditur urbem*: *Excedit modum*.

Præ interdum vim eandem habet, ac *præter*; ut, *Prævertitur Hebrum*. Virg.

*Quæ caussa est, cur adsciscant accusativum.

DE ABLATIVO VERBORUM.

REGULA I.

Quæ significant motum de loco, sive per locum, regunt ablativum significantem urbem, sine præpositione [1]: ut,

Rediit Roma, Carthagine.

Discessit Brundusio. Cic. 14. ep. 4. fam.

Novesio sum iturus in patriam.

* *Hic quoque additur aliquando præpositio* [2]: *ut*, Ab Athenis ire in Bœotiam. *Servius ad Cic. lib.* 1. *bell. Pun.*

Pro propriis urbium usurpantur *rus*, & *domus*: ut,

Venit domo.

Video rure redeuntem senem. Eun. act. 5. sc. 5.

Cæteris appellativis, & regionum nominibus, additur præpositio [3]: ut,

Rediit ex schola, ex Gallia.

E Tantali horto fructus colligis. Proverb.

Per Galliam itur in Hispaniam.

1 Ea tamen sua natura intelligi videtur. Quin interdum etiã exprimitur, ut mox dicetur.

2 Imò ipsius Ciceronis est, *Discessit à Brundusio.* Sed non absque judicio est loquendi genus hoc imitandum Quippè si non semper, plurimùm saltem, non tam egressus ex urbe, quã è vicinis locis, intelligitur. Quod apertum est in hoc Phil. XII. *Denunciatum est, ne Brutum obsideret, à Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementiùs.* 3 Interdum omittitur præpositio. Ut apud Tacitum: *Ægypto remeare.*

REGULA II.

Omne verbum regit ablativum, significantem caussam, instrumentum, modum, aut partem [1].

1 Caussa ejus structuræ est, quòd intelligatur præpositio, unde regitur ablativus. Ut, *peccat amore*, vel *metu*; pro *ex amore*, vel *metu*: *compescere digito*, pro *cum digito*: *prosequi odio*, pro *cum odio*: *afficere honore*, pro *cum honore*: *cantando vincit*, pro *in cantando*: *more veteri fit*, pro *de more*, vel *ex more*: *nitor viribus*, pro *in viribus*: *glorior divitiis*, pro *de divitiis*: *lachrymæ gaudio cadunt*, pro *præ gaudio.*

Caussa:

Oderunt peccare boni virtutis amore. Hor. 1. epist. 17.

Instrumentum:

Digito compesce labellum. Juvenal. sat. 1.

Modus:

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Val. Max.

Multi magni morbi curantur abstinentia, & quiete. Celsus.

Pars:

Ut tota mente, atque omnibus artubus contremiscam. Cic.

† Ad ablativos modi refer adjuncta, & circumstantias: ut,

Lepore, & humanitate, omnibus præstitit Socrates. Cicer.

Sic, *Prosequor te amore, odio, benevolentia*, &c.

Afficit me damno, injuria, honore, &c.[1]

Ablativis caussæ, modi, aut partis, additur aliquando præpositio.

Præ mœrore loqui non possum. Cic.

Semper magno cum metu dicere incipio. Id. in Orat.

Cùm constemus ex animo, & corpore. Id.[2]

At non item [3] hoc fit in ablativis instrumenti.

1 Similiter verbum *sum* jungitur ablativo, quo significatur aliquid inesse, vel adesse. Cic. *Mira sum alacritate ad litigandum*. Suet. *Reliqua militia secundiore fama fuit*. Videtur autem tacitè respici ad præpositioné *cum*; sicut anteà dicebamus. Ajunt & regere genitivum: ut, *Est boni ingenii: est quantivis pretii*. Sed in talibus substantivum intelligi videtur. Ut priori loco *puer*, vel simile: in altero *homo*, *res*, vel aliud. 2 Similiter non modò dicimus, *gaudere bonis*, *dolere malis*: sed etiam, *de bonis*, aut *malis*; item, *propter bona*, aut *mala*. 3 Vide sis Vallam lib. 2. cap. 6.

Natu-

Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Horat.

Non, *cum furca.*

REGULA III.

Verba mercandi [1], & quævis alia, regunt ablativum [2] significantem pretium, sine præpositione.

Vendidit hic auro patriam. Virg. 6. Æn.

Non emam vitiosa nuce. Plaut. in Mil. act. 2. sc. 3.

Stat mihi non parvo virtus mea. 4. Fast.

Vix drachmis obsonatus est decem. And. act. 2.

Sic, *asse*, vel, *magno licere*, *liceri* [3], vel *licitari*: quorum illud est pretium poscentis; hæc sunt offerentis [4].

Excipe hos quatuor genitivos [5], *tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris*, cum compositis: si non addantur substantiva [6].

Magis illa juvant, quæ pluris emuntur. Juven. sat. 11.

1 Ut sunt, *emo*, *redimo*, *mercor*, *distraho*, *do*, *venundo*, *vendo*, *sto*, *consto*.

2 Si tamen accuratè loquendum, ablativus is regitur à præpositione intellecta. Nam *vendidit auro*, valet, *pro auro*.

3 Pers. *Et centum Græcos curto centusse licetur*, hoc est, offert centussem pro centum Græcis. Atque ab hoc verbo *liceor* est compositum *polliceor*, pro *perliceor*. 4 Simile est, *addicere denario*, *locare septem drachmis*, *habitat decem millibus*: quod apud Cic. pro Cœl. 5 Vide Vallam lib. 3. cap. 1. 6 Nam si addatur substantivum, exigunt ablativum. Juvenal. *Quanto metiris pretio.* Gellius: *Mercatur libros nihilo minore pretio, quàm quod erat petitum pro omnibus.*

REGULA IV.

Passiva habent [1] ablativum agentem,

1 *Habent* dico, non, ut vulgo, *regunt*. Siquidem ablativus ille non regitur à verbo, sed à præpositione. Quare canon hic non pertinet ad rectionem veram; sed apparentem: ut multi canones alii, in quibus me vulgo accommodavi.

2 Passiva regunt casum activorum; præterquam accusativum sine præpositione. Nam dicitur in genitivo, *accusatur furti*: in dativo, *seritur mihi*: in accusativo, sed cum præpositione, *agitur per eosdem*: in ablativo, *triduo legetur*; & cum præpositione, *accusatur à Senatu*. At non item, sicut, *accusat filium*, ita dixeris, *accusatur filium*. Tamen, *exigor pecuniam*, *imperor illud*, & quædam similia, legas; uti etiam vidimus reg. 1. de accus. verb. 3 Nempe quia omnia verba acquisitiva dativum adsciscunt. Nam, ut, *non probas hoc mihi*: sic dicitur, *non probatur hoc mihi*. Nec tamen possis semper exponere per ablativum cum præpositione. Ut cùm dico, *mihi peccatur*, *mihi dormitur*. Ubi non liceat dicere, *A me peccatur*, vel *dormitur*: quæ longè aliud notant. 4 Pro δοκῶ, seu Belgico, *duncken*, *schynen*. 5 Nec enim, *videtur mihi*, rectè hìc exposueris, *videtur à me*. 6 Imò imitantur hanc structuram etiam verba quædam absoluta habentia vim patiendi. Ut, *pati à suis*, *calescere à spiritu*, *interire ab aliquo*, *salvebis à Cicerone*, & similia.

cum [2] præpositione *A*, vel *Ab*: ut,

Laudatur ab his, culpatur ab illis. Horat. lib. 1. sat. 2.

Aliquando habent dativum [3] pro ablativo: ut,

Ego audita tibi putaram. Cic. lib. 3. ad Att. ep. 24.

Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli, pro *ab ullo*. Ovid. 5. Trist. Eleg. 11.

* At *videor* in significatione [4] quadam semper [5] dativum adsciscit.

Mihi videbor restitutus. Cic. ad Ter. l. 14. ep. 2. Sic, *Videris mihi diligens*.

† Passivorum constructionem sequuntur & neutralia passiva [6]: ut,

Veniit à domino. *Vapulabis à præceptore*.

REGULA V.

1 Propriè huc pertinēt quinque proximè sequētia. At *nitor*, accuratè loquendo, pertinet ad regulam secundam de verbis omnibus (eòque & deponentibus) quæ regunt ablativum caussæ, modi, vel instrumenti. Cur verò priora quinque ablativum adsciscant, non aliam adferre est caussam, quàm quòd ἐλλειπτικῶς intelligatur accusativus cognatæ significationis, cum præpositione, quæ regit ablativum. Ut integrè sit: *Vtor usum è vino*, *fruor fructum è studiis*, *potior potestatem ex amore*, & sic in cæteris.

Certa [1] quædam deponentia regunt ablativum: ut,

Vtor

Vtor vino, *Fungor officio*, *Potior amore*, *Fruor studiis*.

Vescor caseo, *Nitor viribus*, *Dignor honore*.

† Ex quibus quatuor priora etiam cum accusativo inveniuntur antiquè: ut,

Mea bona utantur. Adel. act. 5. sc. 3.

Functus est officium liberalis adolescentuli. Phor. act. 2. sc. 1.

Patria potitur commoda. Adel. act. 5. sc. 4.

Exorari poterit, ut sinat sese hanc frui. Plaut. Asin.

† *Vescor* cum accusativo sæpè usurpatur; præsertim apud Plinium [2].

† *Potior* autem etiam cum genitivo usitatum est: ut,

Potiri rerum, hostium, urbis, regni, voluptatum, &c.

Cui fatum foret, urbis potiri. Saluſt. in Cat.

2 Similiter Tacitus: *Eo inopiæ venerunt, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos, vescerentur.*

* Mereor *ablativum exigit cum præpositione: ut*, Optimè de me meriti estis.

REGULA VI.

Præpositio, ablativum regens, subaudita, vel per compositionem addita, facit sæpè, ut ablativus verbis addatur: ut,

Medio tutissimus ibis, id est, *in medio*. 2. Met.

Ovo prognatus eodem. Horat.

Quanta spe decidi [1]! Heaut. act. 2. sc. 3.

1 Sic Ovid. *Virtus est, placitis abstinuisse bonis*. Ac Ciceronis est: *Abstinere manus ab alienis pecuniis*. Etiam Cicero: *Arcere aditu*, & *arcere ab injuria*: *prohibere usu urbis*, & *prohibere ab insula*: *cedere via*, *templis*: & *cedere de dignitate*, *fortuna*. Ejusdem est, *exulare domo*. At Macrobius dixit, *exulare à conviviis*.

* *Præpositio, cum qua verbum est compositum, sæpè iteratur.*

Nihil non consideratum exibat ex ore. *Cic. de clar. orat.*

Ejectus è mari. *Plaut.*

DE IIS,

Quæ promiscuè nunc cum hoc, nunc cum illo casu usurpantur.

REGULA I.

Verba memoriæ, & oblivionis, genitivum regunt, vel accusativum [1]: ut,

Obliviscitur nominis sui, vel *nomen suum*.

Faciam, ut hujus loci, dieique, meique, semper memineris. Ter. Eunuch. act. 4. sc. 7.

Numeros memini, si verba tenerem. Ec. 9.

Pueritiæ memoriam recordari ultimam. Cic. pro Archia.

† Verba memoriæ etiam adsciscunt ablativum cum præpositione.

De Rep. aut de periculo alicujus meminisse [2]. Cic. pro Syll.

Quoniam istis lacrymis vestris de illis recordor. Cic. pro Planc.

Sic, { *admoneo*, *commoneo*, *commonefacio* } *te hujus rei*, *hanc rem*, vel *de hac re*.

Otia delectent, admoneantque mei. Ovid. 1. Trist. eleg. 6.

1 Genitivum quidem tam personæ, quàm rei: sed tantùm accusativum rei, non personæ. Ut *memini numerorum*, & *memini numeros*. At, *memini Ciceronis*, tantùm: non etiam, *memini Ciceronē*.
2 Sed est hìc discrimen aliquod. Nā, *meminit alicujus*, qui in memoria habet, sive verbis id testetur, sive non. At, *memini de aliquo*, qui ejus mentionem facit. Promiscuè verò dicitur, *recordor illius*, &, *recordor de illo*.

Illud

Illud [3] *me præclarè admones*. Cic. 9. ep. 11. At.

De quo vos paullò antè invitus admonui. Cic. pro leg. Man.

† Ne tamen hæc verba conjunguntur cum quibusvis accusativis [4]: quippe, quæ vix aliis, quàm his, juncta reperias, *hoc*, *istud*, *illud*, *id*, *idem*, *quod*, *quid*, *aliquid*, *nihil*, *nonnihil*, *multa*, *pauca*, *unum*, *duo*, *tria*.

Figuratum est, *Venit in mentem ejus rei*: pro *ea res* [5].

Non minùs sæpè ei venit in mentem potestatis, quàm æquitatis tuæ. Cic. pro Quinct.

3 Nisi magis placet τὸ *illud* regi à præpositione intellecta, quæ respondeat Græco κατά. De cujusmodi structura quædam superiùs notabã ad regulam I. de accusativo verborum: ubi ago de verbis transitivis, quæ regere dicuntur geminos accusativos. 4 Itaque dixerim cum Fabio, *Grammaticos sui officii admonemus*; non *suum officium*. Item cum Tullio, *Cùm te amicitiæ veteris commonefacerem*, non, *amicitiam veterem*. In libro quidem de Orthographia, Bedæ tributo, legas, dici utrumque, *admoneo te cædis*, & *cædem*. Sed fallitur. 5 Ita fuerit Enallage casûs. Vel dic, ἐλλειπτικῶς: intelligi nominativum: ut integrè sit, *ejus rei cogitatio*, vel *recordatio*; quemadmodum superiùs etiam monitum.

REGULA II.

Verba copiæ, & inopiæ, regunt ablativum, vel genitivum: ut,

Egeo, *indigeo*, *auxilio*, vel *auxilii* [1].

Sic, *Impleo*, *compleo*, *saturo*, *obsaturo*.

Implevitque mero pateram. 1. Æn.

Implentur veteris Bacchi. Ibidem.

Cætera, quæ sunt hujus generis, ablativo magis gaudent: ut,

Affluit, *abundat*, *divitiis*, &c. [2]

1 Sic, *caret tui*, vel *te*. Ter. *Omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves; præterquam tui carendum quòd erat*. At Ovid. *Morte carens anima*. Sic *Scateo talium*, & *talibus*. Gellius: *Xantippe irarum, & molestiarum scatebat*. 2 Sic, *vacare culpa*. Item ablativum tantùm habent verba hæc auferendi, *privo*, *spolio*, *fraudo*, *orbo*, *viduo*, *emungo*, *levo*. Ut hoc Virgilii: *Ego hoc te fasce levabo*.

REGULA III.

Omne verbum regit accuſativum, vel ablativum, ſignificantem ſpatium temporis: ut,

Potavit totam noctem [1], vel *tota nocte*.

Accuſativus uſitatior eſt.

Noctes, atque dies, patet atri janua Ditis. 6. Æneid.

Ablativus:

Vixit annis viginti octo, imperavit triennio. Suet. in Calig. cap. 59.

Accuſativo interdum additur præpoſitio.

At pius Æneas per noctem plurima volvens. 1. Æneid.

Intra annos quatuordecim tectum non ſubierunt. Cæſ. lib. 1. de bell. Gall.

[1] Videtur verbum accuſativo jungi per Ellipſin præpoſitionis *per*: quæ interdũ etiam additur, ut infrà dicetur.

OBSERVATIO.

At ſi non ſpacium, ſed ſpecies temporis, ſignificetur, ablativus [1] tantùm verbis apponitur: ut,

Nocte vigilas, æſtate penulam deteris. Prov.

Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris. Plaut. Aul. act. 2. ſc. 5.

Significatur autem ſpacium [2], cùm interrogatio fit per *quamdiu*: ut,

Quamdiu potavi? Totam noctem.

Species [3], cùm interrogatio fit per *quando*: ut,

Quando venies? Hora tertia.

[1] Hìc quoque videri poſſit id fieri ἐλλειπτικῶς, quoniam, ut mox videbimus, præpoſitio nonnunquam apponitur.

[2] Hoc eſt, duratio, ac continuatio temporis.

[3] Pars temporis: ut, *hora, dies, annus*, &c.

† Inter-

† Interdum ablativo additur præpositio.

In tempore ad eam veni. Ter.

Convivia facere de die. Catul.

De nocte vigilare. Cic.

† Nonnunquam etiam accusativus habet locum cum præpositione.

Duo fuerunt per id tempus dissimiles inter se. Cic. pro, *eo tempore* [4].

† Quòd si *abhinc* [5] addatur; tam accusativo [6], quàm ablativo, uti licet.

Abhinc triennium commigravit huc viciniæ. Terent. Andr. hoc est, *ante*.

Quorum pater abhinc duos & viginti annos mortuus est. Cic. 4. Verr.

Abhinc annis quindecim. Idem pro Rosc. Com.

* *Figuratum est*, Id ætatis sumus: *pro*, ea ætate. *Cic.* Milo profectus est id temporis: *pro*, eo tempore 7.

4 Sic idem: *Dimidiam partem nationum intra viginti dies subegit*. Sueton. *Ad Calendas Græcas*. Imò interdum & necessaria est præpositio. Ut cùm ait Tullius: *Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit*. 5 *Abhinc* de præterito dicitur: de futuro autem usurpamus post. Ut, *post sexennium*. Vel etiam, *ad sexennium*. Cic. 1. Tusc. *Et ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem*? 6 Interim accusativus is non regitur ab adverbio *abhinc*; sed ab intellecta præpositione *ante*. Nam *abhinc triennium*, valet, *abhinc ante triennium*. Ac similiter ablativus regitur à præpositione *in*, quæ κατ' ἔλλειψιν reticetur. Quippe *abhinc annis quindecim*, integrè foret, *in annis* XV. 7 Fit hoc more Græcorum; qui in accusativis ejusmodi intelligunt κατὰ: ut simile sit istis; *aliqua id genus*, *cætera lætus*, *magnam partem absolutus*, &c. Itaque *id ætatis* & *id temporis*, dicuntur pro *circa id ætatis tempus*, *circa id temporis spatium*.

REGULA IV.

Quædam verba regunt accusativum, vel ablativum, significantem spacium [1] loci: ut,

1 Hoc est, intervallum sive distantiam, vel extensionem. Ut cùm quæritur, quàm procul absit, vel, quàm latè pateat. Porrò in accusativo intelligi videtur *ad*, *per*, aut *circa*: in ablativo autem *à*, vel *ab*.

Colonia abest hinc iter, vel *itinere, unius diei*.

Accusativus item hic usitatior.

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo.)

Tres pateat cœli spacium, non ampliùs, ulnas. Virgil. 3. Eclog.

Ablativus.

Nec longis inter se passibus absunt. Virg. 11. Æneid.

OBSERVATIO.

De verbis aliis, quæ variè construuntur.

* Medicor 1, moderor, 2 præstolor, dono, *eadem significatione admittunt dativum, vel accusativum*.

Gnato ut medicarer tuo. *Ter.*

Ego istum lepidè medicabor morbum. *Plaut. Most.*

Moderari animo, & orationi. *Cic. ad Quinct. Fr. 11.*

Moderari cantus, numerosque 2. *Idem 5. Tusc.*

Quem præstolare, Pameno? *Ter. Eunuch.*

In Formiano tibi præstolor. *Cic. lib. 3. ad Att.*

Dono tibi librum, *&*, dono te libro 3.

Multa etiam variè construuntur ex compositis cum præpositione, quæ dativo jungi diximus.

Acquiesco huic rei, *&* in hac re.

Adspersit tibi labem, *vel* te labe.

Antecedo, anteeo, antesto tibi, *vel* te.

Attendo tibi, *vel* te.

Conducit huic rei, *&* ad hanc rem.

Consentio tibi, *sive* tecum.

Dissentio, dissideo tibi, *sive* à te, *vel* cum te.

Illudo, insulto alicui, aliquem, *vel* in aliquem.

Impertiam tibi furtunas meas, *&* te furtunis meis.

Incessit alicui cupiditas, *&* incessit aliquem, *vel* in aliquem.

1 Imò & *medeor*: quomodo dicitur, *mederi vitiis*, & *vitia*: quorum prius est usitatius.
2 Sic, *moderari affectui*, &, *affectum*.
3 Similiter, *palpari alicui*, &, *aliquem*. Item, *adulari alicui*, vel, *aliquem*; quod rectius, teste etiam Fabio. *Comitor tibi*, & *comitor te*; quod usitatius. Item, *dominari victis*, & *in victos*: *loqui alicui*, & *ad aliquem*: *gratulor tibi felicitatem*, & *de felicitate*.

Induo

Induo { tibi vestem. *vel* *vel* Exuo { te veste.

Instravit equo penulam, *vel* equum penula.

Interdico tibi hanc rem, *&*, Interdico tibi hac re 4.

Obtrectare laudibus, *vel* laudes.

Occumbit { morti, neci. *vel* mortem, necem.

Percontari alicui, *vel* aliquem, de re.

Præsto,* præcello, præcedo, præcurro, præverto tibi, *vel* te.

Prohibere alicui domum, *vel* aliquem domo.

Subire { arci, *vel* arcem. tecto, *vel* tectum.

4 Addit Linacer (quem plerique sequuntur) etiam tertiũ modum: nempe, *interdico te hac re*. Prora, & puppis, hujus structuræ est Cæsaris illud lib. 1. de bello Gallico: *Posteaquam in vulgus militum relatum est, qua arrogantia in colloquio Ariovistus usus, omni Gallia Romanos interdixisset*. Sed vitiosi Linacrum codices deceperunt; cùm in melioribus libris, etiam MS.O meo, *Romanis* legatur: ac similiter sit apud Julium Celsum, qui exscribere Cæsarem solet. * Sed *præsto tibi*, pro *præcello*, est usitatius. Vulgò, his, additur *præeo*; quia dicitur *præire verba*. Sed est is accusativus rei, non personæ: de quo exemplum non occurrit.

QUÆDAM *etiam variè construuntur, sed significatione diversa.*

Accedo tibi, *id est, assentior, vel accresco.*

Accedo te, *vel* ad te, *id est, adeo.*

Æmulor tibi, *id est, invideo. Cic. 1. Tuscul. & Qinctil. lib. 10. cap. 1.*

Æmulor te, *hoc est, imitor.*

Ausculto tibi, *id est, obedio.*

Ausculto te, *id est, audio.*

Caveo tibi, *id est, provideo, vel periculum à te averto. Cic. ad Att. lib. 3. ep. 1.* Meliùs enim ei cavere volo, quàm ipse aliis solet.

Cavere aliquid, *id est, vitare, declinare. Ter. Eun. Act. 4. sc. 6.* Quod cavere possis, stultum est admittere.

At

At, caveo à te, *est*, *vito te*. *Cic. Phil.* 11. Quòd ab homine impuro non caverit.

Cavere de aliquo, *est*, *dare*, *vel statuere aliquid ad cautionem*. *Suet.* Quòd nihil de iis testamento cavisset.

Consulo tibi 1, *hoc est*, *consilium do*, *vel prospicio*.

Consulo te, *hoc est*, *consilium à te peto*.

Consulo in te 2, *pro benè malève*, *tecum ago*.

Contingit mihi, *hoc est*, *accidit*.

Contingit me, *hoc est*, *tangit*.

Cupio tibi, *id est*, *faveo tibi*.

Cupio te, *id est*, *expeto*, *desidero*.

Deficit mihi, *id est*, *deest mihi*.

Deficit me, *id est*, *destituit me*.

Deficere ab aliquo, *id est*, *desciscere*.

Do tibi literas, *hoc est*, *do tibi perferendas*.

Do ad te literas, *hoc est*, *ad te scribo*.

Fœnero, vel fœneror tibi, *hoc est*, *do ad usuram*.

Fœnero (*non* fœneror) abs te, *id est*, *accipio ad usuram*.

Imponere alicui, *id est*, *decipere*.

Imponimus aliquem humeris, *vel* alicui onus.

Incumbere alicui, *pro inniti*, *vel inhærere*: *ut*, incumbere aratro, labori, famæ, &c.

Incumbere in aliquid, *vel*, ad aliquid, *pro studere*: *ut*, incumbere ad salutem Reipublicæ, in studia literarum, &c.

Ingurgitare se cibis.

Ingurgitare se in flagitia. *Cic.* *hoc est*, *immergere*.

Metuo, *vel*, timeo, *vel*, formido tibi 3, *hoc est*, *sollicitus de te sum*, *ut amico*.

Metuo, timeo, formido te, *vel* à te, *ut inimico*.

Prospicio meæ saluti, *hoc est*, *salutem procuro*.

Prospicio periculum, *hoc est*, *provideo*.

Peto mihi librum, *hoc est*, *rogo*, *ut mihi detur*.

Peto eum gladio, *vel* lapide, *qui me oppugnat*.

Recipio tibi, *id est*, *promitto*. Recipio te, *hoc est*, *iterum accipio*. Recipio me domum, *hoc est*, *confero me domum*.

1 Cic. ad Trebacium: *Consuli te à Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem*. Unde videmus, consulere alicui non semper esse consiliũ dare; sed etiam prospicere alicui; sive, vel consilio, vel aliter, alicujus commodis studere.

2 Terent. Heaut. *Quia pessimè istuc in te, atque ipsum, consulis*. Liv. lib. 3. *In humiliores libidinosè, crudeliterque, consulebatur*.

3 Utraque structura est in illo Terentii: *Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus minas*. Priori significatione etiam dicitur, *timeo*, vel *metuo de te*, *formido de vita tua*.

Refero

Refero tibi, *hoc est, reporto, vel narro.*

Refero ad te, *quod in consultationem venit.*

Renuncio muneri, hospitio, &c. *hoc est, recuso.*

Renuncio consulem, *hoc est, declaro.*

Solvo tibi, *id est satisfacio.*

Solvo te, *id est, libero.*

Studeo huic 4 uni, in unum hoc, & in hoc uno, *id est, huic operam do.*

Studeo unum hoc, *hoc est, cupio, affecto.* Unum sentitis, unum omnes studetis. *Cic. Phil. 6.* *Qua in structura interdum etiam priori significatione invenitur.*

Tempero merum, *hoc est, certa mensura misceo.*

Tempero mero, *hoc est, modum impono.*

Tempero socios, *hoc est, affectus eorum rego.*

Tempero sociis, *hoc est, à sociis abstineo.*

Vaco philosophiæ, *id est, operam do.*

Vaco ad ineptias, *hoc est, otium habeo.*

Vaco culpa, *hoc est, careo.*

Vacat locus, *hoc est, vacuus est.*

Similia his alia usus docebit.

4 *Studeo huic uni*: ut Quinctil. *Abdicatus medicinæ studuit. Studeo in hoc unum*: ut apud Quinctil. in 10. Orat. Inst. *Poetæ in id solùm student. Studeo in hoc uno*: ut apud Gell. *Siquis in ea re studebat. Studeo unum hoc*: ut in allato Tullii loco, & isto Terentii: *Horum ille nihil præter cætera egregiè studebat.*

DE INFINITIVIS.

REGULA I.

De infinitivis, nullo casu antecedente.

Verba infinita, sine casu antecedente [1] gaudent verbis voluntatem [2], aut faculta-

1 Interdum tamen casus exprimitur. Ut illo Salustii, *Qui sese student cæteris præstare.* Cujusmodi non pauca occurrunt. Itaque non desunt, qui putent, ubi abest, κατ᾽ ἔλλειψιν id fieri. Ita, *desidero videre*, sit *desidero me videre*. *Vetat queri*, pro *illum queri*. Sed potiùs censeo, infinitivum poni pro accusativo: *videre*, pro *visionem*: *queri*, pro *querimoniam*; de quo mox pluribus. 2 Verba ejusmodi Græcis dicuntur προαιρετικά, unde *voluntaria* appellat Priscianus lib. 18.

tem,

tem [3], significantibus: ut [4], *Cupio discere. Non possum vivere sine te. Nescis inescare homines.* Adelph. act. 2. sc. 2.

3 Imò quandocunque duo verba junguntur sine conjunctione expressa, vel intellecta, alterum est infinitivus. Ut, *Docemur disputare, non vivere.* Idem fit in impersonalibus. Ut, *Oportet obedire.* Virgil. *Cernere erat.* Ubi *est* valet *licet.* Dixi, *sine conjunctione expressa, vel intellecta*, propter hujusmodi elliptica; *fac sciam, cave sentiant.* 4 In istiusmodi structura infinitivus videtur naturam habere accusativi. Nam *amat ludere* dicitur, ut *amat lusum: nescis canere*, ut *nescis hoc*, vel *illud: jussit scribere*, pro *scriptionem*. Virgil. *Da jungere dextram*: quasi *jungendam dextram*. Verborum naturam sequuntur nomina similis significationis. Nam ut dicitur, *cupio discere*, ita & *cupidus discere*: ut *nescit inescare*, ita & *nescius inescare*. Imò & similiter adjectivum præponitur infinitivo passivo; ut, *dignus amari, apta regi*. Sed passivus infinitivus redolet naturam dativi, vel ablativi: quasi foret, *apta rectioni, dignus amore*. Activus naturam habet genitivi: quasi dicas, *cupidus disciplinæ*, vel *discendi*. Notanda verò hic duplex ellipsis. Interdum enim præteritur verbum regens: interdum infinitivus, qui regitur. Verbum regens: ut, *Mene incepto desistere victam?* scilicet *decet*. Infinitivus: ut, *scit Latinè*, nempe *loqui*: *scit fidibus*, puta *canere*: *solet*, vel *consuevit cum illius marito*, puta *rem habere*. Sed inprimis intelligi solet verbum substantivum. Cic. *Spero, me integritatis laudem consecutum.* Nam integrè sit, *spero, me esse consecutum.* Est & tertium ellipsios genus, quando intelligitur præpositio. Ut, *Eamus visere*: pro *ad visere*: hoc est, ad visendum. Similiter in isto: *O faciles dare summa deos, eademque tueri difficiles.* Hoc est, *ad dare*, sive, ad dandum: *ad tueri*, sive ad tuendum.

REGULA II.

De infinitivis, antecedente accusativo [1].

Post verbum finitum sequitur ferè infinitivus habens ante se accusativum: qui resolvitur per nominativum, & conjunctionem *quod* [2], vel *ut*.

1 Canon sequens non tā ad regimen verbi pertinet, quàm ad ejus convenientiam cū nomine. Nam ab regula de convenientia nominativi, & verbi, excepimus verbum infinitum: quippe quod, ut hìc videmus, non nominativum ante se habeat; sed accusativum. 2 Imò particula *quod* interdum retinetur. Plautus: *Equidem scio jam, quòd filius amet meus.* Cic. lib. 10. ad Att. ep. 4. *Cùm scripsisset, quòd me ad urbem cuperet videre.* Livius: *Quòd duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror.* Sed hæc rara sunt: nec pueritiæ passim, ac temerè, imitanda.

Gau-

Gaudeo patrem rectè valere.
Hoc est, quòd rectè valeat.
Hunc jubet sine cura esse. Cic. 2. Verr.
Id est, ut hic sine cura sit.

* *Figuratum est illud per Antiptosin* 3.
——Tutumque putavit,
Jam bonus esse socer: *pro*, jam bonum esse socerum. *Lucanus lib.* 9.
Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus. *Catullus.*
Antiptosis est casus pro casu positio.
Figuratum est per Enallagen.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem: *pro*, abscindebat 4. 5. *Æn.*
Enallage est partium orationis, vel accidentium commutatio.

3 Hujusmodi Antiptosis propria est poetarum; qui in eo Græcos imitantur.
4 Vel *abscindere*, pro *cœpit abscindere*. Ut sit Ellipsis verbi finiti: qua ratione pertinebit ad regulam superiorem de infinitivo, nullo casu antecedente.

REGULA III.

De infinitivo utrimque habente, vel nominativum, vel accusativum.

Quando verbum infinitivum utrimque casum obtinet, casus, quem post se habet, conveniet cum casu proximè antecedente. Itaque, *esse*, *videri*, *fieri*, *haberi*, similisque significationis infinitivi, sæpè post se nominativum habent.

Cato esse, quàm videri, bonus malebat. Sal.

Idem fit, cùm significatur status, aut gestus rei.

Solet Parmeno incedere rectus.

At

Ac accusativus erit, si accusativus antecesserit [1].

Catonem ajunt bonum esse, quàm videri, maluisse.

Parmenonem incedere rectum video.

1 Nominativus est, si antecedat verbum finitum: accusativus, si infinitum. Ita dicimus, *Cupio fieri doctus*, quia *doctus* pertinet ad *cupio*; in quo intelligitur *ego*. Dicimus quoque, *cupio fieri doctum*; sed *doctum* refertur ad *fieri*: quod diversam respicit personam: exempli gratia, *filium*, quicum conveniet *doctum*: quia integrè *filium fieri doctum*.

REGULA IV.

De infinitivo utrimque vel dativum habente, vel accusativum.

Infinitivus *esse*, aut *fieri*, si verbum *datur*, *licet*, *expedit*, aut simile, sive cum dativo suo, sive absque eo, antecesserit; vel dativum post se habebit, vel accusativum [1].

Dativum: ut,

——*Vobis immunibus hujus*
Esse mali dabitur. Ovid.

Licuit otioso esse Themistocli. Cic. 1. Tusc.

Mihi negligenti esse non licet. Idem.

Accusativum: ut,

Expedit vobis esse bonas. Heaut. act. 2. sc. 3.

Civi Romano licet esse Gaditanum. Cicero pro Balbo.

Liceat esse miseros. Cic. pro Lig.

Medios esse non licet. Cic. ad Att. lib. 10.

1 Dativum habet consuetudine Græca: accusativum verò ex natura linguæ Romanæ. Atque is cōvenit cum pronomine intellecto. Nam, *Expedit vobis esse bonas*, integrè fuerit, *vos esse bonas*. *Civi Romano licet esse Gaditanum*, integrè sit, *Romano civi licet, se esse Gaditanum*.

DE IMPERSONALIBUS ACTIVÆ VOCIS.

* *Impersonalia quædam activæ vocis interdum ante se habent nominativum. Pl.* Mei nemo miseret. *Ter.*

Non

Non te hæc pudent? *Cic.* Illud mea magni interest, te ut videam. *Id.* Est aliquid, quod non oporteat, etiamsi deceat. *Id.* Si habes, quod tibi liqueat. *Plin. in epist.* Nescio, quo pacto magis in studiis homines timor, quàm fiducia decet.

Sed hæc ad convenientiam pertinent. De regimine videamus.

REGULA I.

Interest [1], *& refert*, genitivum regunt: ut, *Interest Ciceronis, me intervenire discenti.* Cic. ad Att. lib. 14. ep. 8.

Magni interest ad decus, & laudem civitatis, ita fieri. Cic. lib. 1. de nat. Deor.

Pro genitivis pronominum primitivorum regunt ablativos [2], *mea, tua, sua, nostra, vestra, cuja.*

Tua quod nihil refert, percontari desine. Ter. Hecyr. act. 3. sc. 3.

Regunt & genitivos quantitatis, *tanti, quanti, parvi, magni, permagni, pluris.*

Magni interest, quos quisque audiat quotidie. Cicero in Brut.

† Adsciscunt & nominativos [3], præsertim pronominum, *id, hoc, illud, quod*, & similium: item adverbia, vel adverbialiter

1 Nempe *interest* sequitur naturam simplicis. Nam ut dicimus, *est Ciceronis*: ita quoque, *interest Ciceronis.* Quomodo cùm loquerentur, etiam *refert* eidem junxere casui, quia idem eo, ac verbo *interest*, notaretur. Sallust. in Jugurth. *Faciendum aliquid, quod illorum magis, quàm sua retulisse videretur.* Porrò *interest* quibusvis jungitur genitivis: *refert* vix aliis, quàm iis, qui pretium significant: ut sunt illi, quos mox memorabo. Quare potiùs dixero, *interest Reipublicæ*, vel *interest salutis*; quàm, *refert Reip.* vel, *refert salutis.* 2 Docent conjungi interdum utramque structuram, illam dico genitivi & ablativi; ut, *interest tua oratoris: refert mea militis.* Sed solent scriptores hìc potiùs usurpare relativum *qui.* Ter. And. *Id mea minimè refert, qui sum natu maximus.* Plin. lib. 4. epist. *Vehementer interest vestra, qui patres estis.* 3 Quos inter è nominibus creber est nominativus *nihil.*

sumta, *tantum*, *quantum*, *multum*, *infinitum*, *parum*, *maximè*, *maximoperè*, & id genus alia.

Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare. Cic. lib. 5. ep. 12. ad Lucceïum.

Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublime putrescat. Cic. 1. Tusc. Qu.

REGULA II.

Impersonalia pathetica [1] (ut sunt [2] *pœnitet*, *piget*, *pudet*, *tædet*, *miseret*, & *miserescit*) regunt [3] accusativum personæ cum genitivo personæ, vel rei.

Miseret me tui. Tædet me vitæ.

Fratris me quidem pudet, pigetque. Adel. act. 3. sc. 4.

Suæ quemque fortunæ pœnitet. Cic. l. 6. ep. 1. ad fam.

* *Pro genitivo etiam est infinitivus. Cic.* Me valdè pœnitet vivere, *hoc est*, *vitæ*. *Virgil.* Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.

REGULA III.

Decet, *dedecet*, *juvat*, *delectat*, *oportet*, accusativum regunt, sequente ferè infinitivo.

Oportet mendacem esse memorem.

Omnes homines summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora. Sallust. in Cat.

† *Decet*, antiqui cum dativo construebant: ut,

[1] Sive significantia animi affectum.

[2] Quæ versiculo hoc complexus sum: *Pœnitet*, atque *piget*, *tædet*, *miseret*que, *pudet*que. Sub *miseret* verò etiam *miserescit* comprehenditur.

[3] Sic Grammatici loquuntur pinguiori Minerva. Sed si ad Cleanthis lucernā hæc examinemus, accusativi isti non reguntur à verbis; sed à nomine intellecto κατ' ἔλλειψιν, quod est, *caussa*, vel *ratione*. E. G. *Miseret tui*, videlicet, gratia, sive caussa.

Ita

Ita nobis decet. Adelph. act. 5. sc. 8.

Quomodo & Sallustius [1] in Histor. dixit: *Locum editiorem, quàm victoribus decebat*.

1 Imò ipsius est Ciceronis: *Quandoque id deceat prudentiæ tuæ*. Quæ verba Linacer lib. 4. & Rob. Steph. in Thes. citant ex lib. de Orat. Sed metuo, ne eos fallat memoria. *Dedecet* accusativum adsciscit apud Ovidium Amorum primo: *Nec dominam motæ dedecuere comæ*. Præterea verò ablativo jungitur cum præpositione. Idem Tull. in Off. *Vt siquid dedeceat in illis, vitemus & ipsi*. Ubi Linacer in accusandi casu *illos* legit; sed perperam.

REGULA IV.

Cætera activæ vocis impersonalia ferè dativum regunt sequente infinitivo: ut,

Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Horat. epist. 17.

Non vacat exiguis rebus adesse Jovi. 2. Trist.

† Dicitur, *latuit mihi*, *latuit me*: quod usitatius est.

DE IMPERSONALIBUS PASSIVÆ VOCIS REGULA.

Impersonalia passivæ vocis, vel ponuntur absolutè [1]: ut,

Quid agitur? Statur, luditur, pugnatur.

Vel post se verborum personalium [2] casum regunt.

Dativum: ut,

1 Ac tum resolvere licet in nominativum, & verbum personale: ut *Statur*, id est, homines stant. Ter. *Itur ad me*, id est, hi ad me eunt. Cic. *Non potest jucundè vivi, nisi cum virtute vivatur*. Hoc est, non possunt ulli vivere jucundè, nisi cum virtute vivant. 2 Imò pathetica etiam impersonalium activorum post se casum habent. Nam ut *tædet tui*, ita & *pertæsum est tui*, dicitur. Cic. *Pertæsum est levitatis Græcorum*. Atque, ut rectum est, *miseret tui*, ita & *misereture tui*. Cic. *Cave, ne fratrum, pro fratrum filiis obsecrantium, misereatur*.

Occurritur nobis à doctis. Cic. de Off.

Mihi istic nec seritur, nec metitur. Plaut. Epid. act. 2. sc. 2.

Accusativum sine præpositione 3: ut,

Itur Athenas. Pugnatum est biduum. Dormitur totam noctem.

Cum præpositione: ut,

Itur in antiquam sylvam. Virg. 6. Æneid.

Ablativum sine præpositione 4: ut,

Dormitur tota nocte.

Cum præpositione 5: ut,

Cum ab hostibus constanter, & non timidè pugnaretur. Cæs. de bell. Gall. lib. 3.

† Excipe, quòd impersonalia non regant activæ vocis accusativum. Nec enim dicitur, *amatur*, vel *legitur Ciceronem*; sed *Cicero*.

3 Quæ tamen intelligitur. Nam integrè fit, *Itur ad Athenas. Pugnatum est per biduum. Dormitur per totam noctē*.

4 Interim & hìc intelligitur præpositio. Integrè enim dicimus, *Dormitur in tempore*, vel *de die*, aut *de nocte*.

5 De vero, non apparenti, loquor regimine. Cùm inquio, *Dormit*, & *dormitur totam noctem*; *It*, & *itur Athenas*; solùm est regimen apparens: quia verè accusativus regitur à præpositione intellecta, uti dictum. At cùm ajo, *Legit Ciceronem*, *amat Alexin*; nulla intelligitur præpositio, sed verbum transitivum propriè, & natura sua, regit accusativum. Eòque non similiter dicitur, *legitur Ciceronem*, *amatur Alexin*.

DE GERUNDIIS.

REGULA I.

* *Gerundia ante se habent nomina, verba, propositiones, more nominum. Gerundia in* di, *ut genitivi: gerundia in* dum, *nisi necessitatem significent, ut accusativi: gerundia in* do, *ut ablativi* 1. *Itaque, ut dicimus*, occasio studiorum, aptus ad studia, fessus studiis: *sic quoque dicimus*, occasio studendi, aptus ad studendum, fessus studendo. *Hanc regulam universalem diffundunt vulgò in plures canones, quos subjecimus*.

1 Vel, interdum etiam ut dativi. Nam ut dicimus, *inutilis scriptioni*: sic Plinius ait, *inutilis scribendo*. Ejusdem Plinii est, *Rubens ferrum non est habile tundendo*. Hoc est contusioni; vel, ut tundatur.

Gerun-

Gerundia in *di* ante se habent nomina substantiva.

Gratia, *causa* [2], *tempus*, *otium*, *occasio*, *facultas*, *ars*, & similia: ut,

Grammatica est ars rectè loquendi.

Maxima illecebra peccandi impunitatis spes. Cic. pro Milon.

* Aliquando ante se habent nomen adjectivum.

Cupidus redeundi. Hecyr. act. 1. sc. 2. [3]

Certus eundi. Virg. 4. Æneid.

* *Græcismus est, cùm infinitivus pro gerundio ponitur. Virg. 2. Georg.*

Et jam tempus equùm fumantia solvere colla.

Propert. Non datur ad Musas currere lata via, *h. e. currendi*. *Cæsar*: Consilium cepit omnem à se equitatum dimittere.

Gerundia in *dum* ante se habent præpositionem *ad*, vel *inter* [4].

Locus ad agendum amplissimus. Pro lege Man.

Et potum pastas age, Tityre: & inter agendum

Occursare capro (cornu ferit ille) cavete. Virgil. 9. Eclog.

Cùm significant necessitatem, sine præpositione ponuntur cum verbo *Est*, addito aliquando dativo, aliquando non.

Propè adest, cùm alieno more vivendum est mihi. Terent. in And. act. 1. sc. 1.

Nunc est bibendum, nunc pede libero

Pulsanda tellus. Hor. 1. car. od. 37.

Quæ sic resolvuntur, necesse mihi erit vivere alieno more: nunc convenit bibere, *&c.*

2 Substantivum *caussa* interdum intelligitur per Ellipsin. Ter. *Ne id assentandi magis, quàm, quod habeam gratum, facere existimes.*

3 Quod ipsũ fit & in gerundivis, seu participiis. Ut apud Sallust. *Regium imperium, quod initio conservandæ, atque augendæ Reip. fuerat.*

3 Sic Cæsar lib. 1. de bello Gall. *Cupidus bellandi*. Cic. pro Fontejo: *Peritissimus belligerandi.*

4 Etiam *ante*, *ob*, *propter*, *circa*. Virgil. *Ante domandum*. Cic. *Ob absolvendum*. Fabius: *Plus eloquentia circa movendum valet.*

Gerundia in *do* aliquando præpositionem [5] ante se habent: aliquando sine præpositione verbis adjunguntur [6]: ut,

In judicando criminosa est celeritas. Pub. Syr.

Pro vapulando abs te mercedem petam. Plaut. in Aul. act. 3. sc. 3.

Dicendo dicere discunt. Proverb.

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera. 3. de Ponto, Elegia 7. [7]

5 Nempe has *a, ab, abs, de, e, ex, cum, in, pro*. Cic. *Ignavi à discendo citò deterrentur*. Idem: *Ex defendendo, quàm ex accusando, uberior gloria comparatur*. 6 Sed utcumque prætereatur præpositio, nihilominus intelligitur. Ut, *cantando rumpitur anguis*. Hoc est, *in cantando*, sive *cantu*. Sic *discendo discunt*, pro *in discendo*. 7 Pro gerundiis in *do*, quandoque ponitur infinitivus. Maro in Eclogis: *Cantare pares*, pro *cantando*.

REGULA II.

Gerundia omnia regunt post se casus [1] verborum suorum.

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi? Virgil. 1. Ecl.

Utendum est ætate, cito pede labitur ætas. Ovidius lib. 3. de art. [2]

1 Accusativi, & ablativi exemplū proximè adfertur. Ac par ratio in genitivo; ut, *Obliviscendum istorum*: tem dativo; ut, *Moriendum omnibus*. 2 Sic, *Copiam cum judicio consequemur legendo, atque audiendo*. Quinctil.

OBSERVATIO I.

† Gerundia in *di*, pro casu sui verbi, habent aliquando genitivum pluralem.

Nominandi istorum magis, quàm edundi erit copia. Plaut. Cap. act. sc. 2.

Nova-

Novarum qui spectandi copiam faciunt. Ter. in prolog. Heaut.[1]

1 Nempe ut dicimus, *copia istorum*, &, *copia nominandi*; item, *copia novarum*, &, *copia spectandi*: ita junctim dicimus, *copia nominandi istorum*, *copia spectandi novarum*. Caussa est, quia gerundia sunt substantiva utriusque numeri. Simile est hoc Plinii: *Illorum videndi gratia*. Et Suetonii illud: *Permissa licentia diripiendi pomorum*. Mollior autem est hæc structura cum pluralibus genitivi, *sui*, *nostri*, *vestri*; idque ob similem terminationem. Ut illo Ciceronis: *Non tam sui conservandi caussa*. Item hoc ejusdem: *Vestri confirmandi*, *& consolandi caussa*. Alii aliam caussam adferunt; qui gerundia singuli solùm numeri esse existimant, atque intelligi infinitivum positum pro nomine substantivo. Ut, *nominandi istorum*, puta *nominare*, sive *nomina*: *spectandi novarum*, puta *spectationem*, sive *conspectum*.

OBSERVATIO II.

† Gerundia in *dum*, necessitatem significantia, accusativum patientem rariùs recipiunt.

Non enim usitatum est, *Discendum est lectionem*: sed pro eo, *Discenda est lectio*.

Dixit tamen Virgilius, *Pacem Trojano ab rege petendum*. 11. Æneid.

Et Lucret. *Æternas quoniam pœnas in morte timendum*, lib. 1.[1]

1 Quæ Græcorum imitatione dicuntur. Quomodo Xenophon ait, τοὺς φίλους εὐεργετητέον. Id Latinè sit, *Amicos est demerendum*. Et ita in aliis.

OBSERVATIO III.

Gerundia vertuntur eleganter in adjectiva, & cum substantivis in genere, numero, & casu, conveniunt: ut,

Ad discendas literas.

Nam & cognoscendi, & ignoscendi peccati dabitur locus. Heaut. act. 1. sc. 2.

Magis dandis, quàm accipiendis beneficiis, amicitias parabant. Salluſt. in Catil.

DE SUPINIS,
REGULA I.

1 In hujuſmodi ſtructura exponitur ſupinũ per *ut*, & verbum finitum. Ut, *ſpectatum veniunt*, h. e. *ut ſpectent*. At cum verbo *iri*, interpretamur paſſivè. Ter. *Poſtquam audierat, non datum iri uxorem filio*. h. e. *fore, ut non daretur*. Ac ſimiliter in neutropaſſivis. Plautus: *Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus ſum*. Ubi *coctum* activè, *vapulatum* paſſivè exponitur. Nempe illud, *ut coquam*: hoc, *ut vapulem*. Sunt verò ſupina hæc nihil aliud, quàm nomina accuſativi caſus: qui regitur à præpoſitione intellecta *ad*, vel *propter*: ut, *veniunt ſpectatum*, pro *ad ſpectatum*, ſive *ad conſpectum*.

Supina priora ante ſe habent verbum ſignificans motum ad locum [1].

Spectatum veniunt; veniunt, ſpectentur ut ipſæ. Ovid. 1. de Art.

Poſt ſe verborum ſuorum caſus regunt: ut,

Aut Graiis ſervitum matribus ibo. 2. Æn.

* *Interdum pro ſupino ponitur infinitivus. Terent.* Vultiſne eamus viſere? *Hoc eſt, viſum. Livius*: Se miſſos rogare Annibalem. *Hoc eſt, rogatum*.

REGULA II.

1 Utcùnque ſupinum ſoleat præponi in ſermone; tamen natura ſequitur. Nam revera ſupina in *u* nomina ſunt ablativi caſus, & reguntur ab adjectivo, vel verbo addito.
2 Vel tria hæc ſubſtantiva, ut *fas, nefas, opus*. Ut, *fas dictu, nefas viſu, opus ſcitu*.

Supina poſteriora [1], quæ potiùs nomina ſunt, ante ſe habent nomen adjectivum [2], vel verbum ſignificans motum de loco: ut,

Turpe dictu. Ovid.

Obſonatu redeo. Plaut. in Men. act. 2. ſc. 2.

Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat. Cat. de re ruſtic.

* *Etiam pro ſupino poſteriori utimur interdum infinitivo. Mela*: Aſpici, cognoſcique digniſſimus. *Pro*, adſpectu, cognituque. *Fabius*: Lyricorum Horatius ferè ſolus legi dignus, *pro*, lectu.

De

De regimine PARTICIPIORUM, REGULA.

Participia adſciſcunt [1] caſus ſuorum verborum.

Nominativum: ut,

Petrus dormiens ſupinus. Septem vocati ſapientes.

Genitivum [2]: ut,

Accuſans, vel *accuſatus furti.*

Dativum: ut,

Dans, vel *datus pignori.*

Accuſativum: ut,

Petens Romam [3]. *Conjiciens*, vel *conjectus in carcerem.*

Ablativum: ut,

Affluens [4] *divitiis, culpatus à multis.*

Malo virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem. Valer. lib. 7. cap. 2. de Themiſt.

1 Cum nominativo à tergo conveniunt: cæteros caſus regunt, ſi non vero regimine, ſaltem apparenti; quale Grammaticis vulgò pro vero regimine habetur. 2 Ex iis, quæ in Verbis diximus, liquet intelligi ablativũ. Ut *accuſatus furti*, integrè ſit, *crimine*, vel *de crimine furti*. 3 Præpoſitionem *ad* intelligi, annotavimus in Verbo. 4 Et hic intelligi præpoſitionem, monitum in Verbo.

OBSERVATIO I.

Exoſus, & *peroſus*, etſi formam habeant paſſivorum; tamen, quia activè ſignificant [1], activorum more accuſativum adſciſcunt.

Patrios mores exoſus es. Curt. lib. 8.

Plebs conſulum nomen haut ſecus, quàm regum, peroſa erat. Liv. lib. 3.

Pertæſus quoque nunc genitivum, nunc accuſativum regit.

1 Imò & paſſivè Gellius ait, *diu exoſus*.

Si non pertæsum thalami, tædæque fuisset. Virg.[2]

Pertæsus ignaviam suam. Suet. in Cæs. c. 7.

Pertæsus morum perversitatem. Idem [3].

2 Hic *pertæsum*, impersonaliter sumitur. At personaliter, cum eodem casu ait Plautus: *Pertæsus sermonis*. 3 Sunt & alia participia, sed pauca, quæ etiam accusativum adsciscant verbi activi. Ut Livii illo, *Militiam edoctæ legiones*. Item apud Plinium, *Rogatus sententiam in consulatu*. Vide regulam primam de accusativo verborum.

OBSERVATIO II.

Participia, cùm in nomina degenerant [1], pro casu verbi genitivum regunt.

Herus liberalis est, & fugitans litium. Phorm.

Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ. Sallust.

1 Quod cùm fit, mutatur significatio; quia tempus amittunt. E. G. Dicitur, *fugitans lites*, qui jam fugit: *fugitans litium*, qui fugere solet. *Patiens inediam*, qui jam patitur: *patiens inediæ*, qui pati adsuevit. Porrò si participia tum fiant nomina verbalia: satis liquet, comprehendi sub regula secunda nominum regentium genitivum, quæ est de verbalibus. Nempe Grammatici quandoque regulas temerè multiplicant. Nihilominus hic eam reliqui, propter illos, qui minùs viderent sub canone de verbalibus contineri.

REGULA II.

Quibuslibet verbis adduntur ablativi absoluti [1]; quorum alter nominis est, vel pronominis, alter participii: ut,

Auro loquente, nihil pollet quævis oratio. Proverb.

Sæpè participium per Ellipsin intelligitur: ut,

1 Qui exponuntur per nominativū, & particulas, *cum*, *dum*, *postquam*, aut similem. Sed unde hic regitur ablativus? Puto, à præpositione intellecta. Ut illud, *ab auro loquente*: hoc est, post aurum locutum: quomodo dicimus *à prandio*, pro *post prandium*. Sic *lecta epistola*, pro *à lecta*.

Me

Me impulsore [2], *hæc non facit*. Eun. act. 5. sc. 6.

Nil desperandum, Teucro duce. Hor. 1. od. 7.

† Aliquando etiam solum participium genere neutro absolutè ponitur, subintellecto pronomine *eo*.

Excepto [3], *quòd non simul esset, cætera lætus*. Horat. 1. epist. 10.

2 Ut Græcè ὄντος, ita hìc, sive *existente*, sive aliquid simile, intelligitur. Sic in illo Plauti Trinummo: *Rebus tuis bonis meas res irrides malas*, supplere possis ὄντων, quia sententia est, cum sint res tuæ bonæ. Vel dicamus, non participium, sed præpositionem intelligi; sicuti proximè annotavi. Ita, *me impulsore*, valebit, *ab me impulsore*. *Teucro duce*, ponatur pro, *sub Teucro duce*. Sic *rege Romulo*, pro *sub rege Romulo*. *Senecta ætate*, apud Plautum, & Lucretium, pro *in senecta ætate*, ut dicimus, *in senectute*. 3 Sic Sallust. *Audito, regem in Ciliciam tendere*. Nisi malis, orationem illam, *in Ciliciam tendere*, poni loco nominis substantivi. Quasi esset, *illo audito negotio*, sive, *re hac audita*. Integrè autem fit, *ab illo audito*: ubi *ab* valet *post*, ut jam diximus. Ac par ratio fuerit in cæteris.

DE ADVERBIIS,

Ac primùm de eorum convenientia.

REGULA I.

Adverbia plurimùm verbis [1] adjunguntur, & verborum participiis: ut,

Festina lentè.

Malè parta malè dilabuntur. Cic. 2. Phil.

* *Eadem ratio est nominum adjectivorum, quando adverbialiter sumuntur* 2. *Ut*, Torvum videt; Indomitum furit, *pro torvè, & indomitè*. *Item in plurali*; Crebra ferit, *pro crebrò*. 3. *Georg*. Insueta rudentem, *hoc est, more insueto*. 8. Æn.

Aliquando adverbia adduntur nominibus. Sæpè adjectivis: ut,

1 Si adverbia plurimùm verbis junguntur; ut nomen prius est verbo: sic priùs etiam fuerit de præpositione, quàm adverbio, agendum. Nam nomē à præpositione regitur. Nec tamen hæc tanti fuere visa, ut propterea recederem ab ordine recepto. Ut nec in Analogia fecimus. 2 Antimeriam vocant, vel Enallagen partis.

Insi-

Insigniter impudens. Cic. 3. Phil.

Rariùs substantivis: ut,

Ne parum leno sis. Ter. Phor. act. 3. sc. 2.

Mollis, & parum viri signa. Quinct. lib. 5. cap. 9.

Homerus planè orator. Cic. in Brut.

Sic dicimus, *Mulier admodum anus*.

Virgo admodum puella.

Aliquando etiam adverbia adjunguntur adverbiis: ut,

Minùs multò [3] *audacter, quàm nunc lædit, læderet*. Prol. Phorm.

Sat citò, si sat benè. Cato.

3 Sic Cic. *minus paulò, & paulò nimium*.

OBSERVATIONES.

De particula quàm, *& adverbiis intendendi*.

* Quàm *interdùm ponitur inter duos comparativos*. *Livius*: Pestilentia minacior, quàm perniciosior. *Fabius*: Salubrior studiis, quàm dulcior.

Interdum quàm *intelligitur*: *ut cùm* plùs, *vel* ampliùs *dicitur*, *pro* plusquàm, ampliùs quàm: *idque vel nominativo sequente*: *ut illo Sallustii*, Hominum eo die cæsa plùs duo millia: *vel accusativo*; *ut hoc Terentii*, Plùs quingentos colaphos infregit mihi: *vel ablativo*; *ut hoc Cœlii ad Cic.* Ampliùs quadraginta diebus mansit: *vel sine casu*; *ut apud Ter.* Plùs millies audivi. *Item*, Jam calesces plùs satis.

Dicitur &, quàm magis, tantò magis. *Plaut. Men.* Quàm magis intendas (*vincula*,) tantò astringas arctiùs, *pro*, quantò magis.

Per, perquàm, imprimis, *usitatè junguntur positivo interdum & superlativo*. *Colum.* Perpaucissimi agricolæ. *Plin.* Herba imprimis utilissima. *Curt.* Perquàm maximo exercitu. Perquàm *& verbis sociatur*. *Plin. ad Suram*; Perquàm velim scire. *Etiam* sanequàm,

quam, admodumquam, valdequam, oppidoquam, & oppidoperquam, *nunc verbo conjunguntur, nunc positivo: rarò superlativo. Verbo, ut apud Cic.* Sanequam refrixit. *Positivo, ut cùm ait Sulpicius ad Cic.* Sanequam graviter tuli. *Dec. Brutus ad eundem:* Valdequam paucos. *Livius:* Oppidoquam parva. *Cæsar:* Oppidoperquam pauci.

De regimine adverbiorum,

† Adverbia aut certos nominum casus regunt, aut cum certo verbi modo construuntur.

De casibus adverbiorum,

REGULA I.

Adverbia derivata primitivorum suorum casus regunt.

Secundùm hanc regulam.

I. Adverbia superlativi gradus genitivum recipiunt [1]: ut,

Optimè omnium vixit.

II. Adverbia derivata ab adjectivis commodi, & affinitatis, dativum amant: ut,

Facit tibi utiliter. Venit obviam mihi.

Similiter huic vestitus est.

Vivere naturæ si convenienter oportet. Hor. lib. I. epist. 10.

III. Ut *propior*, & *proximus*; ita *propiùs*, & *proxime*, dativum & accusativum adsciscunt [2].

1 Interim genitivus ille aliunde regitur. Nam cùm dico, *optimè omniū*, ἐλλειπτικὸν est, *ut optimus omnium.* Utrobique sic supplendum, *è numero omniū.*

2 Cùm accusativum regunt, videri possint præpositiones. Quod si placet, dicendum, præpositioni etiam accidere comparationem. Sed enim in Etymologia, sive potiùs Analogia, cap. de Præpositione, ostensum nobis, *propè* non esse Præpositionem, sed Adverbium.

Pro-

Propius urbi, vel *urbem* [3].

Proximè castris, vel *castra*.

Ac, ut *clam*, ita etiam *clanculum*, accusativum regit.

Clanculum patres. Adel. act. 1. sc. 1.

IV. Adverbia comparativi gradus requirunt ablativum.

Nihil lachryma citiùs arescit. Proverb.

Quisquis plus justo non sapit, ille sapit. Mart.

Sed comparativi, *plùs*, *ampliùs*, *minùs* [4], nonnunquam, sine casu proprio positi, habent post se nominativum, vel accusativum, aliunde rectum, intellecto *quàm*.

Plùs duo millia hostium eo die cæsa traduntur: Romanorum minùs quadringenti. Liv.

Homini misero plùs quingentos colaphos infregit mihi. Ter.

Vulnerantur ampliùs sexcenti. Cæs.

Cùm non ampliùs octingentos equos haberent. Id.

3 Virgil. *propiùs stabulis*. Sallust. in Jug. *Proximè Hispaniam*. Vitruvius: *Proximè hoc latus*. Censorinus: *Proximè hanc magnitudinem*.

4 De quibus ambigi possit, an non potiùs nomina sint, quàm adverbia.

REGULA II.

En, & *Ecce*, nominativum regunt, vel accusativum [1]: ut,

En dextra, fidesque. 4. Æneid.

En quatuor aras. 5. Ecl.

Ecce tibi, frequens est Ciceroni in rebus repentinis: ut,

1 Utrumque casum adsciscunt, cùm monstrandi habent significationem. Sed in exprobrando potiùs utimur accusativo. Ut, *En habitum*. *En animum, & mentem*. Ponuntur & absolutè. Ter. *En unquam cuiquam contumeliosius audisti factam injuriam?* Ovid. *Ecce Cerinna venit*. Imò semper fortasse ponuntur absolutè. Valdè enim verisimile puto, nominativum cohærere cum intellecto verbo substantivo: accusativum regi à verbo transitivo. Nempe ut, *En dextra*, valeat, *En est dextra*: *En dextram*, integrè sit, *Vides dextram*.

Episto-

Epistolam cùm à te avidè exspectarem, ecce tibi nuncius, lib. 2. epist. 8. ad Att.

Hem, cùm demonstrandi vim habet, accusativum adsciscit.

Hem tibi Davum. Ter.

REGULA III.

Adverbia copiæ, & inopiæ, genitivum regunt: ut,

Parum vini. Satis verborum. Phor. act. 2. sc. 3.

Terrorum, & fraudis, abundè est. 5. Æneid.

Et adverbium *partim* [1]: ut,

Partim sum earum exactus. Ter. in Prol. Hecy.

Etiam ergò, *pro* caussa [2], *jungitur genitivo*. *Vt*, illius ergò, virtutis ergò.

1 Sed hoc κατ' ἔλλειψιν. Nam ut *restem*, & *restim*; *puppem*, & *puppim*, sic antiqui *partem*, & *partim*, dixere. *Partim* autem integrè fit, *quod ad partem*. Atque ab hoc accusativo regitur sequens genitivus. 2 Natura verò sua *ergò* non adverbium est; sed ablativus, sive malis dativus, à nomine ἔργον. Quare *virtutis ergò*, sive ἔργῳ, valet *virtutis opere*, sive *propter opus virtutis*. *Illius ergò venimus*, idem est, ac illud, *opere ejus factum est, ut veniremus*.

REGULA IV.

Adverbia quædam loci, & temporis, certos genitivos regunt: ut,

Nusquam gentium [1]. Adel. act. 1. sc. 2.
Ubi terrarum. Cicero pro Rab.
Interea loci. Eunuch. act. 1. sc. 2.
Tunc temporis. Just. lib. 1.

Sic, *Huc dementiæ* [2] *pervenit*. *Eò dementiæ processit*. *Quoad ejus fieri potest*.

1 Est in hisce exemplis pleonasmus genitivi: uti & in istis, *unde gentium*, *quovis gentium*, *ubi loci*, *ubique locorum*, *ubicunque terrarum*, &c. Itidem adverbium negandi *minimè* jungitur genitivo *gentium*, simili pleonasmo. 2 *Huc dementiæ*, integrè fit, *ad hoc dementiæ*. Nam *huc* pro *hoc* dixere: *adhuc* pro *ad hoc tempus*. Sed *eò dementiæ*, valet *in eo dementiæ*. Quare & hæc fuerit non vera adverbii rectio; sed solùm apparens.

Pridie.

Pridie, & *postridie*, natura sua genitivum requirunt: ut,

Pridie vel *Postridie* { *ejus diei.* / *Kalendarum*, *Nonarum*, &c.3.

Præterea adsciscunt accusativum, intellecta præpositione *ante*, vel *post*: ut,

Pridie vel *Postridie* { *Kalendas*, / *ludos Apollinares*, &c. 4.

† Adhæc admittunt verbum cum particula *quàm*.

Pridie quàm excessit è vita. Cic. in Læl.

Postridie intellexi, quàm à vobis discessi. Id.

Pro, *postridie quàm*, etiam dicimus, *postero*, vel *altero die quàm*. Ac similiter dicitur, *undecimo post die quàm*: vel, subintellecta præpositione, *undecimo die*, *quam profectus erat*.

Octavo mense, *quàm cœptum est oppugnari Saguntum*, *captum est*. Liv. lib. 21.

Usque 5, & tempori, & loco inservit;

3 Ita Ciceronis est, *postridie absolutionis*. 4 Sic Cic. *Pridie compitalia*. Nec tantùm in *pridie*, & *postridie*, intelligitur *ante*; sed etiam, cùm dico, *Tertio Nonas Januarias*; *Septimo Kalendas Septembres*. Quod integrè sit, *in die tertio ante Nonas*: *in die septimo ante Kalendas*. Imò & *ante* nonnunquam exprimitur: idque his notis, A. D. quod valet *ante diem*. Ut apud Livium lib. 45. *A. d. V. Id. Oct.* Hoc est, *ante diem V. Id. Octob.* Perperam legunt in ejusmodi locis, *ad diem*. Porrò *in ante diem Cal.* valet, *ipsis Cal.* Ut apud Cic. in Catil. *In ante diem V. Cal. Novemb.* hoc est, ipso die. Nam cùm dico, *ante diem*, intelligo *exactum*. Videtur autem præpositio *ante* etiam intelligi, cùm dicimus, *Multos abhinc annos*. 5 *Usque* nunc sine præpositione ponitur; ut, *usque illo*, *usque Romam*, vel *Romam usque*, *usque somni tempus*, *usque sudorem*; nunc cum præpositione: vel *ab*, ut, *Siculo prospexit ab usque Pachyno*: vel *ad*, ut, *Ab ovo usque ad mala*: vel *ante*, ut, *Usque ante Cal.* vel *extra*, ut, *Usque extra solitudinem*: vel *ex*, ut, *ex Æthiopia est usque hæc*: vel *in*, ut, *Usque in flumen*: vel *trans*, ut, *Trans Alpes usque*: vel *sub*, ut, *Usque sub obscurum noctis*. Interdum & *usque* per Ellipsin intelligitur. Sallust. *Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt*. Ita enim libb. vett. teste Rivio. Ac plura de eo Gifanius in Observat. L. L.

dici-

diciturque, *usque à Kalendis*, vel *usque ad Kalendas*. *Trans Alpes usque*. *Inde usque*, vel *usque istinc*.

Vetus opinio est, ab heroicis usque docta temporibus. Cic. 2. de Div.

Inde usque repetens video. Cic. pro Arch.

* Versus 6 *regit accusativum, cui postponitur. Cic.* Cùm Brundusium versus ires ad Cæsarem. *Plaut.* Ego portum versus pergam. *Additur & ei præpositio, vel adverbium. Unde apud Cic.* Ad Alpes versus, In forum versus, Sursum versus, *&c.*

Palam, & Procul, *ablativum adsciscunt. Liv. lib. 6.* Inde rem creditori palàm populo persolvit 7. *Idem,* Procul mari. *Poeta vet. apud Cic.* Patria procul. *Cic.* Procul vero, Procul dubio, *apud Plaut. Suet. Cicero sæpè addit præpositionem: ut*, Procul à nobis 8. *Interdum quoque accusativo junctum invenitur. Liv.* Procul muros: *Curt.* Procul urbem.

† *Instar* etiam, (sed hoc veriùs nomen videtur, quàm adverbium) regit genitivum 9: ut,

Instar pecudis. *Instar montis*. 2. Æneid.

Virtus sola beatæ vitæ instar est. Gell. l. 18. c. 1.

6 Alii inter præpositiones referunt.

7 Quod cùm sit, potiùs præpositio videtur.

8 Unde colligo, quando non additur, intelligi per ellipsin. Et quia natura sua non requirat casum; potiùs adverbium esse, quàm præpositionem.

9 Nam *instar* valet *similitudo*, *exemplar*. Ut nomen sit substantivum. Unde Livius lib. 28. *Parvum instar*: & Ovid. ep. 2. *Sed scelus hoc meriti pondus, & instar habet*. Genitivo etiam jungit Cic. 1. Tusc. *Terra ad universi complexum quasi puncti instar obtinet*. Vide, quæ diximus de diptotis.

De adverbiorum constructione cum certo verbi modo.*

REGULA I.

† *Ubi, postquam, cùm, simul, simulac, simul-*

* Pertinent hæc non ad regimen, sed convenientiam. Nec enim quòd adverbium nunc hunc, nunc alterum adsciscat modum, inde est quòd ab adverbio diversimodè regatur; cùm, ut vox *adverbii* indicio est, huic potiùs adjiciatur. Sed præpositio verè regit nominum casus; quia eos natura præcedit.

f atque,

atque, indicativis, & subjunctivis verbis, adjunguntur: ut,

Ubi voles, arcesse. Terent.

Ubi quis semel pejeraverit, ei credi postea non oportet. Cic. pro Rab.

† *Ut*, pro *postquam* [1], indicativum adsciscit.

Ut sumus in Ponto; ter frigore constitit Ister. Ovid. 5. Trist. Eleg. 11.

† *Antequam*, & *priusquam*, indicativo, & subjunctivo, junguntur.

Antequam pro Murena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam. Cic.

Priusquam incipias, consulto opus est. Sall.

1 Sic *donec*, pro *quamdiu*. Ovid. *Donec eris felix*. Item *dum* de præsenti. Ter. *Dum apparatur virgo*. At *dum* potentiale exigit subjunctivũ. Ut, *Dum prosim tibi*. Ter. And. Et pro *usque dum*: ut, *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas*. 1. Æn. *Jamdudum*, & *jampridem*, indicativum magis amant, cùm actio adhuc durare intelligitur. Ter. *Jamdudum animus est in patinis*. Similiter, *jam olim*. Quinct. Declamat. 3. sive pro milite contra tribun. *Olim jam, imperator, inter fulgentes virtutes tuas livor locum quærit*.

REGULA II.

† *Quemadmodum*, *ut*, *utcùmque*, utrumque modum admittunt: ut,

Ut salutabis, ita resalutaberis. Prov.

Ut sementem feceris, ita & metes. Cic. 2. de Orat.

† *Quasi*, *ceu verò* [1], *tanquam* [2], *perinde ac si* [3], subjunctivis gaudent: ut,

1 *Ceu verò*, pro *quasi verò*, crebrũ est Plinio; ac subjunctivo jungitur. At *ceu*, pro *sicut*, etiam indicativum adsciscit. Ut, 2 Æn *Ceu quondam turbine venti Confligunt*. 2 *Tanquam*, pro *quasi*, amat subjunctivum. Plin. *Tanquam nesciamus*. Sic *tanquam si*. Cic. *Suadeo videas tanquam si tua res agatur*. Ac *tanquam*, pro *sicut*, habet indicativum. Ter. Eun. *Tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis vocabula*. 3 *Perinde ac si* junctim intellige. Ut hoc Cæsaris 3. de bell. Gall. *Perinde ac si virtute vicissent*. Aliàs *perinde* sæpè habet indicativum. Cic. ad Att. lib. 16. ep. 4. *Non perinde atque ego putaram*. Et 3. de Orat. *Hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur*.

Quasi

Quasi non norimus nos inter nos. Adelph. act. 2. sc. 4.

Ceu vero nesciam, adversus Theophrastum scripsisse etiam feminam. Plin. præf. oper.

REGULA III.

† *Ne* [1] prohibentis, & imperativis, & subjunctivis verbis adjicitur: ut,

Ne crucia te. Eun. act. 1. sc. 2.

Ne post conferas culpam in me. Eun. Act. 2. sc. 2.

1 Triplex *ne* distinguendum. Canon hic tertius agit de *ne* prohibentis. Sequens loquitur, tum de *ne* interrogantis, tum de *ne* dubitantis. Est & quarta significatio, cùm sumitur pro *ut non.* Atque hoc subjunctivum semper adsciscit. Horat. *Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox incutiant aliena tibi peccata pudorem.* Integrè fuerit: *ut ne incutiant,* h. e. *ut non incutiant.* Sic integrè dixit Terent. *Ea caussa, ut id ne fiat palam.* Vide, quæ inferiùs in Conjunctione annotamus ad regulam quartam.

REGULA IV.

† *Ne*, *An*, *Num* interrogantis, indicativum amant [1].

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura? Virg. 3. Æneid.

At cùm sunt dubitantis, subjunctivum postulant.

Nihil refert, fecerisne, an persuaseris.

Honestumne factu sit, an turpe, dubitant. Cic. 1. de Off.

1 Nec tamen id perpetuũ est. Nam rectè dixeris: *Tune istud faceres, si hoc loco esses?* Nec probum duntaxat: *Tu ne illum vicisti?* sed etiam: *Tu ne illum viceris?* Sed hoc est ἐλλειπτικόν. Nam integrè foret: *Hoc ne credibile, vel verisimile sit, ut tu illum viceris?*

De regimine PRÆPOSITIONUM,

REGULA I.

Præpositiones viginti novem accusativum regunt: ut,

Ad, *apud*, *ante*, *adversus* [1], *cis*, *citra*, *circum*, *circa*, *circiter*, *contra*, *erga*, *extra*, *inter*, *intra*, *infra*, *juxta*, *ob*, *per*, *prope*, *præter*, *propter*, *post*, *pone* [2], *penes*, *secundùm*, *secus* [3], *supra*, *trans*, *ultra* [4].

Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currunt. Horat. 1. ep. 11.

Anastrophe est, cùm præpositio, præter consuetudinem [5], casui suo postponitur.

Carthago Italiam contra. 1. Æneid.

1 Sic & *adversum*, & *exadversum*. Nepos in Themistocle: *Exadversum Athenas apud Salaminam classem suam constituerent.* 2 Cic. *Ponè ædem Castorum.* Item, *Pone quas*, id est, *post*. 3 Apud Plin. *Secus fluvios*: &, *secus decursus aquarum*. Hoc est, secundum, juxta. Imò *secundum* ex *secus* factum videtur: vel saltem ejusdem originis est. 4 His *versus*, & *usque*, ab aliis adjici, suprà diximus. 5 Hoc additur ob *tenus*, & fortasse etiam ob *versus*, quæ usitatè postponuntur; ut, cùm id fit, figuratus sermo minimè videatur, utcunque, si sic loqui licet, postpositiones veriùs sint, quàm præpositiones.

REGULA II.

Præpositiones quatuordecim regunt ablativum: ut,

A [1], *ab* [2], *abs*, *absque*, *cùm*, *clam*, *coram*, *de*, *e*, *ex*, *pro*, *præ* [3], *sine*, *tenus* [4].

Capulo tenus abdidit ensem. 10. Æneid.

Ex his *tenus* etiam regit genitivum pluralem.

Et crurum tenus à mento palearia pendent. Virg. 3. Georg.

† *Clam* invenitur quoque cum accusativo.

Clam patrem. Hecyr. act. 3. sc. 3.

1 *A*, & *è*, præponuntur solùm consonantibus: *ab* & *ex*, vocalibus, & consonis: *ab* inprimis quidem consonis *j*, *l*, *r*: ut, *Ab Jove*, *ab lege*, *ab rege*. *Abs* ponitur ante *t*, & *q*: ut *abs te*, *abs quovis*. In compositione etiam ante *c*: ut *abscondo*, *abscedo*. 2 In istis, *à manibus*, *à libellis*, & similibus, *servus*, vel simile intelligitur. 3 Interdum ablativus ejus intelligitur per ellipsin. Plaut. Pers. *Omnes relictas habeo, præ quod tu velis*, integrè fit, *præ eo*: nisi placet, sequentem orationem poni pro ablativo. 4 Addunt alii *palam*, & *procul*, de quibus in adverbiis dictum.

RE-

REGULA III.

Quatuor præpositiones, *in*, *sub*, *super*, & *subter*, [1] regunt utrumque casum [2].

Accusativum, cùm motum ad rem significant: ut,

Incidit in foveam, quam fecit. Proverb. [3]

Ablativum, cùm in re versari: ut,

Est in cœlo. Proverb. 2. ep. 19. Att. [4]

Legitur tamen apud Terent.

Esse in magnum honorem. Eun. act. 2. sc. 2.

Et apud Ciceronem 1. Verr.

Esse in amicitiam populi Romani.

In, pro *erga*, vel *contra* [5], accusativum semper regit: ut,

Amor in patriam. Cic. pro Flac.

Quàm iniqui sunt patres, in omnes adolescentes, judices. Heaut. act. 1. sc. 2.

† At cùm pro *inter* ponitur, utrique casui jungitur, sed ablativo usitatiùs.

Homines morte deletos reponere in Deos. Cic. de Nat. Deor.

In amicis habere. Sallust.

1 Duo hæc verba, & *subter*, omittere satius sit, partim, quòd de eo particulatim mox agatur: partim, qui a versu sequēti quatuor ista accusativum regere dicuntur, quoties significatur motus ad locum. At, quanquam certum sit *subter* regere utrumque casum, non tamen videatur propriè signare motum ad locum.

2 Etiam *clam*, de quo proximè dictum, utrumque casum regit: atque item *procul*, si præpositionibus id annumerare magis placet. 3 Sic *sub*, cùm motum significat ad id, cui præponitur. Ut in isto Maronis: *Sub terras ibit imago*. Item hoc ejusdem: *Postesque sub ipsos Nituntur gradibus*. Nam sententia est, Gradibus ad postes, sub quibus erant, nituntur. Itidem *subter*; ut illo Livii: *Equo citato subter murum advehitur*. Aliàs quoque hunc casum admittunt; ut hoc Propertii: *Et gravis ipse super libera colla sedet*. De quo mox pluribus dicetur. 4 Sic, *sub pedibus*, *sub arbore*, *sub judice*. 5 Vel pro *ad*: ut Ter. *Emtos in Cœnam*. Vel *apud*: Curt. *Non probantur in vulgus*. Item, *Ignotus in vulgus*. Vel *vice*: ut Curt. *In præsidem esse jussit*. Sed de his, & similibus, Linacrum adi, qui de omni hac re pleniùs.

Sub, cùm tempus significatur, accusativum ferè [6] regit: ut,

Sub noctem. *Sub lucem*.

Sub horam pugnæ. Suet. in Aug. cap. 16.

Super, pro *præter*, accusativum regit: ut,

Super cætera flagitia. Suet. in Claud. [7]

Item pro *ultra*: ut,

Super ripas Tiberis effusus amnis. Liv. l. 1.

Adhæc cùm tempus significat: ut,

Super cœnam, id est, inter cœnandum. Plin. lib. 4. epist. 22.

Super, pro *de*, ablativum [8].

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. 1. Æneid.

Subter, sive motus, sive quietis verbis adjungatur, utrumque casum regit.

Accusativum: ut,

Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Cic. 1. Tusc.

Ablativum: ut,

Ferre libet subter densa testudine casus. 9. Æneid.

Qui casus apud poetas [9] est usitatior.

6 Ferè additur; quia, ut Livius ait, *Sub idem tempus*: ita Plinius inquit: *Sub ipso die*. At pro *subter* regit ablativum. Virgil. *Sub pedibus Styx extrà videt*. Horatius: *Et adhuc sub judice lis est*; cùm videtur valere *intra*. Seneca ad Lucill. *Consilium nasci sub die debet. Hoc quoque tardum est nimis. Sub manu quoque, quod ajunt, consilium nascatur*.

7 Sic Liv. lib. 28. *Super morbum etiam fame adflixit*. 8 Item cùm est caussale. Virgil. *His accensa super*. Id est, *ob hæc*. Simileque illud: *Nec super ipse sua molitur laude laborem*. Item, cùm contrarium significat ac *subter*. Virgil. *Fronde super viridi*. Quâ tamen in significatione, sed rariùs, accusativo junctum invenitur. Virgil. *Sæva sedens super arma*. 9 Oratores verò hac etiam significatione malunt accusativum. Cic. in Somn. Scip. *Deindè subter mediam ferè regionem sol obtinet*. Gellius lib. 10. cap. 15. *Subter arborem*. Imò soli poetæ ablativo gaudent: ut Catullus, *Subter littore*. Nec tamen accusativum aspernantur; cùm apud eos legamus, *Subter pineta Galesi*. Item, *Et subter raptos arma sedere duces*.

REGULA.

Præpositio cum suo casu omni verborum generi succedit.

Sum in agris. Jaceo ante pedes.

OBSERVATIO.

† Præpositio [1], cum qua verbum est compositum, sæpè iteratur: ut,

Qui ad nos intempestivè adeunt. Cic. lib. 11. epist. 16. ad fam.

Nihil non consideratum exhibat ex ore. Cicer. de Orat.

1 Nempe *à, ab, ad, cum, de, è, ex.*

* *Præpositio sæpè per ellipsin reticetur. Cic.* Duo filii id ætatis. *Videtur intelligi*, secundùm, *aut simile. Ter.* Nunc id exeo, ut conveniam Parmenonem. *Intellige*, ob, *vel* propter. *Idem*, Quid te futurum censes, *pro* de te. *Sic*, à, *vel* ex, *intelligitur in istis*, hospes Epheso [2], vinum Chio [3] *& similibus. Nam integrè sit*, hospes ab Epheso, *hoc est* Ephesius, vel Epheso veniens: vinum è Chio, *sive* vinum Chium. *Præpositione addita ait Maro*, Pastor ab Amphryso; *h. e.* Amphrysius. *Et Gellius lib. 7. cap. 16.* Pavus è Samo, *id est*, Samius.

2 Plaut.
3 Varro.

Contra etiam, cùm de locis sacris sermo est, sæpè præpositio ponitur sine suo casu: qui est ædem, templum, *vel simile. Plaut.* In Veneris, *nempe fanum. Ter.* Ad Dianæ. *Cic.* Ante Castoris. *Sallust.* Circum Concordiæ. *De quo superiùs [4] etiam diximus.*

4 Ad reg. de genitivo nominum substantivorum.

De constructione CONJUNCTIONUM [1].

REGULA I.

Conjunctio similes casus [2] in declinabilibus, similes modos [3] in verbis copulat. Ut,

Pulvis, & umbra sumus. Horat.

Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit. Idem de art.

† Polysyndeton est conjunctionum in oratione abundantia. Ut,

Arboribusque, satisque, Notus, pecorique sinister. Virgil. 1. Georg.

† Asyndeton est conjunctionum [4] defectus. Ut,

Corpora debilitant, balnea, Bacchus, amor.

1 Conjunctio nec regit, nec regitur: neque, quæ de ea hìc traduntur, solùm ad convenientiam pertinent.

2 Si tamen vox præcedens erga sequentes dissimiliter sit affecta, possunt casus esse dissimiles. Ut, *Fui Romæ, & Venetiis.* Ter. *Salvus sum, meo præsidio, atque hospitis.* 3 Futura tamen diversorum modorum sæpè conjunguntur. Ter. *Siquidem porro Micio tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullum præ manu dederis, unde utatur: reddet tibi citò.* Vides *facies*, & *dederis*. Cic. *Quod si erit factum, & Remp. divino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequere.* Imò est, cùm sententia modum planè diversum postulet. Ter. *Audacissimè oneris quidvis impone, & feret.* 4 Vel conjunctionis: ut *Plus minus*, pro *plus minusve*.

REGULA II.

† *Quamquam* [1], *tametsi*, *etsi*, indicativis frequentiùs; *quamvis* & *licet*, subjunctivis; *etiamsi* utrisque adjungitur. Ut,

Quamquam sumus pauperculi, est domi quod edimus [2]. Plaut. in Pæn. act. 3. sc. 1.

Quod turpe est, quamvis occultetur, tamen honestum nullo modo fieri potest. Cicer.

1 Vide de hisce Vallam lib. 2. cap. 21.

2 Antiquè pro *edamus*, ab *edim*, unde & Horatius lib. Epod. *Edit cicutis allium nocentius.* Similia sunt, *duim*, *axim*, &c.

† *Ut*,

† *Ut*, pro *quamvis*, subjunctivum postulat. *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas*. Ovid. 3. de Pont. eleg. 4.

REGULA III.

† *Quoniam* [1], *quando* [2], *quandoquidem*, indicativum [3] exigunt.

Ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. And. act. 1. sc. 5.

Quando ego non curo tuum, ne tu cura meum. Terent. in Adelph. act. 1. sc. 3. [4]

† Sic & *quippe* indicativum habet. Ut, *Non est huic habenda fides; quippe bis pejeravit* [5].

† *Quippe qui*, utrumque modum adsciscit. *Quippe qui bis pejeravit*, vel *pejeraverit* [6].

1 *Quoniam*, & *quia*, aliis non tam cōjunctiones, quàm adverbia, videntur. Qua de re in Analogia dictum cap. de Præpositione pag. 157. 2 Nempe *quando* caussale. Nam cùm tempus notat, etiam subjunctivum adsciscit. Sed tum adverbium est. Cic. *Utinam tunc essem natus, quando Romani dona suscepissent*. 3 Raro subjunctivum: ut, *Quoniam ipse venire non posset, fratrem misit*. 4 Sic Virgil. *Quandoquidem in molli consedimus herba*. 5 Virg. *Quippè domum timet ambiguam*. 6 Cum indicativo; ut illo Columellæ lib. 11. cap. 3. *Quippè quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam convalescit*. Cum subjunctivo; ut apud Cic. pro Rosc. Am. *Convivia cum patre non inibas: quippe qui ne in oppidum quidem, nisi perrarò, veniret*. Similiter *utpotè qui*, & *ut qui*. Cic. ad Att. l. 2. ep. 24. *Ea nos, utpotè qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus*. Quinctil. *Non damno, ut qui dixerim, esse in omnibus utilitatis aliquid*.

REGULA IV.

† *Ut* caussale, item *ne*, *qui*, *quin*, & quæ similem vim [1] habent, subjunctivum postulant.

1 Cujusmodi sunt, *uti*, *quo*, *dummodo*, & alia. Plin. *Neque enim hoc feci, quo tibi molestus essem*. Cic. *Omnia honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur*.

Rogo te, ut venias. Monui, ne faceres.
Stultus es, qui huic credas [2].
Non dubium est, quin uxorem nolit filius. Ter. And. act. 2. sc. 2.
Ellipsis [3] hic frequens est: ut,
Cave, te tristem esse sentiat. And. act. 2. sc. 3.

2 Ubi *qui* valet *quod*. Ter. prol. And. *Nam in prologis scribundis operam abutitur, non qui argumentum narret, sed qui malevoli veteris poetæ maledictis respondeat.* Ubi sic Donatus: *Qui pro ut: ergo non est modo pronomen.* Par ratio in hoc Ciceronis ad Sulpic. lib. 4. epist. 1. *Etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie, & peste Reip. molestiam traxerit.* Eodemque modo loquitur ad Planc. epist. 4. lib. 10. 3 Præcipuè conjunctionis *ut*, vel *ne*. Cic. *fac vincas.* Idem, *cave putes*, pro, *cave ne putes.* Hoc verò pro, *cave, ut ne putes.* Ubi nullus pleonasmus: sed integrè sic loquimur, ac citra figuram. Ter. *Vlciscar, ut ne impune in nos illuseris.* Cic. pro Mil. *Opera datur, ut judicia ne fiant.* Quoties *ut* omittitur, ellipsis statuenda.

REGULA V.

† *Ni, nisi, si, siquidem, quod, quia* [1], indicativis, & subjunctivis [2], adhærent.
Mirum, ni domi est. And. Act. 3. sc. 4.
Ni nossem caussam, crederem vera hunc loqui. Phorm. act. 2. sc. 2.

1 Similiter ista, *sin, cum, postquam*.
2 Sed indicativis in oratione directa, unde incipimus plurimùm: subjunctivis in obliqua, quæ sæpius subjungitur.

OBSERVATIO triplex.

* I. Ut *caussale, si verbum præsentis, vel futuri temporis antecesserit, adsciscere solet præsens subjunctivi. Cic.* In eo vis maxima est, ut simus ii, qui haberi volumus. *Idem*: Ut in perpetua pace esse possitis, providebo. *Structura est*, providebo, ut possitis. *Sin præteritum aliquod præcedat, sæpius consequitur imperfectum subjunctivi. Cic.* Tantum cepi dolorem, ut consolatione ipse egerem. *Attamen præsens subjunctivi hic etiam habet locum, si sermo sit de actione adhuc duranti. Ter.* Orare jussit hera, ad se ut venias. *Idem*: Ea ne me celet, consuefeci filium.

II. *Post*

II. *Post verba timendi*, ne *pertinet ad fugienda*: ut, *ad cupita*: *pro quo & dicimus*, ne non. *Ergo vir amicus metuit*, *ne æger moriatur*. *Qui hæreditati inhiat*, *metuit ut moriatur*; *sive timet*, *ne non moriatur*. *Cic.* Vereor, ne non impetrem. *Item*: Intellexi te vereri, ut superiores mihi redditæ non essent.

III. Quod, *&* ut, *à pueritia confundi solent*: *quorum prius idem valet*, ac quia: *& plurimùm de re gesta*, *sive præterita*, *usurpatur*: *posterius valet* eo fine, *& potissimùm in futuris hoc utimur*. *Velut*, Gaudeo, quòd veneris: Scripsi, ut venires. *Præcipuè verò* ut *locum habet post nomina*, *& pronomina*, tot, tantus, talis, is: *ac verba petendi*, *jubendi*, *timendi*: *item*, *quæ voluntatem*, *aut studium*, *significant*; *ut* volo, curo, laboro, *&c. Præterea*, *quæ indicant eventum*; *ut*, fit, evenit, contingit, *&c. Et particulas*, adeò, ideo, sic, ita, tam, tantum abest, *atque ejus generis alia*. *Vide & Vallam lib. 2. cap. 37. Item*, *quæ Stevvechius*, *& Tursellinus*, *de particulis scripserunt*.

De regimine INTERJECTIONUM.

O, exclamandi particula [1], nominativum, accusativum & vocativum, regit [2]: ut,

O vir fortis, *atque amicus*. Phor.

O præclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum. Cic. Phil. 3.

O Dave, *itane contemnor abs te*? Terent. And. act. 3. sc. 2.

Sed, cùm levior est affectus, ferè omittitur *o*.

Me cæcum, *qui hæc antè non viderim!* Cic. lib. 10. ad Att.

1 Vide Vallam Eleg. lib. 2. cap. 13.

2 In hisce de Interjectione regulis quater dicitur, regi ab ea casum. Sic Grammatici loqui solent. Sed casus additus regitur à voce intellecta: ut in majore opere ostensum. Quare pro *regit*, malim *exigit*, *requirit*, vel *adsciscit*; vel dixeris, *jungi certo casui*.

Cùm

Cùm vocandi est particula, tantùm vocativum admittit.

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit. Ecl. 1.

Huc ades, ò Galatea. Ecl. 9.

Sed sæpiùs præteritur.

Credo, vos mirari, judices. Cic. pro Rosc. Am.

Itidem, *heus*, & *ohe*, tantùm vocativum regunt.

Heus Syre. Ter.

Ohe, jam satis est, ohe libelle. Martial. l. 4. ep. 46.

Pro, vel *proh* [3], item *ah*, & *vah*, regunt accusativum, & vocativum.

Pro Deûm, atque hominum fidem! And. act. 5. sc. 3.

Pro sancte Jupiter! Phil. 2.

Ah me miserum! Terent.

Ah virgo infelix [4]! Ecl. 6.

Vah inconstantiam.

Vah mea Antiphila. Ter. Heaut. act. 2. sc. 4.

Heu, nominativum, dativum, vel accusativum, regit.

Heu pietas, heu prisca fides [5]. 6. Æneid.

Heu misero mihi. Plaut.

Heu stirpem invisam. 7. Æneid.

Hei [6], & *væ*, dativum regunt: ut,

Hei mihi, qualis erat, &c. 2. Æneid.

Væ tibi, causidice. Martial. lib. 5. epigram. 34.

Hem, accusativum [7] regit: ut,

3 *Pro* jungitur & genitivo, sed ἐλλειπτικῶς; quia intelligitur *fidem*. Ter. Andr. *Pro Deûm, atque hominum!* Et Phorm. *Pro Deûm immortalium!*

4 Ne nominativum hìc putes, Terentii est, *Ah mi homo, anusne es?*

5 Nisi vocativum esse placet, ut in isto Maronis: *Heu, fuge, nate Dea.*

6 *Hei* & vocativo apponitur. Ter. *Hei noster, laudo.*

7 Jungitur & vocativo. Cic. *Hem mea lux, meum desiderium.* Ter. *Hem Pamphile.* Adsciscit etiam dativum, si sit demonstrantis. Sed tum ad adverbia refertur, ut suprà vidimus.

Hem,

Hem astutias. And. act. 3. sc. 4.

Sic *apage*. [8]

Apage istiusmodi salutem, quæ cum cruciatu advenit. Plaut. in Mer. act. 1. sc. 4.

8 Sed hoc potiùs verbum est Græcum ἄπαγε, ab ἀπάγω, *abduco, aufero*.

Cæteræ ferè interjectiones, & pleræque etiam earum, quas diximus, absque casu orationi inseruntur. Ut,

Hei vereor, nequid Andriæ appartet mali. And. act. 1. sc. 1.

Eheu, quàm pingui macer est mihi taurus in arvo! Virgil. in Ecl.

Exclamandi particula, ut, utinam, ò si, *subjunctivum exigunt*. *Virg.* O mihi præteritos referat si Jupiter annos! *Propert.* Atque utinam patriæ sim falsus aruspex! *Ter.* Ut te di, deæque, perduint!

Interdum per ellipsin intelligitur interjectio. *Ter.* Me miserum! *Cic.* Facinus indignum! *Ubi* ò, *vel* heu, *reticetur*.

FINIS.

* APPEN-

*APPENDIX

DE CONSTRUCTIONE

FIGURATA[1].

FIGURA Syntaxios, vel convenientiæ ratione fit, vel regiminis.

Ratione convenientiæ, vel spectatur in partibus declinabilibus, vel indeclinabilibus.

In declinabilibus sunt Zeugma, Syllepsis, Synthesis. Quibus & à plurimis additur Prolepsis.

ZEUGMA est, cum adjectivum, aut verbum, viciniori congruens, ad diversa reducitur, ad unum expresse, ad alterum per supplementum.

Estque vel generis, vel numeri, vel personæ. Generis: ut, *Utinam*[2] *aut hic surdus, aut hæc muta facta sit*. Numeri: ut[3], *Hìc illius arma, hìc currus fuit*. Personæ: ut[4], *Ille timore, ego risu corrui*.

SYLLEPSIS est, cùm pluribus substantivis ita adjectivum, aut verbum, additur, ut illud consentiat, non cum propiore, sed cum digniore.

Est ea vel directa, vel indirecta. Directa fit per conjunctionem copulativam. Estque vel generum, vel personarum. Generum:

1 Perspicuitatis, & memoriæ caussa visum fuit hìc figuras illas Syntaxios uno quasi fasce complecti, de quibus separatim actum superiùs fuit. Simul etiam quædam tũ intacta adjecimus. Porrò omnis figura à Latinis linguæ Latinæ regulis recedit: interim auctoritate rectè loquentium subnixa est. Est verò vel domestica, sive vernacula; vel transmarina, sive Græcanica, quæ *Hellenismus* vocatur. Prior vel usitata est, vel antiquata: quæ *Archaismus* dicitur. De vernacula, & usitata, cujus multa sunt genera priùs agam. De Archaismo, & Hellenismo, postremò loquar.
2 Ter. 3 Virg. 4 Cic. ad Q. Fr.

ut, *Rex, & regina, collocuti*. Personarum: ut, *Neque ego, neque tu, fecimus*. Ter. Indirecta fit per præpositionem copulativam. Cic. *Ipse cum fratre adesse jussi sumus* 5.

SYNTHESIS est structura sensu, non voce, congruens. Est ea triplex.

I. Generis tantùm. Virgil. *Centauro invehitur magna*: puta *navi*. Ter. *Scelus postquam ludificatus est virginem*: pro *scelestus*. Liv. *Samnitum cæsi duo millia*.

II. Numeri tantùm. Ovid. 4. Met. *Pars volucres facta*. Virg. *Turba ruunt*.

III. Generis, & numeri simul. Virgil. *Pars mersi tenuere ratem*.

Etiam Synthesis est, quando posteriora conveniunt cum voce, quæ non quidem exprimitur, in alia tamen continetur. Catullus: *Nam Sextianus dum volo esse conviva, Orationem in Attium petitorem plenam veneni, & pestilentiæ, legit*. *Legit* puta *Sextius*: ut ex *Sextianus* intelligitur. Cicero: *De Prætiana hæreditate, quæ quidem mihi magno dolori est, (valde enim illum amavi) hoc velim cures*. *Illum*, videlicet *Prætium*: quod in *Prætianus* continetur.

PROLEPSIS est, cùm præcessit vox aliqua totum significans, quæ in partibus mox non explicatur, sed intelligitur 6. Ut: *Duæ volabant aquilæ, una ab ortu, altera ab occasu*. *Milites pugnant, unus gladio, alter sarissa* 7.

5 Sic Justin. *Filium Alexandri cum matre in arcē custodiendos misit*. Ubi singulari crebriùs oratores utuntur. Cic. *Tu ipse cum Sextio, scire velim quid cogites?* Idem: *Domitius cum Messalla certus esse videbatur*.

6 Sive, cùm toti subjiciūtur partes, numeris aut personis, diversæ, verbo non repetito. 7 Livius l. 41. *Quando duo ordinarii consules ejus anni, alter morbo, alter ferro, periisset*. Fusè de hoc schemate Priscianus lib. 17.

In

In partibus indeclinabilibus figuratur convenientia orationis; vel additione, ut in Polyſyndeto; vel detractione, ut in Aſyndeto; vel trajectione; ut in Anaſtrophe, & Synchyſi.

POLYSYNDETON eſt conjunctionum in oratione redundantia. Cic. pro Arch. *Hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani, civitate, præmiiſque, donarunt.*

ASYNDETON eſt conjunctionis in oratione defectus. Ut, *Æqui boni conſulere. Debilitant vires balnea, Bacchus, amor* [8]. Nec solùm conjunctionum eſt copulativarum: ſed aliarum quoque. Ut, *Velis nolis fiet*. Ubi deſideratur disjunctiva *ſeu*. Ut conditionalis in hoc Juvenalis, *Græculus eſuriens, in cœlum juſſeris, ibit:* pro, *ſi juſſeris*.

ANASTROPHE eſt, cùm præpoſitio ſuo caſui poſtponitur. Virgil. *His accenſa ſuper*. Ovid. *Me penes* [9].

SYNCHYSIS vocatur ordo verborum perturbatus, ac confuſus: eſt ea tum convenientiæ figura, quando copula non voci connexæ, ſed communi additur verbo. Horat. *Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis*. Pro, *& crudis*. Tibull. *Meſſalam terra, dum ſequiturque mari*. Pro, *marique ſequitur*.

Atquæ hæ figuræ convenientiam reſpiciunt. Nunc eas videamus, quæ vel ſemper, vel plurimum, in regimine ſe offerunt.

8 Sic *plus minus*. Item *præter, propter*, hoc eſt, circiter. Nā *præter* hìc ſumitur, ut in illo: *Ita fugias, ne preter caſum*. *Propter*, ut in illo: *Propter accubat*.

9 Etiam in proſa locum habet. Varro: *Eum apud*. Salluſt. *Quos inter*. Livius: *Omnibus ex*. Sic in particulis compoſitis, *mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum, quāobrem, quemadmodum, eapropter*. Item *quapropter, hac propter, quatenus, hactenus*. Ubi *qua*, dicitur pro *quæ*: ut in *aliqua, ſi qua*. At *quatenus*, & *hactenus*, integrè fuerint, *qua re tenus, hac parte tenus*.

Hæ

Hæ vel additione fiunt, vel detractione, vel immutatione.

Additione fit PLEONASMUS [10]: qui est abundans [11] supra necessitatem oratio. Estque præcipuè nominis, pronominis, adverbii aut conjunctionis. Nominis: ut, *Sic ore locuta est. Vocemque his auribus hausi* [12]. *Ubique locorum* [13]. Pronominis: ut, *Quid mihi Celsus agit* [14]? *Ubi nunc nobis Deus ille magister* [15]? Adverbii: ut Plauto, *Præsensit prius*. Terentio [16], *Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius*. Virgilio in Culice, *Magis beatior* [17]. Conjunctionis: ut Pseud. *Etiam consultis verbis quoque*. Ter. Eun. *Itaque ergo amantur*. Cicer. 16. ad Att. *Etsi quamvis non fueris suasor*. Et de amicit. *Quamvis licèt excellas*.

Detractione fit ELLIPSIS [18], cùm in oratione deficit vox extrinsecùs arcessenda [19]. Estque vel nominis: ut, *Aberant bidui*; supple *via*. *Decies sestertium*; nempe *centena millia*. *Pro Deùm immortalium*; puta *fidem*. *Non est oneri ferendo*; videlicet *aptius*. Vel pronominis: ut, *Memini videre*; scilicet *me*. *Est, qui conventum velit*; supple *quispiam*. *Canto quæ solitus, si quando armenta vocaret*. Ecl. 2. pro, *canto illa*. Vel verbi: ut, *Ego continuò mecum*; supple *cogitabam*. *In Italiam cogito*; scilicet *proficisci*. Vel participii: ut,

10 Παρολκὴν vocat Apollonius l. 1. περὶ συντάξεως, sect. 2.

11 Ita Fabius describit l. 9. cap. 3.

12 Virgil.

13 Idem.

14 Horat.

15 Virg. 5. Æneid.

16 Eunuch. 2. 2.

17 Sæpè etiã πλεονάζει particula *dum*: ut *agedum*, *adesdum*, *iteradum*, dicdum.

18 Quæ perperam multis *eclipsis* dicitur.

19 Fabius l. 9. c. 3. synecdochen vocat: ac fieri ait, cùm *verbum aliquod subtractum satis ex cæteris intelligitur*. Sed hæc descriptio etiam Zeugmati conveniret. Differt autem Zeugma ab Ellipsi, quòd in illo aliquid ex proximis, vicinisque verbis, intelligatur; in hac aliquid arcessatur foris.

Teucro duce. Ubi intelligitur principium verbi substantivi. Vel adverbii: ut illo Cæsaris, *Vulnerantur amplius sexcenti*; pro *quam sexcenti*: & hoc Livii, *Omnes ad unum occidit*; pro, *usque ad unum*. Vel præpositionis: ut, *Tertio Nonas*; pro, *ante Nonas*. *Quid me fiet?* pro, *de me*. *Si pater id succenseat*, Ter. pro, *propter id*. Vel conjunctionis: ubi ad convenientiam pertinet, & Asyndeton vocatur; ut diximus. Vel interjectionis: ut, *me infelicem!* ubi *ò*, vel *heu*, omittitur [20].

Immutatione fit ENALLAGE; ut qua voces, aut earum accidentia, permutentur.

Vocis immutatio ANTIMERIA [21] vocatur: ut, *Scire tuum* [22]. *Sole recens orta* [23].

Immutatio accidentis speciali nomine dici solet ἑτέρωσις; aut ἀλλοίωσις; ac fit in omni- partibus declinabilibus.

In iis, quæ per casus variantur, fit quadrifariam.

I. Genere: ut illo Horatii, *Et mamma putres, equina quales ubera*; pro, *qualia*.

II. Numero: ut apud Ovid. *Et flesti, & nostros vidisti flentis ocellos*; pro, *meos flentis*.

III. Casu: quæ species proprio nomine ANTIPTOSIS [24] dicitur. Virg. *Adsis lætitiæ Bacchus dator*; pro, *Bacche*. Idem: *Hæret pede pes, densusque viro vir*; pro, *pedi*. Horat.

20 Imò, quia brevitati studemus, omnis sermo noster ellipsios est plenus. Exempli gratia, *Paucis te volo*. Integrè fuerit, *Negotium est, propter quod paucis te verbis alloqui volo*. Et sunt id genus sexcenta.

21 Ἀντιμερία, vel potiùs Ἀντιμέρεια, ut Galeno λεπτομέρεια, & παχυμέρεια, opponuntur. Apud Aristotelem quoque μεγαλομέρεια legat. Apud Suidam tamen μεγαλομερία scribitur. Ἀντιμέρεια autem dicitur, quia una orationis pars ponitur pro altera. Ut verbum pro nomine. 22 Pers. 23 Virg. 24 *Procidentia* vocatur Prisciano lib. 17. ubi & συμπτώσει similiter *concidentiam* vertit.

Occur-

Occurrunt animæ, quales neque candidiores Terra tulit; pro, *qualibus*. Ovid. *Hanc pius Æneas eripuisse ferunt*; pro, *pium Æneam*.

Huc pertinent Synecdoche, & Hypallage.

SYNECDOCHE est, cùm ablativus partis, vel adjuncti, mutatur in accusativum. Partis, ut apud Maronem: *Expleri mentem nequit*. Item: *Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora, Ora, manusque ambas*. Adjuncti, ut apud eundem: *Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque*. Item: *Flores inscripti nomina regum*.

HYPALLAGE est mutua casuum permutatio. Ut cùm prius posterioris, posterius prioris casu effertur. 3. Æn. *Dare classibus austros*; pro *classes austris*, sive *ventis*.

Est & enallage pronominis propria, cùm possessivum reciprocum ponitur pro relativo. Ovid. *Respice Laertem, ut jam sua* * *lumina condas*; pro *ejus*. Cujusmodi non temerè imitanda.

Enallage verbi vel genere fit, seu significatione; vel tempore; vel modo.

Genere, ut apud Livium, *Postquam ludus in artem paullatim verterat*; pro, *versus erat* [25]. Virg. *Placidam paci nutritor olivam*; pro *nutrito*. Fit item in participiis: ut, *Tondenti barba cadebat* [26]; pro, *tonso*. Simileque est, *Volventibus annis* [27]; pro, *volutis*.

26 Virg. 27 Id. Vel *se volventibus*.

* Puto, esse ἐλλειπτικὸν, atque integrè fore, *ut illi*, puta *Laertæ*, *sua lumina condas*.

25 Nisi κατ᾽ ἔκλειψιν accusativus pronominis intelligatur. Ut, *verterat* dicatur, pro *verterat se*.

Tempore; ut Plauti hoc, *Promisi dare*; pro, *daturum me esse*. Et juxta Servium, in illo Maronis, *Magnum si pectore posset Excussisse Deum*; pro, *excutere*. Horatii quoque est, *Non ego hoc ferrem calidus juventa, Consule Planco*; pro, *tulissem*.

28 Cœlius in Antoniũ, apud Fab.

29 Ita, præter Priscianum, etiam Fabius lib. 9. cap. 3.

Modo; ut Plaut. Asin. 3. 5. *Nisi ex te scio*; pro, *scivero*. Huc etiam referunt, *Stupere* [28] *gaudio Græcus*; pro, *stupebat*. Sed verisimile est, intelligi [29] hic verbum *cœpit*, vel simile.

Ad enallagen etiam referre possis, cùm primitivum ponitur pro derivato, aut simplex pro composito, vel contrà.

30 2. Æneid.

31 1. Æneid.

Primitivum pro derivato: ut, *Dardana arma* [30], pro *Dardania*. *Laticemque Lyæum* [31], pro *Lyæium*.

32 Nempe utraque partim simplicis vocis, partim orationis esse videtur. Hyphen enim est duarum vocum; sed quæ unius instar efferantur. Tmesis est unius vocis; sed quæ instar duarum proferatur.

Derivatum pro primitivo: ut, cùm distributivum ponitur pro numero cardinali. 10. Æneid. *Ter denis navibus ibant*; pro, *ter decem*. Aut cùm pronomen possessivum usurpatur pro eo, unde derivatur. Ut apud Ter. Heaut. *Ut appareat facilè, desiderio id fieri tuo*. Et Phorm. *Neque odio id fecit tuo*; pro, *tui*.

Simplex pro composito: ut 1. Æneid. *Mœstumque timorem Mittite*; pro, *omittite*. Cic. *Ponit personam amici, cùm induit judicis*; pro, *deponit*.

Ad rationis figuras etiam referri solent [32] Hyphen, & Tmesis.

HYPHEN quid ſit, diximus cùm de Orthographiæ notis ageretur.

TMESIS eſt vocis compoſitæ interſectio per unam, pluresve interpoſitas. Ter. *Quæ meo cunque animo lubitum eſt facere*. Cic. *Per mihi, inquam, gratum feceris*. Virgil. *Jamque adeò unus eram*.

A communi etiam ſermone recedunt Archaiſmus, & Helleniſmus.

ARCHAISMUS eſt ratio loquendi priſcis uſitata, ſed meliori ævo planè, aut penè obſoleta. Plaut. *Faſtidit mei*. Ter. *Abſente nobis*. Cic. *Quam rem præſidio nobis ſperant futurum*.

HELLENISMUS eſt, cùm à Latina conſuetudine recedentes, imitamur Græcos. Catul. *Noli pugnare duobus*; pro, *cum duobus*. Virgil. *Os, humeroſque Deo ſimilis* 33.

33 Ubi eſt Synecdoche, ut paullò antè diximus.

Eſt etiam ſermo, quem vocant ΑΝΑΚΟΛΟΥΘΟΝ: quaſi dicas, INCONSEQUENS; cùm ſequentia prioribus non cohærent. Ter. Hec. act. 3. ſc. 1.

Nam nos omnes *, *quibus eſt alicunde aliquis objectus labos:*

Omne quod eſt interea tempus, prius quàm id reſcitum eſt, lucro eſt.

* Vide omninò, quàm hìc ſudet vetus interpres.

Nec enim *omnes nos*, benè convenit cum eo, quod ſequitur, *lucro eſt*. Sed, puto aliud priùs obverſabatur animo: ut ſi voluerit, *ſic nos omnes ſumus*. Alioqui dixiſſet,

nobis omnibus. Sic Varro lib. 2. de re Rust. cap. 4. *In Arcadia scio me esse spectatum suem, quæ præ pinguitudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam, ut in ejus corpore sorex, exesa carne, nidum fecisset, & peperisset mures*. Sermo foret ἀκόλουθος, si dixisset; *Sed etiam pinguem adeò ut in ejus corpore sorex nidum fecisset*. Hujusmodi in classicis scriptoribus vocamus σολοικοφανῆ, in vulgo autem censeantur solœcismi.

Sunt & aliæ constructionis figuræ; quæ, quia ad ornatum magis pertinent, in Elocutione Oratoria rectius explicantur.

F I N I S.

SYNTAXEOS

APPENDIX ALTERA,

Quæ est

DE RATIONE

INTERPUNGENDI.

Distinguendi ratio vulgò refertur ad Orthographiam, cùm ad Syntaxin potiùs pertineat. Nec enim in oratione solùm structura, vel ordo; sed etiam distinctio attenditur. Quomodo autem distinguendum sit, non penitùs convenit inter eruditos. Eòque nihil alieno hìc judicio præscribo. Tantùm eam adferam rationem, quam accuratiores ferè sequantur; vel saltem à qua non admodùm recedant.

Distinctio [1], vel est sermonis, sive pronunciationis; vel scripti.

Utraque, pro triplici respirationis intervallo, est triplex. Nam vel minima est respiratio, quæ sententiam sustinet: vel media, quæ eam suspendit: vel plena, quæ sententiam deponit.

Prima dicitur comma [2], Ciceroni incisum [3]: cujus nota est semicirculus. Altera vocatur colon, quod Latinè sonat membrum [4]: & nota ejus sunt duo puncta. Tertia, quæ sententiam claudit, vocatur perio-

1 Quæ Græcis θέσις, Cassiodoro itidem, libro de Grammatica, *positura* dicitur.

2 Κόμμα vocatur, quia antecedens à consequente κόπτεται, hoc est, *inciditur*.

3 Græcis etiam ὑποστιγμὴ, ac Cassiodoro similiter *subdistinctio*. 4 Ita vocatur, quia ut animal membris, ita periodus majoribus hisce partibus distinguitur. Græcis est μέση στιγμὴ, *media distinctio*.

dus, quod Latinè est ambitus, vel circuitus: & nota ejus est punctum [5].

[5] Græcis τελεία στιγμὴ, *perfecta distinctio*.

* Ita hodie distinguimus. Sed antiquioribus, (ut ex Donato [6], Isidoro [7], & aliis, constat) punctum positum ad mediam literam, notabat comma: ad caput literæ, erat nota coli: ad imam literam, signabat periodum.

[6] Grammatices edit. 1. cap. ult.

[7] Lib. 10. Originum cap. 19.

Commatis usus magnus est distinguendis nominibus, verbis, & adverbiis. Nominibus: ut, *Vir pius, & doctus.*

Grammaticus [8], *rhetor, geometres, pictor, aliptes.*

[8] Juvenal.

Sic, *formosa, sed prudens.*

In verbis: ut, *Hortari, orare, monere.*

Feras [9], *non culpes, quod vitari non potest.*

[9] Pub. Syr.

In adverbiis: ut, *Seriùs, ociùs, necessè cunctis est mori.*

Etiam distinguit breviores sententiæ partes: ut quando de ætate ait Ovidius:

Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Est & alius commatis usus. Ut cùm ad tollendam ambiguitatem sejungit duas voces [10]. Quemadmodum in illo Ciceronis 2. Off. *Summa quidem auctoritate philosophi, severè sanè, atque honestè, hæc tria genera confusa, cogitatione distinguunt.* Ubi comma ponitur post *confusa*, ne conjungendum putetur cum *cogitatione*, quod proximè sequitur.

[10] Alii hìc virgula uti malunt.

Colon ostendit, sententiam quidem perfectam

fectam esse; sed adhuc pendentem. Velut cùm sententiæ partes sunt duæ; quarum utraque suo sustineatur verbo. Ut, *Ante omnia necesse est, se ipsum æstimare: quia ferè plus nobis videmur posse, quàm possimus.* Sen.

Quòd si longiùs progrediatur periodus: contigit, ut sæpiùs colo distinguatur. Talis est ista: *Quemadmodum horologii umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus: & fruticem, aut herbam, crevisse apparet, crescere autem nulli videtur: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur.*

Periodus, sive nota ejus, quam punctum esse diximus, ostendit, sententiam esse absolutam. Estque vel brevior, vel longior. Brevior puncto quidem signatur; sed sequente litera minuscula. Ut in illo Senecæ, *Non est fides, nisi in sapiente. apud sapientem sunt ipsa honesta *. apud vulgum simulacra rerum honestarum.* Idem fit, si sententiæ longiusculæ sint; sed posterior quodammodo dependeat à priori. Ut in Musonii * hoc: *Siquid turpe feceris cum voluptate; voluptas abit, turpitudo manet. siquid honestè feceris cum labore; labor abit, honestas manet.* Ac imprimis, si sequens periodus priori quasi famuletur: qualis à Græcis ἐπιφώνημα dicitur. Ut Phil. 2. *Debet enim talibus in rebus excitare animos, non cognitio solùm rerum, sed etiam recor-*

*Nec tamen adverser post *honesta* colon malenti.

* Apud Gell. lib. 16. cap. 1.

datio, tametsi incidamus oportet media, ne nimis serò ad extrema veniamus. Aliàs post longiorem periodum ponitur litera majuscula. Quòd si planè etiam ad aliud argumentum accedatur: paullo amplius intervalli inter periodos relinqui, non inutile erit.

Triplici huic distinctioni additur à multis *semicolon*. Est hæc nota respirationis paulo majoris, quàm in commate; sed minoris, quàm in colo: ac notatur puncto cum commate subjecto, hoc (;) pacto. Exemplo esto illud Ciceronis ad Torquatum; in quo distinctionum omnium notæ concurrunt: *Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut sua quemque fortunæ maximè pœniteat; nemoque quin ubivis, quàm ibi ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romæ esse, miserrimum sit*. Hìc post *pœniteat* est semicolon; quia & major est respiratio, quàm post *rerum*, ubi comma locum habet: & minor quàm post *malit*, ubi colon est. Sic, *Tu, quid divitiæ possint, consideras; quid virtus, non item*. Quo loco, cùm posterior pars pendeat à verbo *consideras*, nimium fuerit, si colo separes. At, si contenti simus minima respiratione, quam comma vocamus, nimis præcipitabitur oratio.

Magnus & semicoli usus est in distinguendis nominibus contrariis, & variis partitionibus. Ut, *Propria, aliena; publica, privata;*

sacra,

sacra, *profana*. Etiam hìc nimium videtur si post *aliena*, aut *privata*, colon ponatur: & major tamen utrobique interspiratio est, quàm post *propria*, *publica*, *sacra*; ubi sufficit, si comma iis subjeceris.

* Plura de interpunctione qui volet, adeat Aldum Manutium seniorem in Grammaticis Institutionibus l. 4. Aldum Nepotem, libello quem Orthographiæ subjunxit; Erycium Puteanum de Interpunctione libello; Claudium Dausquejum lib. 1. Orthographicôn.

DE NOTA INTERROGATIONIS,

admirationis, *&* *parentheseos* [1].

[1] Addunt aliqui eam, quæ ὑφ' ἕν dicitur: de qua diximus in notis Orthographiæ.

Ad orationem etiam universam pertinet nota interrogationis, admirationis, & parenthesos: de quibus idcircò hìc agemus.

Interrogationis nota est (?) hæc: ut,

Et [2] *dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

[2] 6 Æn.

Ea tamen nota tutò omittitur, si sententia eò usque producatur, ut interrogandi vis, quæ initio periodi conspicua erat, paullatim vim amittat. Ut in illo: *An tu putas esse bonos viros, qui amicitias utilitate sua colunt; nihil ad humanitatem, nihil ad honestum referunt; nec diligenter ea curant, quæ ego nisi curarem præter cætera, prorsus me tua benevolentia, in qua magnam felicitatis meæ partem soleo ponere, indignum putarem.*

Ple-

Plerisque etiam in usu est admirationis nota; quæ hujusmodi est (!). Ut, *O hominem literatum! & quod pulcrius, prudentem! imo, quod præcipuum, ò virum bonum!* Item, *O curas hominum! ò quantum est in rebus inane* 3!

Parenthesis 4 est distinctio eorum, quæ sententiæ includuntur, nec ejus sunt pars 5. Ut quæ nec à præcedente, nec sequente verbo, regantur; sed abesse possunt salva sententia. Nota ejus est () Terent.

—— Vel virtus tua me, vel vicinitas,
(Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto)
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter.

* Multi ea utuntur perperam. Velut cùm parenthesi includunt hujusmodi verba: *ut arbitror, ut intelleximus*, similiaque: ubi sufficit, si comma utrimque, vel summùm, habeant utrimque semicolon. Illud etiam curandum, ne parentheses sint crebræ, vel nimis longæ: adhæc, ne aliæ aliis inferciantur. Sed ejusmodi non jam tam ad notas, quàm ad ipsam pertinent sententiam.

3 Omittunt alii eam notam. Rectiùs saltē, quàm qui in talibus interrogationis notam usurpant.

4 Latinè *interpositio*, vel *interclusio*.

5 Sive sic: Parenthesis est sermo sermoni, priusquam absolvatur, interjectus. Itaque & in pronunciando aliter effertur, idque voce plurimùm magis submissa.

DE

DE ORDINE GRAMMATICO.

ORdo vocum, vel à natura, vel ab arte, proficiſcitur.

Naturalis, qui & Grammaticus dicitur, natura ipſa, atque è ſermone vernaculo, non obſcurè cognoſcitur. In rudiorum tamen gratiam paucis eam complectar.

I. Primum ſibi locum vendicant particulæ excitandi; ut interjectiones: adverbiaque hortandi, optandi, vocandi, demonſtrandi, rogandi: nec non adverbia prohibendi, aut ſimilitudinis: adhæc relativa; ut, *cùm*, *quando*, *donec*, &c. conjunctiones cauſſales, & rationales; ut *quandoquidem*, & ſimiles: vocativi, & nomina, vel pronomina interrogativa; ut *quis*, *uter*, *cujus*, *cujas*.

II. Proximus, ſi aliquid ſuperiorum fuerit; aut, ſi ea abſint, primus eſto locus ejus nominativi, qui à fronte erit verbi, vel illius, quod nominativi loco ponitur. Ut, *Felicem fuiſſe eſt miſerum*. Cum ſubſtantivo autem cohæret adjectivum; & cum utroque caſus ab eo rectus. Quòd ſi caſus regatur à ſubſtantivo, adjectivum ſuo ſubſtantivo præponetur: ut, *Horrentia arma Martis*.

III. Hinc locus eſt verbo perſonali modi finiti. Sed ſi imperſonale verbum fuerit, ab eo erit inchoandum. Ut, *Pudet pigetque me fratris*. Sin infinitivi ſit modi, præcedit accuſativus, quem verbum à fronte habet.

IV. Verbo

IV. Verbo ſubjungitur adverbium loci, temporis, quantitatis, qualitatis, aut ſimile. Vel ſi adverbium abſit, ſequetur caſus verbi. Hi ſi plures fuerint, dativus præcedet accuſativum, accuſativus ablativum. Si tamen caſus quiſpiam obliquus ſit interrogativus, relativus, aut negativus [1]: poni debet ante verbum ſuum. Ut, *Cujus eſt liber? Qualem ſementem feceris, talem & metes. Nullam video hic difficultatem*. Imò, quia reciprocum natura eſt poſterius antecedenti; eò fit, ut quandoque obliquus caſus præponatur caſui recto, & verbo ſuo. Ut, *Patrem ſequitur ſua proles. Quemque trahit ſua voluptas.*

[1] De negativis tamen non valdè laborem, ſiquis ea ſubſtantivo ſuo poſtponat.

Quòd ſi quid defuerit, ſuppleri debet. Ut illud, *Ubi ad Dianæ veneris*, addito accuſativo, ſic conſtruendum, *Ubi veneris ad ædem Dianæ.*

Ac hujuſmodi quidem eſt grammaticus, ſive nativus vocum ordo.

Qui verò ab arte promanat, cognoſcitur ex iis, quæ in Rhetoricis præcipiuntur de collocatione verborum: imprimis autem diligenti bonorum ſcriptorum lectione comparatur.

FINIS.

LATINA PROSODIA,

ET

ARTIS METRICÆ ELEMENTA,

In uſum Scholarum Hollandiæ, ac Weſt-Friſiæ, conſcripta

A

GERARDO JO. VOSSIO.

AMSTELODAMI,
Sumptibus NICOLAI RISPOLI.

MDCCX.

PROSODIA LATINA.

PROSODIA est pars Grammaticæ, quæ accentus, & quantitatem syllabarum, docet.

DE ACCENTU.

Accentus est pronunciandi ratio, qua syllaba vel attollitur, vel deprimitur. Ac proprio nomine Tonus vocatur [1].

Tonus, sive accentus, est triplex [2]; acutus, gravis, & circumflexus.

Acutus est, qui syllabam acuit, & attollit: ac notatur lineola obliqua in dextram descendente: ut, *dominus* (´).

Gravis est, qui syllabam gravat, & deprimit: ac signatur lineola obliqua in dextram descendente: ut, *doctè* (`).

Circumflexus est, qui syllabam longiori mora effert: signum verò ejus ex superiorum notis conflatur: ut, *amare* (^).

* *Nota ejus ideò ex accentu acuto, & gravi componitur; quia syllabam pariter & attollit cum acuto, & deprimit cum gravi. Unde longiori hìc tractu omninò opus est, quàm in acuto. At planè errat vulgus, quod circumflexum cum acuto confundit.*

1 Nam accentus nomen generale est; quia tam latè patet, quàm προσῳδία, ut utriusque vocabuli origo indicat. Sed pro tono accipi solet κατ' ἐξοχήν.

2 Si διχοτομία magis placet, sic divide: Accentus vel est simplex, vel compositus. Simplex, est acutus, aut gravis. Compositus, vocatur circumflexus.

TONORUM REGULÆ.

* *Monoſyllaba dictio, brevis, aut poſitione longa ſit, acuitur: ut,* vír, méns. *At natura longa circumflectitur: ut,* mòs, ſpès.

In dyſyllabis poſterior gravatur; prior autem, ſi natura fuerit longa, & brevis ſequatur, circumflectitur: ut, Ròma, Crèta; *aliàs acuitur: ut,* Déus, júſtus, réges.

In polyſyllabis, penultima brevi, acuitur antepenultima; ut dóminus, dícere. *Penultima autem, ſi producatur, ſequente quidem brevi, circumflectitur: ut,* amàre, peròſus. *Longa autem ſequente, acuitur: ut,* ampléčti, ſacérdos. *Cæteræ omnes ſyllabæ in polyſyllabis gravantur.*

Excipe compoſita à fis, fit, *quæ in ultima ſimplicis accentum retinent: ut,* calefís, calefít.

Etiam interrogatio quandoque accentum transfert: ut, Siccíne ais, Parmeno.

Voces encliticæ rejiciunt accentum ſuum in ſyllabam præcedentem: ut Lumináque, laurúſque dei 1.

Quædam in ultima, differentiæ cauſſa, vel circumflectuntur; ut ablativi, poeta, gloria, *atque alia* 2: *vel acuuntur; ut adverbia,* aliquó, continuó, palám, docté, uná, *& ſimilia: ſed in conſequentia orationis acutus mutatur in gravem; uti fit apud Græcos.* Ergò *pro cauſſa circumflectitur in poſteriori.*

Accentus nota nuſquam ferè apponitur, niſi differentiæ ergò 3: *idque non tantùm in ultima ſyllaba fit: ut,*

1 Non tamen hoc locum habet in *quiſque*, *ubique*, & ſimilibus: cujus cauſa eſt, quòd *que* in iſtis non ſit enclitica. Nam ſunt hæ voces compoſitæ quidem, unam tamen rem ſignificantes. Contra quàm fit in *Luminaque*, & *lauruſque:* quæ valent, *& lumina*, *& laurus:* ut ſint duæ voces duarum rerum indices. 2 Sic genitivi *fructùs, anùs,* contracti ex antiquis *fructuis*, *anuis:* nominativi, accuſativi, & vocativi plurales, *fructùs*, *anùs*, contracti ex *fructues*, *anues*. 3 Mirum, nonnullos uſque adeò adverſari conſuetudini huic voces ambiguas diſtinguendi accentu. Præſertim cùm ipſi voces proprias ſcribant literis majuſculis. Nempe ut diſtinguant propria à communibus. At cur non ſimile diſcrimen hìc obſervemus? tantò magis, quòd idem fecerint veteres: ut ex Fabio, lib. I. cap. de Orthographia, item Scauro, & aliis, conſtat.

iis,

iis, quæ jam vidimus: sed quandoque etiam in penultima, & antepenultima: ut, óccido, *&* occído.

Quidam & syncopen passa circumflectunt. Vt, amâsse, decrêsse. *In cujusmodi interdum id fit discriminis caussa: ut in genitivo,* nostrâs.

Græca Græco meliùs accentu efferri, censent Donatus, Serviúsque: quod sic restringit Marius Victorinus, si iisdem planè literis proferantur: ut, orthographía, paralipoménon.

DE QUANTITATE.

Quantitas est mensura syllabæ [1], secundùm quam brevis, longa, aut communis, sive anceps, dicitur.

Brevis est, quæ unum habet tempus, sive quæ celeriter pronunciatur: ac sic [2] signatur (᾽) ; ut, *pius*.

Longa, quæ duo tempora habet; sive quæ in pronunciando exigit spatium, atque intervallum duarum brevium: atque ita notatur (-); ut, *audax*.

Communis est, quæ in versu, nunc brevis est, nunc longa; ut prima in *Italus*, media in *Batavus*.

* *Porrò syllaba seu brevis fuerit, seu longa, vel natura est talis, vel caussa accidentaria, sive positione. Ita prior* patris, *natura est brevis, quia prior in* pater *est brevis. Sed quia ponitur ante duas consonas, etiam potest produci. Contrà* præ *natura est longum. Sed si in composito ponatur ante vocalem, ob positionem ejusmodi, quandoque corripitur: ut in* præire. *Interdum etiam syllaba natura simul, & positione, producitur: ut prior in* auster. *Etsi autem vocalis non minùs est brevis, quia po-*

1 Vel sic potiùs; Quantitas est syllabæ affectio, qua ejus tempus, seu moram, metimur. Vocatur & *intervallum*. Censorino in fragmento *spatium syllabæ* appellatur.

2 Nota hæc, si distinctionis caussa id fuerit opus, imponitur vocali: quéadmodum etiam fit in nota vocalis longæ.

natur ante vocalem; quàm longa est, propterea quòd ponatur ante consonas: vulgò tamen positionis *nomen ad posterius genus restringitur: ut mox liquebit.*

Quantitas cognoscitur regulis, & auctoritate, sive exemplis.

* *Estque via, ac ratio, qua per exempla itur, tum certior altera; quia regula omnis authoritate veterum niti debet, velut fundamento: tum etiam generalis magis, cùm multarum modulus syllabarum non aliter sciatur, quàm exemplis Poetarum.*

Regulæ sunt generales, aut speciales.

Generales dicuntur, quæ in omni syllaba locum habent.

REGULA GENERALIS I.

Vocalis ante vocalem * brevis est in Latinis: ut, *Deus*, *filius*. Item *nihil*: *nam h* magis adspiratio est, quàm litera; ut alibi diximus.

* Puta ante vocalem sequentis syllabæ; non ejusdem: ut in diphthongo, quæ longa est.

EXCIPIUNTUR.

I. *Fio*, quod ubique primam habet longam, præterquàm *r* post *e* sequente: ut in *fierem*, & *fieri*.

Ovid. *Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam.*

II. Genitivi, & dativi quinctæ declinationis; qui vocalem penultimam *e* habent longam, quando inter duo *i* ponitur: * ut, *diei*, *speciei*.

* Nam si consona antecesserit, e breve erit: ut, *rei*, *spei*, *fidei*. Verùm Lucretius *reji* dixit, e producto: quomodo & apud eundem *eji* invenitur.

III. Genitivi in *ius*, qui penultimam ha-

bent

bent communem in versu [1] : ut, *unius*, *illius*; præter *alius* penultima longa [2], & *alterius* [3] penultima brevi.

IV. Producunt quoque penultimam *aulai*, *terrai*, & similes genitivi prisci: item *Cai*, *Pompei*, & similes vocativi; ubi olim geminum *i* fuit, *Caii*, *Pompeii*.

V. Longa etiam est prima in *eheu*: in *ohe* verò, & *Diana* [4], est anceps. Hæc de Latinis.

In Græcis vocalis ante vocalem, nunc corripitur; ut in *Sophia*, *Hyades* [5]: nunc producitur; ut, *aer*, *dius*, *Enyo* [6].

* *Inter alia producunt vocalem desinentia in* ais, eis, ois. *Vt*, Nais, Lais, [7] Briseis, Cadmeis, Latois, Minois, *&c.*

Item exeuntia in eius, *&* oius. *Vt*, Nereius, Priameius, Acheloius, Minoius, *&c.*

Adhæc terminata in aon, *vel* ion. *Vt*, Nachaon, Lycaon, Amphion, Pandion, *&c.*

Et composita à λαός; *ut*, Menalaus, Archelaus.

Nec tamen hæc perpetua sunt. Nam Phaon, Deucalion, *& alia multa corripiunt vocalem. Item secunda in* Nereides *est anceps. Vti & in* Orion *ac* Geryon.

Accusativi in ea, *à nominativis in* eus, *sæpius corripiunt* E: *ut*, Orphea, Salmonea, Capharea: *interdum producunt, more Jonum: ut*, Isionéa, Idomenéa, *&c.*

1 Nam extra versum producunt. 2 Nec facilè aliter, quàm penultima producta, usurpem *solius*, & *utrius*, cum compositis *neutrius*, & *alterutrius*. Saltem veterum occurrit nemo, qui penultimam in his corripuerit. Ac corripit eam Lucretius in *totius*. Quod ipsum, quin tutò fiat, in *unius*, *ullius*, *nullius*, *illius*, *ipsius*, dubium non est. Quippe ubi penultima, nunc brevis, nunc longa inveniatur apud Poetas classicos. 3 Unde versus, *Corripit alterius, semper producit alius*. 4 Causam adferam, cùm de Systole inferiùs loquar. 5 Sic *Pierides*, *Japetus*, *Io*, & alia. Ac similiter peregrina quædam; ut, *Michael*. Sed plurimùm in peregrinis quantitas est ambigua; ut, *Cain*, *Abraham*. 6 *Dius* adjectivum semper porrectum, à Græco δῖος. At cùm dicitur *sub dio*, à Διός, corripitur Afranio in Epistola apud Nonium in *Gelu*: *Soleatus, intempesta nocte, sub dio*. Horatius tamen producit lib. 2. od. 3. & lib. 3. od. 2. Nisi *divo* utrobique malis: ut est in codd. nonnullis. 7 Excipe *Thebais*. Nam Ovidii est in tertio de Arte: *Thebais Hectoreo nupta recedit equo*. Ac similiter Papinius. Sic, *Chaonia*, *Aonides*.

Similiter & alia sunt porrecta, quæ per η vel ω scribuntur: ut, Deiphobus, Deianira, Troës, Troades, *&c.* Eous *primam habet ancipitem, quia Græcè* ἕως *&* ἠώς, ἑῷος, *&* ἠῷος, *scribitur.*

Quæ Græcè ει *habent ante vocalem, Latinis sunt porrecta: ut* Æneas, Cassiopen, Centaurea, Deiopea, Galatea, Medea, *&c. Item* Basilius, Darius, Eugenius, Clio, Elegia, Iphigenia, Antiochia, *&c. Sed* chorea, platea, conopeum, *& proprium* Malea, *penultimam habent communem* 8. *Quòd si quis planè intelligere volet quantitatem vocum Græcarum, eum addiscere literas Græcas necesse est.*

8 Itidem *Academia.* Sed sæpiùs corripitur.

REGULA II.

Diphthongus natura est longa. Ut, *ætas, Musæ.*

Sed *præ* in compositione plurimùm corripitur. Ut, *præesse, præustus.*

* *Virg.* Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis.

Præ *in* præire, *corripitur à Pedone Albinovano, carmine ad Liviam:* Et venit, stella non præeunte, dies. *Item ab auctore poematis de Ætna; cujus est:* Ver præit æstatem. *Sed producitur à Statio 6. Theb.*

——Cùm vacuus domino præiret Arion.

Prima in Mæotis *est anceps.*

REGULA III.

Syllaba, ex duabus contracta [1], longa est natura. Ut, *cogo* ex *coago, alius* ex *aliius, tibicen* ex *tibiicen, it* ex *iit,* &c.

1 Crasin vocant: à qua distinguenda est συνίζησις, ut in *semihomo* trisyllabo, & *semianimus* tetrasyllabo: ubi non duæ vocales in unum contrahuntur; sed prior quodammodo absorbetur: eòque & syllaba brevis manet; ut infrà pleniùs dicetur.

* Quæ-

* *Quædam syncopen patiuntur, antequam fiat contractio. Vt* nil, *pro* nihil; bigæ, trigæ, *&* quadrigæ, *pro* bijugæ, trijugæ, *&* quadrijugæ 2; bobus, *vel* bubus, *pro* bovibus; junior, *pro* juvenior; nonus, *pro* novenus; malo, *pro* mavolo, *&c.*

2 Nisi facta ex *biaga*, *triaga*, *quadriaga*. Sed prius malim, quia integra sunt in usu.

REGULA IV.

Producitur vocalis ante duas consonantes, quarum utraque [1], vel altera saltem, in eadem sit dictione: ut, *carmen*, *sapiens*, *Deum cole*. Hæc κατ' ἐξοχὴν vulgò *Positio* vocatur.

Ea quoque fit, cùm post vocalem in eadem dictione ponitur una duplex: ut, *axis*, *apex*, *gaza*.

Pro duplici etiam Grammaticis censetur *j* positum inter duas vocales: ut, *ajo*, *rejicio*. Sed hoc locum non habet in compositis à *jugum*: ut, *bijugus*, & *quadrijugus*; quæ vocalem *i* corripiunt [2].

Cùm muta, & liquida L, vel R, in eadem syllaba [3] ponitur post vocalem natura brevem [4], vocalis ea in versu fit

1 Interdum etiam utraque consonans in sequenti est dictione: ut, apud Maron. *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.* Quod factum à poeta videtur ad exprimendũ turbatum animi affectum. Verùm quãdoque id Catullus, & alii, faciunt, ubi nihil tale fit: nempe solo Græcorum exemplo sibi hoc concedentes. Ac similiter Martialis: *Quid gladium demens Romana stringit in ora?* Quidam putant id perpetuum esse ante *sc*, *sp*, *sq*, & *st*: sed falluntur. Nam Maronis est, *Ponite spes*. Et, *Vnda Scamandri*. Et in Culice, *Horride squammosi volventia membra draconis*. Horatii quoque est, *Sæpè stylum vertas*. Item, *Fornice stantem*. 2 Censeo & aliàs corripi, si prior compositi pars in *i* desinat. Ut in *dijambus*: item si *semijovis* dixeris. Sed tutissimum est, nihil proferri citra auctorem. 3 Nam in diversis syllabis id locum non habet. Ut, *obligo*, *obruo*. 4 Non item post vocalem natura longam. Nam *atri*, & *acris*, producunt vocalem; quia ea est longa in *ater*, & *acer*. Et *simulacrum* habet *a* longum; quia est à *simulatum*.

communis[5]: ut, *reflo*, *repleo*, *poples*, *locuples*, *atris*, *tenebræ*.

Similiter in Græcis: ut, *Atlas*, *Cyclops*, *pharetra*.

Etiam in Græcis, M & N[6], idem præſtant: ut, *Tecmeſſa*, *Cygnus*, *Progne*, &c.

U quoque liqueſcit inter Q, & vocalem ſequentem. Ut, *aqua*, *aliquis*, &c. Nam vocalis hìc ante Q corripitur: etſi U ſequatur cum vocali in eadem ſyllaba.

Hactenus regulæ generales: ſequuntur ſpeciales; quarum aliæ ad primas, & medias: aliæ ad ultimas ſyllabas, pertinent.

5 Ut apud Ovid. 11. Met. *Et primò ſimilis volucri, mox vera volucris*. Item: *Nox tenebras profert, Phœbus fugat inde tenebras*. Videndum autem, an in iis, etiam ubi vocalis brevis præceſſerit, occurrat idonei ſcriptoris auctoritas, cui ſyllaba ſit longa. Nec enim in *genitrix* temerè produxerim penultimam. 6 Græci hoc quoque faciunt in *mn*, *gd*, *pt*. Quorum imitatione idem in *ſmaragdus* fecit Martialis hoc verſu: *Sardonychas*, *ſmaragdos*, *adamantas*, *jaſpidas uno*.

DE PRIMIS, ET MEDIIS SYLLABIS.

REGULA I.

Derivata dictio ſequitur quantitatem primitivæ. Ita corripiuntur prima, ſecundaque, in *animare*, & *animoſus*; quia breves ſunt in *animus*. Contrà eædem producuntur in *naturalis*, quoniam producuntur in *natura*: cujus prima eſt longa, quia longa eſt in ſupino *natum*.

* *Sic ſecunda in* virgineus, & ſanguineus, *corripitur; quia correpta eſt in* virgini, & ſanguini: *producitur penultima in* aratrum, ambulacrum, volutabrum,

quia

quia porrecta est in aratum, ambulatum, volutatum 1. *At prima in* liquidus *est anceps; quia nunc est à* liqueo, *quod primam corripit; nunc à verbo* liquor, *quod primam producit, cùm tertiæ est conjugationis. Nam* liquatur *quidem dicimus prima correpta, sed* liquitur *eadem producta. At* liquor *nomen semper priorem habet brevem.*

1 Similiter in *eruditio* altera corripitur, quia idem fit in *erudis*. Et contrà eadem producitur in *verecundus, delubra, saluber*; quia hæc longa est in *vereri, dolatum, salutis*. In postremo hoc plurimùm peccatur. Atqui Ovidii est, *Phœbe saluber ades*. Item longa est eadem in *sempiternus*; quia est ab *æternus*.

EXCIPIUNTUR.

I. Brevia à primitivis longis: ut *dux*, [2] *ducis*, à *duco*; *dicax* à *dico*; *sopor* à *sopio*; *sagax* à *sagio*; *dito* à *dis, ditis*; *fides* à *fido*; *lucerna* à *luceo*; *odium* ab *odi* [3]; *nota* à *notum*; *molestus* à *moles*; & plura alia [4], quæ usu meliùs discentur.

II. Longa à primitivis brevibus: ut, *vox vocis* à *voco*; *lex legis* à *lego*; *rex regis*, & *regula*, à *rego*; *tegula* à *tego*; *sedes* à *sedeo*; *suspicio* à *suspicor*; *macero* à *macer*; *humor* ab *humus*; *humanus* ab *homo*; *secius* à *secus*; & alia [5], quæ usus docebit.

2 Etsi Tullius aliter ἐτυμολογίζει. Sed omninò ut πίστις à πείθω; ita *fides* à *fido*, quod à πείθω. 3 Nisi antiquum præsens *odio* corripuit primam; atque inde *odium* eandem retinet quantitatem. Et sanè hoc est verisimilius. 4 Ut sunt, *bubulcus* à *bubus*, *arena* ab *areo*, *nato* à *natum*, *varicosus* à *varix*, aut *varicus*, *quasillus* à *qualus*, &c. Præcipuè verò id fit omissione consonæ unius. Ut, *dissertus* à *dissero*, *farina* à *farre*, *curulis* à *curro*, *ofella* ab *offa*, *mamilla* à *mamma*, *tigillum* à *tignum*, *sigillum* à *signum*, &c. 5 Cujusmodi eò libentiùs omisimus; quia multa, quæ Grammatici adferunt, originis sunt incertæ. In aliquibus verò negligunt ἀναλογίαν, ut cùm excipiunt *jucundus* à *juvo*; quasi non sit à supino *jutum*, ut à *fatum*, *facundus*. Ac par ratio in *jumentum*. Ab *Apulus* est *Apulia*. Et tamen secunda in *Apulus* semper est correpta: in *Apulia* semper porrecta. Etiam prima licèt in *Apulus* perpetuò sit brevis; eadem tamen in *Apulia* est anceps.

REGULA II.

Quantitas compositi cognoscitur ex simplici; & simplicis ex composito. Ita eadem est quantitas in *lego*, & *perlego*; *legi*, & *perlegi*. Sic *probus*, *improbus*; *scribo*, *adscribo*; *venio*, *advenio*, *advenis*.

* *Servatur etiam quantitas, si vocalis mutetur. Vt*, eligo, seligo, *à* lego: cado, óccido; cædo, occído: allido, collido: obedio, obédis, *ab* audio, *&c.*

Corripies tamen composita in *dicus* à *dico*: ut, *caussidicus*, *veridicus*: *dejero*, & *pejero*, à *juro*: *cognitum*, & *agnitum*, à *notum* [1]: *semisopitus*, à *sopio*: *nihilum*, à *ne*, & *hilum*: *innuba*, & *pronuba*, à *nubo*. *Connubium* verò est antepenultima communi [2]. Secunda in *imbecillus* est longa, etsi prima in *baculus* sit correpta. Itidem participium *ambitus* producit secundam contra naturam supini: quam potiùs sequitur nomen *ambitus*; uti & derivatum ejus *ambitio*.

1 Nempe in *cognitum*, & *agnitum*, sequuntur Latini naturam polysyllabarum simplicium, ut sunt *habitum*, *bibitum*, & similia.

2 Sanè Maro, ut secundam in *connubia* producit; sic eandem corripit in *connubio*, & *connubiis*. Nisi placet, hæc ei esse trisyllaba κτ̀ συνίζησιν.

REGULA III.

Præpositiones in compositis quædam breves sunt, quædam longæ.

Breves sunt [1], *ab*, *ad*, *ante*, *circum*, *in*,

1 Eò præpositiones hæ sunt breves in compositione; quia breves sunt extra compositionem. E. G. ut *in arma*, sic *inermis* dicimus *in* correpto. Ac pertinent huc quoque *aperio*, *operio*, & *omitto*: quorum primum est ex *ab*, & *pario*; alterum ex *ob*, & *pario*; tertium ex *ob*, & *mitto*; *b* extritum est: cæteroquin prima esset positione longa, quæ nunc corripitur.

ob,

ob, *per*, *re*, *sub*, *super*. Ut, *abeo*, *adaugeo*, *antefero*, *circumeo*, *obambulo*, *pereo*, *redeo*, *subeo*, *superaddo*.

Re in *refert*, pro *utile est*, producitur; quia non à præpositione *re*, sed à nomine *res*, proficiscitur.

* *In nonnullis tamen & præpositio* re *producitur à poetis geminando consonantem: quomodo crebrò legas* relligio, repperit, reppulit, rettulit.

Longæ sunt [2], *à*, *de*, *di* [3], *è*, *se*, *pro* [4]. Ut, *amitto*, *deduco*, *diligo*, *egero*, *secubo*, *profero*.

Excipitur *di* breve in *dirimo*, & *disertus*.

Pro etiam in multis corripitur: ut, *procella* [5], *profanus*, *profari*, *profectò*, *profestus*, *proficiscor*, *profiteor*, *profugio*, *profundus*, *pronepos*, *protervus* [6].

In quibusdam est anceps: ut, *procuro*, *profundo*, *propello*, *propago*, tam nomen, quàm verbum [7].

2 Nisi vocalis sequatur. Nam prima in *dehisco*, & *prohibeo*, corripitur. 3 Quod integrè fuerit *dis*: ut alibi dictum. Ac similiter lõgum *tra* ex *trans*. Ut in *trado*, & similibus. 4 Intellige præpositionem Latinam. Nam Græca est correpta: ut, *Propheta*, *Propontis*, *Prometheus*. Interdum tamen Latini etiam in Græcis sequuntur quantitatem Latinæ præpositionis. Quomodo Lucilius in *propolæ* primam producit. Atque hinc & prima in *propino* Martiali est anceps: uti & Terentio prima in *prologus*. 5 Similiter Lucretius, in sexto, corripere dicitur primam in *procello*, unde *procella* derivatur. Sed in melioribus nunc libris legitur; *Turbinis immanem vim promovit, atque procellæ*. Non *procellit*. 6 Par ratio in derivatis. Nam eadem est quantitas in *profugio*, & *profugus*; in *profanus*, & *profano*. 7 Tertullianus etiam primam corripit in *procreo*. Et contrà primam in *professio* producit Arator. Sed horum, similiumque, non paullò major in sacro, quod tractant, argumento, quàm in re metrica est auctoritas.

APPENDIX.

De compositis sine præpositione.

* *Absque præpositione compositi prior pars in* a, o,

exiens,

exiens, producitur: in E, I, *vel* U, *desinens, corripitur. Sed excipiuntur complura. Quare de singulis vocalibus accuratiùs dicendum.*

* In quibus A est longum; quia hujusmodi etiam est extra compositionem.

I. *In* A *exeuntia sunt longa: ut,* quare, quapropter, quacumque, quatenus *.

II. *Itidem, quæ in* O *terminantur: ut,* alioqui, controversus, introduco, quandoque, quandocunque, utrobique.

Excipe hodie, quandoquidem, *& conjunctionem* quoque; *quæ* O *corripiunt. Item composita ex duobus nominibus: ut,* bardocucullus. *Ac Drepanius similiter corripuit* O *in* sacrosanctus.

III. *In* E *terminata corripiuntur; idque & in prima, & media syllaba. In prima: ut,* nefas, nefastus, nefandus, nefarius, nequeo, neque. *Item,* tredecim, trecenti, equidem. *In secunda: ut,* valedico, madefacio, tremefacio 1. *In tertia: ut,* hujuscemodi.

1 Virgilius e in talibus corripit: producunt Lucretius, & Catullus: prior etiam extra cæsuram.

Excipe primam in sedecim, nequis, nequam, *&* nequitia, nequaquam, nequicquam, nequando, memet, mecum, tecum, secum. *Item secundam in* veneficus, *&* videlicet.

IV. *Corripiuntur quoque exeuntia in* I: *ut in prima,* biceps, triceps, bicolor, tricolor, bivium, trivium, siquidem. *In secunda: ut,* agricola, patricida, aliger, artifex, caussidicus, fatidicus, omnipotens, totidem, tubicen, unigenus, *&c.*

Excipe ea, in quibus I *pro casibus variatur: ut,* quidam, quivis, quilibet, quicunque, qualicunque, quantivis, unicuique, reipublicæ, *&* idem, *masculinum.*

Item hæc crasin, aut syncopen, passa: tibicen, licet, scilicet, bigæ, quadrigæ, pridie, postridie *.

* Quæ duo postrema ad proximum etiam canonem pertinent.

Adhæc à dies *derivata: ut,* biduum, triduum, meridies. *Sed* quotidie *est anceps.*

Producunt I *etiam,* triceni, tricesimus, siquis: *item* nimirum, ibidem, ubique, utrobique, ubivis. *Sed in* ubicunque *est anceps, ut in* ubi.

V. *Exeun-*

V. *Exeuntia in* U *corripiuntur: in prima; ut*, ducenti, dupondius: in *media; ut*, quadrupes. *Ac similiter in Græcis litera* y *terminata: ut*, Polydorus.

REGULA IV.

Omne præteritum, & supinum disyllabum, primam habet longam: præteritum verò geminatum, primam brevem: ut, *movi, motum; momordi, fefelli.*

EXCIPIUNTUR *brevia.*

Præterita sex: *bibi, dedi, steti, tuli, scidi,* & *fidi*, à *findo* [1]. Item supina novem: *datum, satum, ratum, itum* [2], *quitum, litum, situm, rutum, citum* à *cieo* [3].

Venientia à supino *statum*, alia producunt primam; ut, *staturus* [4], *constaturus*: alia corripiunt; ut, *status*, unde, *præstitus, statuo, stabilis, stabulum.*

Præterita autem, & supina polysyllaba, tantam habent primam, quanta est prima præsentis. Ita corripiuntur, *vocavi, vocatum*: producuntur, *clamavi, clamatum.*

Excipe *posui, positum*: item *solutum*, & *volutum*: quæ primam corripiunt.

1 Nam *confidi*, pro *confisus sum*, habet secundam longã. Sex etiam istis adde *stiti*.

2 Ab *ambio* tamen participium *ambitus, a, um*, quod valet *circumdatus*, producit penultimam: (sed alii eam corripiunt: ut, *ambitus*, nomen, sive pro honoris cupiditate;) item *exitus*, & similia; ut superiùs diximus.

3 Nam à *cio, cis*, quartæ, priorem producit: unde, *accitus, excitus*. At à *cito* corripitur *i*: unde *concito, excito, recito*. Sic *citus*, pro ταχὺς, sive *celer*, corripit priorem. At (quod Donatus, & Nonius, non satis attenderunt) *citus* pro *divisus* producit eam. Ut *erctum citum, erctum non citum*; quæ sunt à *cio* pro *divido*. Unde & *erctum ciendum*, hoc est, *dividendum*. Vide Servium in 8. Æn.

4 Sic & *stator* à *sisto*.

* Genui,

* Genui, genitum, *sequitur quantitatem antiqui* geno: coegi, coactum, *retinet naturam integri* coago: potui, *sequitur integrum* potis sum, *unde fit* possum.

Penultima polyssyllaba præteriti exeuntis in si, *&* vi, *est longa*: *ut*, divisi, audivi.

Supina polyssyllaba producunt penultimam. Excipe supina itum *non venientia à præteritis in* ivi: *ut*, crepui, crepitum; habui, habitum; bibi, bibitum, *&c. Sed si ultima præteriti syllaba sit* vi, *producuntur*: *ut*, amavi, amatum; vievi, vietum; petivi, petitum; audivi, auditum.

REGULA V.

Accentus in polysyllabis ostendit penultimam longam, si attollitur, aut circumflectitur: brevem, si gravatur. Ut, *amamus*, *legimus*.

Antepenultima, si potest, redigenda est ad penultimam deminutione: ut, *hominibus*, *homini*; *amabamus*, *amabam*.

REGULÆ SPECIALES

de ultimis syllabis.

Ac primum de monosyllabis.

Monosyllaba producuntur: ut, *a*, *de*, *i*, *do*, *tu*, *sic*, *en*, *quin*, *non*, *cras*, *par*, *Nar*, *sal*, *spes*, *vis*, *mos*, *rus*.

Excipe encliticas, *que*, *ne*, *ve*, & syllabicas adjectiones, *ce*, *te*, *pte*.

Item exeuntia in *b*, *d*, *l*, *t*. Ut, *ab*, *ad*, *mel*, *fit*: præter *sal*, & *sol*, longa.

Ex

Ex terminatis in *c*, breve est *nec* [1]: commune est *hic* [2] pronomen: ut & *hoc* [3], nisi fuerit ablativus; qui semper producitur: *fac* sæpiùs breve est.

Corripiuntur quoque, *an*, *in*, *per*, *fer*, *ter*, *vir*, *cor*, [4] *es* à verbo *sum* [5], *quis*, *bis*, *is* pronomen [6], & *cis* præpositio: item *os*, *ossis* [7]. *O* sequente vocali est anceps.

1 *Lac* corripi ajunt; sed producit Serenus. At *par* in obliquis primam corripit. *Nar* contra in iis producit Ennius 6. Annal. *Sulfureas posuit spiramina Naris ad undas*. *Sal* verò etsi porrectum, *salis* tamen corripit priorem. 2 Nisi cum vett. Grammaticis dicere malis, *hic* semper corripi: at ubi produci videtur, *hice*, id est, *hicce*, scriptum fuisse. 3 *Hoc* nominativus Maroni producitur: at contrà corripitur auctori Ithyphallico; item in carmine antiquo ad Sancum. Sed videtur Maro scripsisse, *Hoc illud germana fuit*, id est, *hocce*. Quod etsi verum censeo, tamem placuit sequi sententiam vulgatiorem. 4 Semel Ovidius corripere dicitur epist. Sapphus. Sed locus est controversus. 5 Nam ab *edo* producitur, ut monet Servius. 6 At *is*, & *cis*, cùm verba sunt, producuntur: uti & *os*, *oris*. De *cis*, quod corripi ajebam, auctorem sequor Probum: etsi non ignarus, Victorinum, & Servium, dissentire. Probum in compositione sequi etiam maluit Petrarcha in quarto Africæ, cùm ait: *Flenda Cisalpinis jam Gallica rura colonis*. Sed tutissimum, istis abstinere. 7 Addunt aliqui *vas vadis*: verùm, ut censeo, sine auctore.

OBSERVATIO.

Monosyllaba retinent quantitatem, cùm sunt posterior pars compositi. Itaque, ut longa sunt, *fas*, *sis*, *vis*, & ablativus *re*: ita & producuntur, *nefas*, *adsis*, *possis*, *mavis*, *quamvis*, *quare* [1]. Et contrà, ut corripiuntur, *fer*, *vir*, *es*, *quis*, *os*, *ossis*: ita & brevia sunt, *perfer*, *semivir* [2], *ades*, *potes*, *ecquis*, *aliquis*, *exos*.

1 Itaque & in *alioquin* ultimâ producam; quia *quin* est longum Maroni. Et *tripes* producere malim cum Horatio, quàm corripere cum Ausonio; partim ob potiorem Horatii auctoritatem; partim quia *pes* producitur Maroni, & Propertio. 2 Sic *triumvir*.

REGULÆ SPECIALES
de disyllabis, & hyperdisyllabis.

A

In *a* longa sunt: ut ablativus *mensa*, *ama* [1], *contra* [2], *erga*.

EXCEPTIO.

Corripiuntur nominativi, accusativi, & vocativi [3] in *a*: ut, *mensa*, *poema*, *carmina*.

Item, *quia*, *ita*, *eja*, *postea* [4], *puta*, pro *videlicet*.

Numeralia in *ginta* interdum corripiuntur: ut, *triginta*, *quadraginta*.

1 Nempe imperativi primæ, si originem spectes, sunt contracti ex antiquis in *ae*. Nam ab *amo* fuit trisyllabum *amae*, ex quo *ama*: ut Græcis ἄμαε, ἄμα, *mete*. Ac similiter à *doceo* fuit *docee*, ultima brevi, ex quo *doce*, *e* longo: ut Græcis δόκεε, δόκει. 2 *Contra* Manilius, & Ausonius, corripiunt: sed producunt Maro, & Valerius Flaccus; quorum potior auctoritas. 3 Sed vocativi Græci à nominativis in *as* producuntur; ut *Ænea*. Ab *es*, corripiuntur; ut *Thyesta*, *Oresta*. 4 At in *antea* producunt Catullus, & Horatius.

E

In *e* brevia sunt: ut, *cubile*, *patre*, *curre*, *impune*, *ante*.

EXCIPIUNTUR.

I. Græca in *e* longum [1], cujuscunque casus: ut, *Lethe*, *Anchise*, *cete*, *mele*, *tempe*.

II. Ablativi quinctæ declinationis: ut, *die*, *fide*. Et adverbia à *dies* [2] derivata: ut, *hodie*, *pridie*, *postridie*, *quotidie*. Item ablativus *fame* [3].

1 Hoc est, quæ Græcè per η scribuntur. 2 Par ratio in derivatis à *res*: ut *quare*. Sed de hoc constat ex observatione de compositis ex monosyllabis. 3 Nempe quia antiquis erat quinctæ declinationis.

III. Im-

III. Imperativi singularis secundæ conjugationis: ut, *doce*, *mane*. Sed *vale*, *cave*, & *vide*, interdum inveniuntur ultima correpta[4].

IV. Adverbia derivata ab adjectivis secundæ declinationis: ut, *doctè*, *pulchrè*, *valdè* quod ex *validè* &c. Præter *benè*, & *malè*. Item longa sunt *ferè*[5], *fermè*, *ohe*.

4 Videtur hoc ex eo fieri; quia pleraque verba secundæ antiquis etiam fuerint tertiæ: quomodo *fulgeo*, & *fulgo*; *oleo*, & *olo*, dixere. 5 Ausonius *ferè* corripit: sed producunt Maro; & alii.

I.

In *i* longa sunt: ut, *viri*, *doceri*.

EXCIPIUNTUR.

Nisi & *quasi*; quæ corripiuntur.

Uti & dativi, & vocativi Græci[1]: ut, *Palladi*, *Minoidi*, *Pari*, *Amarylli*.

Communia sunt, *mihi*, *tibi*, *sibi*, *cui* disyllabum. Item, *ubi*, *ibi*, *uti*[2], cum compositis: ut, *sicubi*[3], *alibi*[4], *sicuti*[5], *veluti*.

* Ibidem, *tamen*, *&* ubique[6], *semper producunt mediam*: *ac* utique *eam semper corripit*: ubicunque *secundam habet ancipitem*.

1 *Oresti*, *Pyladi*, & similes producuntur; quia sunt Latini, non Græci. Quippe Græcis est Ὀρέστῃ, Πυλάδῃ, cùm sint primæ simplicium. Sed nec corripi possunt dativi contracti, quia obstat regula generalis: ut, *Demostheni*, Δημοσθένει, *Metamorphosi*, Μεταμορφώσει. 2 *Uti* tutiùs producitur exemplo Horatii, & Propertii. Nec puto breve apud classicos reperiri. 3 *Sicubi* meliùs corripitur, Maronis exemplo. 4 *Alibi*, & *veluti*, malim cum vett. producere. 5 *Sicuti* tutiùs corripitur. 6 Quidam anceps censent ob Horatii locum, *Non ubivis*, *coramque quibuslibet: In medio qui*. Sed alii divisim legunt, *Non ubi vis*; vel, *Non ubi sis*.

O.

In *o* communia sunt: ut, *homo*, *amo*.

EXCIPIUNTUR.

Dativi, & ablativi, in *o*; qui producuntur: ut, *Domino*, *Deo*.

Et adverbia inde orta: ut, *tantò*, *quantò*, *certò* [1], *meritò*, *falsò*, *primò*, *eò*, *ideò* [2], &c. præter anceps *serò* [3].

Producuntur etiam, quæ Græcè exeunt in ω longum [4]: ut, *Alecto*, *Echo*, *Sappho*, hujus *Androgeo*, hunc *Atho*.

Rectiùs corripies, *ego*, *scio*, *nescio*, *cedo* pro *dic*, *duo*, *cito*, *illicò*, *imò*, *modò*, cum compositis: ut *quomodo*, *dummodo*, *postmodo*.

Gerundia Virgilius producere solet; sed alii non rarò corripiunt: ut, *eundo*, *vigilando*.

1 Similiter & conjunctio *verò*: item *ergò* pro *caussa*. *Omninò* corripit Prosper. sed cũ Marone tutiùs produxeris.
2 Par ratio in *adeò*.
3 Itidem cõmunia statuunt, *sedulò*, *crebrò*, *mutuò*: quæ tutiùs producuntur. *Profectò* corripit Terentianus Maurus. 4 Non item, quæ *n* abjiciunt: ut, *Apollo*, *leo*, *Plato*: ubi o variatur.

U.

In *u* longa: ut, *cornu*, *fructu*, *dictu*, *diu*.

* *Sed* indu, *quod* in *valet*, *antiquis breve erat*. *Item* nenu, *pro* non. *Utroque usus Lucretius*.

Y.

In *y* brevia: ut, *moly*, *Tiphy*.

C [1].

In *c* longa: ut, *istic*. Sed *donec* corripitur.

1 Nomina in *b*, & *g*, exeuntia, peregrina sunt: ut *Job*, *Jacob*, *Magog*; quæ Græcè scribuntur per ω: eòque rectiùs producuntur.

d breve

D.

d breve est: ut, *apud* [2].

L.

In *l* brevia: ut, *consul*, *pugil*, *semel*, *simul*.

* *Hebræa in l, quæ Græcè scribuntur per vocalem longam, producuntur: ut*, Daniel, Michael [3].

M.

m nunc ante vocalem eliditur [4]. Sed olim corripiebant [5]. Quod in compositione remansit: ut, *circumeo*, *circumago*.

N.

Corripiuntur nomina in *en*, habentia *inis* in genitivo: ut, *carmen*, *pecten*.

Item, *forsan*, *forsitan*, *tamen* [6], *attamen*, *viden*, *nostin* [7].

Et apocopen passa syllaba *de*: ut, *dein*, *proin*.

Prætereà Græca exeuntia in *o* parvum [8]; quæ Latinis sunt secundæ declinationis: ut, *Ilion*, *Erotion*, *Pylon*.

Adhæc accusativi Græci nominum, quorum nominativus est brevis: ut, *Majan*, *Æginan*, *Thetin*, *Alexin*, *Ityn*. Et dativi plurales in *in*: ut, *Arcasin* [9].

2 *David*, *Bogud*, & similia peregrina, meliùs producuntur.

3 Punicum *Hannibal* corripitur, instar Latini *cervical*.

4 Per ecthlipsin: de qua posteà.

5 Ennius: *Insignita ferè tum millia militum octo*.

6 Corripiuntur *forsan*, & *forsitan*; quia *an* est breve, & monosyllaba in compositione primitivi quantitatem retinent: ut antè diximus. Nam *forsan* est ex *fors an*: *forsitan* ex *fors sit an*. Uti & *fortasean* ex *fortasse*, & *an*. 7 *Viden* crebrum est: *nostin* Ovidio breve est ep. Med. Quæritur de *scin*, *audin*, & similibus. Sed cùm in iis destituamur autoritate classici scriptoris, tutiùs sanè illis abstinebimus. 8 Nam, quemadmodum mox dicetur, per *o* magnum prolata producuntur. Ut, *Actæòn*, *Cimmeriòn*: Tibull. *Cimmeriòn etiam obscuras accessit ad oras*. 9 Sic Martianus Cap.

Producitur ex Latinis *lien*.

E Græcis longi sunt nominativi masculini, & feminini: ut, *Titan*, *Paan*, *Hymen*, *Trœzen*, *Siren*, *Salamin*, *Delphin*, *Pandion*, *Actæon*, *Phorcyn*.

Producuntur quoque accusativi Græci nominum in *as*, *es*, *e*: ut, *Ænean*, *Anchisen*, *Calliopen*. Item genitivi plurales: ut, *Cimmerion* [10].

10 Exemplũ ex Tibullo proximè vidimus.

R.

In *r* brevia: ut, *Amilcar*, *semper*, *semivir*, *precor*, *turtur*.

Sed composita à *par* [11] sequuntur simplicis naturam: ut, *impar*, *compar*, *dispar*.

Producuntur etiam Græca in *er*, quæ genitivo crescunt [12]: ut, *aër*, *æther*, *crater* [13].

11 Instar aliorum à monosyllabis venientium, de quibus superiùs diximus.

12 Non item isosyllaba: ut *pater*, *mater*. 13 Sed *Celtiber* Martiali corripitur: nec, qui producat, occurrit.

AS.

In *as* longa: ut, *bonitas*, *Æneas*, *mensas*, *amas*, *foras*.

EXCIPIUNTUR.

I. Græci nominativi in *as*, quorum genitivus desinit in *ados* [1]: ut, *Ilias*, *Pallas*, *Arcas*. Quibus adde Latinum *anas*.

II. Accusativi Græci plurales tertiæ declinationis: ut, *crateras*, *cyclopas*, *heroas*, *Troas*.

1 Nam si aliter forment genitivum, producitur *as*: ut *Æneas*, *Thomas*, *Pallas* *Pallantis*.

ES.

ES.

In *es* longa: ut, *locuples*, *Anchises*, *panes*, *dices*, *octies*.

EXCIPIUNTUR.

I. Nomina tertiæ declinationis, in quibus penultima genitivi crescentis corripitur [1]: ut, *miles*, *seges*, *teges*, *pedes*. Præter *Ceres* [2]. Imò & præter *abies*, *aries*, *paries* [3].

II. Præpositio *penes*.

III. Neutra Græca singularia in *es*: ut, *hippomanes*, *cacoëthes*. Item Græci nominativi [4] plurales in *es* [5], quorum nominativus singularis crescit in obliquis: ut, *Archades*, *Thraces*, *Troades*.

1 Quippe si longa sit genitivi penultima, *es* quoque longum fuerit: ut, *hæres*, *locuples*. Contrà, corripitur in *obses*, quia in genitivo est breve. Ovid. *Sponsor, & obses ero*. 2 Quod indicat iste Martialis scazon: *Hic farta premitur angulo Ceres omni*. 3 Nisi, quòd tria hæc producuntur, cæsuræ potiùs tribuendum. 4 At accusativi *Arcades*, *Thraces*, & similes, sunt longi. Quid mirum? Latini enim sunt, non Græci; apud quos desinunt in *ας*. Itaque producit Juvenalis sat. 7. *Oenophorum*, *tripodes*, *armaria*, *cistas*. 5 Sive nominativi Græcè desinentes in *ες* breve, non in *εις* diphthongum. Nec enim *Syrtes* & similes nominativos, corripere liceat.

IS.

In *is* brevia sunt; ut, *piscis*, *opis*, *dicis*, *amatis*.

EXCIPIUNTUR.

I. Dativi, & ablativi plurales: ut, *mensis*, *dominis*, *nobis*, *vobis*.

Item accusativi: ut, *omnis*, *urbis*.

II. Quæ penultimam genitivi crescen-

tis producunt: ut, *Salamis*, *Salaminis*; *Samnis*, *Samnitis*.

III. Græca in *ois*: ut, *Simois*, *Pyrois* [1].

IV. Secundæ personæ singulares indicativi præsentis in quarta conjugatione: ut, *audis*, *dormis*.

V. *Velis* [2] cum compositis, *malis*, *nolis*.

VI. Secundæ personæ futuri subjunctivi sunt communes: ut, *amaveris*, *docueris*. Unde & pluralis penultima legitur longa: ut,

—*Vitam dederitis in undis*. Ovid. [3].

* *Adverbia duo*, foris *quidem Horatio*, *at* gratis *Martiali*, *producuntur*: *nisi id cæsuræ attribuendum*.

1 Quia Græcè Σιμόεις, Πυρόεις.

2 Videtur idem statuendum de *faxis* & *ausis*.

3 Sic idem Ovid. *Et maris Ionii transieritis aquas*. Item Catullus hoc Phaleucio: *Et cum millia multa fecerimus*. At etiam corripi, indicat hoc Nasonis: *Hæc ubi dixeritis, servet sua dona rogata*. Et similia alibi.

OS.

In *os* longa: ut, *custos*, *honos*, *dominos*, *illos*.

EXCIPIUNTUR.

I. *Compos*, & *impos* [1].

II. Græca, quæ scribuntur per *o* parvum [2]: ut, *chaos*, *Delos*, *Pallados*, *Arcados*.

1 De *impos* non alia, quàm Plauti, occurrit auctoritas: quæ sicuti non suffecerit, ἀναλογίας ratio valeat; quia similiter se res habet in *impos*, ac *compos*, cùm utrumque sit à *potis*, eòque ut *compotem*, ita *impotem*, dicamus. 2 Nam per ω scripta producunt: ut, *Athos*, *Minos*, *heros*, *Androgeos*. Ovid. epist. 10. *Viveret Androgeos utinam*.

US.

In *us* brevia: ut, *animus*, hic *fructus*, *illius*, *amamus*, *sæpius*, &c.

EXCIPIUNTUR.

I. Omnes casus in *us* quartæ declinationis, præter nominativum, & vocativum singularem: ut, *hujus fructus* [1]; & *hi*, *hos*, & *ò fructus*.

II. in genitivis habentia *u* longum: ut, *palus* [2], *salus*, *incus*.

III. Quæ Græcè in *ους* desinunt: ut, *Amathus*, *Sapphus*, *Mantus* [3]: præter composita à *ποῦς*: ut, *OEdipus*, *polypus* [4].

1 In caussa est, quia genitivus *fructus* contractus est ex *fructuis*: uti plurale *fructus* ex *fructues*.
2 *Palus* tamen semel Horatio corripitur. At non imitandum. 3 Sic & *Jesus*. 4 Nempe quia ejusmodi *υ* ex *ου* deperdunt, ac deinde *ο* in *υ* convertunt. At *tripus* & *Melampus* producunt *u*.

YS.

In *ys* brevia sunt: ut, *chelys*, *Tiphys*, *Capys*, *Libys*, *Tethys* [1].

1 Corripit hoc Ovidius: sed aliis producitur. Uti & accusativus *Tethyn*: non tamen extra cæsuram; ut extra eam tutiùs utroque casu corripiatur.

T.

In *t* brevia sunt: ut, *caput*, *amat*.

OBSERVATIO.

Ultima communis cujusque est syllaba versus.

DE EXEMPLIS.

Syllabæ, quæ superioribus regulis cognosci non possunt, auctoritate, sive exemplis poetarum cognoscuntur.

DE ARTE METRICA.

* *Doctrina de quantitate syllabarum in arte Grammatica necessariò traditur; quia ad benè loquendum requiritur. Nec enim benè loquitur, qui in pronunciando, aut producenda corripit, aut corripienda producit. Verùm notitia pedum, non pronunciationis, sed metri ergò, addiscitur; quia omne metrum ex pedibus constat. Quare doctrina metrica à pedibus, ut partibus, incipit: inde ad metrum, velut totum, accedit.*

DE PEDIBUS.

Ex syllabarum quantitate fiunt pedes.

Pes[1] est numerosa duarum triumve[2] syllabarum constitutio.

1 *Pes*, ut ajunt, vocatur tralatione ab animalibus sumpta; quia, ut animal pedibus, ita & versus pedibus incedere videtur. Quomodo Horatius ait, *versum currere*. Verùm non ἀμέσως ea vox est ab animalibus; sed est translata eò à saltatione; ubi in pedibus tollendis mora, ac celeritas spectatur. Unde rhythmus dicitur metriparens. Vide Suidam, voce ῥυθμός. Porrò in pedibus duo spectamus, ἄρσιν, sive *sublationem*, & θέσιν, sive *depositionem*; quæ duo numerum efficiunt. 2 Definimus pedem simplicem, qui propriè pedis nomen meretur: ac compositus non tam pes est, quàm pedes. Et sanè, si pes, uti definiunt, quævis est numerosa syllabarum constitutio; omnis versus erit pes; exempli gratia, versus Phalæcius, qui est numerosa constitutio undecim syllabarum; unde & carmen *hendecasyllabum* vocatur.

Dissylabi pedes sunt quatuor[1].

Pyrrhichius[2], qui est duorum temporum, ∪∪: ut, *deus*.

1 Quare quatuor hi pedes, & sequentes etiã istis vocentur nominibus, & quomodo præterea appellentur, exponit Diomedes libro tertio. Uti & è junioribus Aldus in quarto institut. Grammat. 2 Pyrrhichio, ut Hesychius ait, nomen datum ἀπὸ τῆς πυῤῥίχης, genere saltationis armatæ; quod plerique à Pyrrho Achillis filio, alii à Pyrrho Cydonio, repertum tradunt. *Bellicrepam saltationem* dixere Romani; ut videre est ex Festo Pompejo. Aliis hic pes παρίαμβος appellatur; ut est apud Fabium lib. 9. cap. 4. & scholiastem Hephæstionis.

Spon-

Spondeus 3, quatuor temporum, --: ut, *ingens*.

Jambus 4, priore brevi, posteriore longa, υ-: ut, *tenax*.

Choreus 5, qui vulgò trochæus, jambo contrarius, -υ: ut, *annus*.

3 Nomen spondei ex eo est, quia ἐν σπονδαῖς, sive libationibus sacrificiorum, ejus imprimis usus foret ob gravitatem quam obtinet. 4 Jambus vocatur non ab ἰαμβίζειν, quod potiùs ab jambo venit: sed vel ab Jambe puella, vel, quod verisimilius, ab ἰάπτω, quod est *maledicere*, quia nempe eo usi sunt convitiis, & maledictis. 5 *Choreum* Cicero, ac Fabius, vocant. Nomen hoc ex eo, quia aptus choris, ac saltationi. Vulgò ἀπὸ τοῦ τρέχειν, quia celeriter currit, *Trochæus* dicitur. Nec nova hæc est appellatio: quia sic aliis vocari agnoscit Fabius. Atque ita etiam nuncupat eruditissimus grammaticus, Terentianus Maurus.

Trisyllabi octo 1;

ex quibus quatuor primorum major est usus.

Tribrachys 2, υυυ: ut, *Priamus*.
Molossus 3, --υ: ut, *audire*.
Anapæstus 4, υυ-: ut, *domini*.
Dactylus 5, -υυ: ut, *carmina*.

1 Ex quibus unus temporum trium *tribrachys*: tres temporum quatuor, *anapæstus*, *dactylus*, & *amphibrachys*: tres item temporum quinque, *bacchius*, *antibacchius*, & *amphimacrus*: sex temporum, *molossus*. 2 A quantitate *tribrachys* dicitur: quomodo ab eadem *amphibrachys*, & *antimacrus*, nomen acceperunt. Olim *trochæus* dictus, etiam Ciceroni, Fabioque. Imò Hephæstio annotavit, & χορεῖον vocatum. Cur verò trochæus, & tribrachys, nomina commutent, in caussa est, quòd totidem habeant tempora; ut facilè alter in alterum resolvatur. Cicero in Oratore, & Quinctilianus lib. 9. cap. 4. ajunt, trochæum ab Aristotele *cordacem* vocari. Sed legendum videtur *cordacicum*. Nam verba Aristotelis sunt lib. 3. Rhetor. cap. 8. Ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος. 3 Nomen à Molossis, gente Epirotica, quæ eo pede delectabatur. 4 Nomen ἀπὸ τοῦ ἀναπαίειν, quod est *repercutere*: nempè quia saltantes contrario modo, ac in dactylo fit, terram ferirent. 5 Quasi dicas, *pes digitalis*. Nam δάκτυλος, *digitus*. Sic vocatur, quia, itidem uti digitus, habet partem unam duabus aliis longiorem.

Bacchius [6], ⏑ – –: ut, *egestas*.

Antibacchius [7], – – ⏑: ut, *cantare*.

Amphimacer, sive Creticus [8], – ⏑ –: ut, *castitas*.

Amphibrachys [9], ⏑ – ⏑: ut, *amare*.

6 Bacchium vocant etiā Fabius, & Hephæstio. Appellatio ex eo, quia illius usus foret in hymnis dithyrambicis; qui in Bacchi honorem canebantur. 7 Quasi dicas, *bacchio contrarius*. Hephæstioni nuncupatur *palimbacchius*. Marius Victorinus lib. 3. ubi agit de trimetro jambico, dicit, antibacchium constare brevi, & duabus longis: ut, *lacunas*. Ergo ei *antibacchius* est, quod aliis *bacchius*. 8 *Amphimacri*, & *Cretici* appellatio est apud Fabium. Apud Hephæstionem verò perperam pro κρητικὸς editum κελτικός. Sic dictus, quia Cretenses eo gauderent. 9 *Amphibrachys*, Diomede teste, aliter vocatus *scolius*, à *scolio*, quodam citharæ genere.

Tetrasyllabi XVI.

Qui veriùs διποδίαι, seu pedum συζυγίαι, quàm pedes, vocantur [1].

Proceleusmaticus [2], ⏑ ⏑ ⏑ ⏑: ut, *hominibus*; ex duobus pyrrhichiis.

Dispondeus [3], – – – –: ut, *concludentes*; ex duobus spondeis.

Choriambus [4], – ⏑ ⏑ –: ut, *historia*; ex trochæo, & jambo.

1 Ita Tullius, cui & Fabius subscribit l. 9. his verbis: *Et quidem Ciceronem sequar. Nam is eminentissimos Græcorum est secutus; excepto quòd pedes mihi trisyllabos non videtur excedere: quamquam ille pæone, dochimoque, utatur: quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrere putatur. Nec tamen ipse dissimulat, quibusdam numeros videri, non pedes. Quidquid enim supra tres syllabas, id est ex pluribus pedibus.* Hactenus ille. Pedes istos adjecimus nihilominus, propter aliquem eorum usum in carminibus illis, quæ ab his nomen acceperunt: ut est Choriambicum, Jonicum, &c. 2 Nomen ex eo esse videtur, quia præmitteretur hortatui nautico, qui Græcis κέλευσμα: ut κελευστής, qui Latinis *hortator*, vel *portisculus*. 3 Quasi geminatus spondeus. 4 Quasi dicas, choræus cum jambo.

Anti-

Antiſpaſtus [5], υ--υ: ut, *Alexander*; ex jambo, & trochæo.

Dijambus [6], υ-υ-: ut, *ſeveritas*; ex duobus jambis.

Dichoræus [7], -υ-υ: ut, *comprobare*; ex duobus trochæis.

Jonicus à majore [8], --υυ: ut, *cantabimus*; ex ſpondeo, & pyrrhichio.

Jonicus à minore [9], υυ--: ut *venerantes*; ex pyrrhichio, & ſpondeo.

Epitritus primus [10], υ---: ut, *ſalutantes*; ex jambo, & ſpondeo.

Epitritus ſecundus, -υ--: ut, *concitati*; ex trochæo, & ſpondeo.

Epitritus tertius, --υ-: ut, *communicant*; ex ſpondeo & jambo.

Epitritus quartus, ---υ: ut, *incantare*; ex ſpondeo, & trochæo.

Pæon primus [11], -υυυ: ut, *conficere*; ex trochæo, & pyrrhichio.

5 Ἀπὸ τοῦ ἀντισπᾶσθαι, quod eſt, *in contrarium trahi*. Nam à brevi trahitur in longam: à longa retrahitur in brevem. 6 Quaſi geminatus trochæus. 7 Hephæſtioni etiam διτρόχαιος. 8 A gente Jonica, quæ eo eſt pede gaviſa. *A majore* dictus, quia inciperet à majori quantitate; nempe à duabus longis. 9 *A minore* vocatus, quia inciperet à minori quantitate; puta à duabus brevibus. 10 Dicitur ἐπίτριτος, quia numerum in ſe habet, καὶ τὸ τρίτον αὐτοῦ, ut ait Hephæſtionis ſcholiaſtes. Nam præter longas tres habet unum tempus. A proportione igitur eſt id nomen. Sed primi, ſecundi, tertii, quarti, nomina ſunt à ſede, quam obtinet ſyllaba brevis. Secundus aliter dicitur Καρικὸς, tertius Ῥόδιος, quartus μονογενὴς, ut Hephæſtio auctor eſt. 11 *Pæon* aliter *pæan*. Nempe hæc nomina ſolùm dialecto differre videntur. Appellatio ex eo, quia uſus ejus foret in hymnis pæanicis. Pes eſt epitrito contrarius. Nam ut in epitrito tres longæ ſunt cum una brevi: ſic hìc una longa eſt cum tribus brevibus. Ac ſimiliter pro loco ubi eſt longa, dicitur pæon primus, ſecundus, tertius, aut quartus. Ita & Ariſtophanis ſcholiaſtes quatuor primas ſyllabas in ἐπωσαμένην dicit eſſe pæona. Porrò ſolus pæon primus, & quartus, faciunt metrum παιωνικὸν: ut Hephæſtionis ſcholiaſtes annotavit.

Pæon secundus, υ-υυ: ut, *resolvere*; ex jambo, & pyrrhichio.

Pæon tertius, υυ-υ: ut, *sociare*; ex pyrrhichio, & trochæo.

Pæon quartus, υυυ-: ut, *celeritas*; ex pyrrhichio, & jambo.

Hactenus de quantitate syllabarum, & pedibus.

DE VERSU.

1 Sic Scaliger.

VErsus [1] est pedum certo numero dispositorum castigata connexio. Ita dicitur, quòd eo constituto ad alterius principium vertatur [2].

In versu universè spectantur cæsura, depositio, & dimensio.

2 Plerique arbitrantur versum sic nuncupari, quia verba sæpiùs vertantur, ac castigantur: juxta illud Horatii, *Sæpè stylum vertas*. Sed simplicius, veriusque est, ex eo sic dici, quia oculos ab unius tractus lectione vertimus, ac reflectimus ad tractum sequentem. Ut quodammodo translatio esse videatur à versione boum in arando. Græcè dicitur στίχος: unde *hemistichium*, dimidius versus, ab ἥμισυς, *dimidius*. Item vocatur κῶλον, *membrum*, relatione ad metrum, cujus pars est nomen δίκωλον, τρίκωλον, &c.

De Cæsura [1].

Cæsura est, cùm post pedem superest syllaba, quæ finit dictionem. Sic vocatur, quasi sectio; quia ita secatur vox, ut posterior ejus pars initium sit pedis sequentis.

1 Ita vulgò appellatur, quæ Græcis τομὴ, & κόμμα: Ciceroni, & Victorino, *incisio*, & *incisum*: Diomedi, *mensio*, & *sectio*.

Species

Species cæsuræ sunt quatuor; triemimeris, penthemimeris, hephthemimeris, & enneemimeris [2].

Triemimeris est, cùm post primum pedem relinquitur syllaba; penthemimeris, cùm post secundum; hephthemimeris, cùm post tertium; enneemimeris, cùm idem post quartum pedem fit [3]. Tres priores cæsuræ concurrunt in hoc versu:

Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.

Universæ autem in illo:

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Ex his penthemimeris maximè frequentatur in carmine heroico [4]. Ea si absit, eleganter fit cæsura post primum, & tertium pedem: ut,

Ille meas errare boves [5].

2 Quasi dicas, *semiternaria*, *semiquinaria*, *semiseptenaria*, *seminonaria*. Ubi numerus innuitur partium pedis. At integros si pedes numeres, penthemimerim rectiùs *sestertium* dixeris, quasi semitertiū. Quomodo *in lege* XII. *Tabul. duo pedes, & semis, sestertius pes vocatur*: ut est apud Volusium Mæcianum libro de asse. 3 Addere possis & hendechemimerim, quæ post quinctum pedem fit. Ut apud Maron. *Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox*. Item, *Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos*. Sed hæc rarissima est: &, nisi exquisito utaris judicio, versum omninò reddit duriorem: quæ caussa est, cur à grammaticis ferè soleat præteriri. 4 Monitum id Varroni quoque in libris Disciplinarum: ut exinde refert Gellius lib. 18. cap. 15. *Observasse se in versu hexametro, quòd omnimodo quinctus semipes verbum finiret*. Neque id tamen perpetuum est: ut sequentia ostendunt. 5 Sic, *Formosam resonare doces*. Item, *Nil nostri miserere*. Item, *Cum venti posuere*. Quæ ipsius sunt Maronis. Tibulli verò est: *Quisquis amore tenetur, eat tutusque, sacerque*. Est & cùm tertius pes à voce disyllaba incipit. Ut hoc Maronis: *Addens humida mella, soporiferumque papaver*. Cujusmodi si longè rarissima sint, novitate delectant. At, ut Gellius monet lib. 18. cap. 15. planè cavendum, ne vox aliqua tertium heroici pedem absolvat. Ut in hoc Lucretii lib. 3. *Concutitur cùm sanguis, viscera persentiscunt*. Item in Batrachomyomachia: Τρωξάρτης δέ τε πέφνε Πτερνογλύφον βασιλῆα. Vide Muretum lib. 11. Var. Lect. cap. 6. Atque idem etiam in jambicis senariis vitandum: ut eidem Gellio observatum. Aristophanes tamen non refugit in Pluto. Ἀλλ' ἴθι σὺ μὴ ταχέως δραμών. Τί δρῶ; λέγε. Atque hæc Gellio Muretus obducit. Sed profectò non Maro, aut Horatius,

Ver-

Versus, qui omni cæsura caret, imprimis heroicus[6], planè est invenustus. Ut,

Aurea carmina, Juli, scribis, maxime vatum.

Sic, *Urbem fortem nuper cœpit fortior hostis*[7].

hoc fecissent. Romani nempe Musas coluere severiores. Dixeris, Varronem quoque id negligere: ut in hisce jambicis tetrametris catalecticis: *Aut frigidos nimbos aquæ caduciter ruentis Præinnuere aquatiles querquedulæ natantes.* Verùm ratio hìc dispar. Nam tetrametra hujusmodi duobus constant dimetris; priori quidem acatalectico; posteriori autem catalectico: ac sic quoque, divisis nempe versibus, scribi possunt. Cum trimetris longè aliter se res habet. 6 Et tamen sic Ennius, cujus illud: *Romæ mœnia terruit impiger Hannibal armis.* Sed hujusmodi rancida, veternoque oblita, non debent esse pro exemplo. Nec interea tamen, quod de heroico, & jambico senario, dicebamus, in quovis carmine locum habet. In choriambico enim, & alio uno alteroque metro, secùs est comparatum; ut inferiùs dicemus. 7 Nec multùm absimilis ille Lucillii versus apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium lib. 4. *Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Æli.* Et Horatii ille: *Præter cætera Romæ mene poëmata censes Scribere?* Et hic ejusdem: *Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis.* Imò nec grati auribus, in quibus sola est hephthemimeris. Ut ille Lucretii: *Et jam cætera, mortales quæ suadet adire.* Item: *Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapori.* Quales & alii apud eundem.

Ob cæsuram sæpè syllaba natura brevis producitur: imprimis post pedem secundum, & tertium.

Post primum: ut,

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Post secundum: ut,

Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis.

Post tertium: ut,

Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.

Post

Post quartum: ut,

Grajus homo infectos linquens profugus Hymenaeos.

De Depositione.

Depositio [1] est terminatio dimensionis, ex qua cognoscitur de versus abundantia, plenitudine, ac defectu.

Ratione hujus, versus est, vel acatalecticus, vel catalecticus, vel brachycatalecticus, vel hypercatalecticus.

Acatalecticus est, cui nihil aut superest, aut deest: ut,

Musae Jovis sunt filiae.

Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut,

Musae Jovem canebant.

Brachycatalecticus, cui in fine pes deest: ut,

Musae Jovis gnatae.

Hypercatalecticus, in quo una, aut duae syllabae supersunt: ut,

Musae sorores sunt Minervae.

Item,

Musae sorores Palladis lugent.

Hic etiam ὑπέρμετρος, vocatur: de quo & paullò pòst agemus.

1 Graeci Grammatici similiter ἀπόθεσιν vocant; item κατάληξιν: hoc est, *terminationem*, sive *clausulam*. Nam καταλήγειν, *desinere*. Indeque appellationes acatalectici versûs, & aliae. Latinè ἀκατάληκτος dicatur *perfectus*; καταληκτος, *semimutilus*; βραχυκατάληκτος, *mutilus*; ὑπερκατάληκτος, *exuberans*.

De Dimensione.

Dimensio, quae vulgò scansio [1] appellatur, est metri in suos pedes distinctio.

1 Trãslatione à gradibus scalarum, quos ascendentes, pedes vicissim nunc attollimus, nunc ponimus. Graeci id in versu ἄρσιν, καὶ θέσιν vocant. Attilio dicitur *motus*, & *ingressio carminis*.

Fit ea, vel per monopodiam, singulatim pedes sumendo; ut in heroicis fit: vel per dipodiam, cùm bini pedes in dimensione conjunguntur, ut Græci in jambicis, & trochaicis, facere solent; quemadmodum posteà dicemus.

In Dimensione spectantur hæ figuræ: synalœpha, ecthlipsis, diæresis, synecphonesis, systole, & diastole.

Synalœpha [2] est, cùm vocales, vel diphthongus, in fine dictionis, propter vocalem, vel diphthongum, à qua sequens dictio incipit, in dimetiendo versu absorbetur: ut, hoc Ovidii:

Non facil' est æqua commoda mente pati.

Item illo Maronis:

Conticuer' omnes, intentiqu' ora tenebant.

O nunquam eliditur. Virgil.

O pater, ò hominumque divùmque æterna potestas.

Virg. *Te Corydon, ò Alexi*—

Nec item *heu*. Ovid. 3. Fast.

Heu ubi pacta fides?

Ac videtur idem statuendum de *ah*, *proh*, *vah*, *hei*, & similibus interjectionibus [3]: quas & inter *io*. Ovidii quidem est:

Et his, io Arethusa, io Arethusa, vocavit.

Interdum synalœpha negligitur [4]. Virgil. 3. Ecl.

2 Συναλοιφὴ, Latinè *collisio*: sed ad verbum *conunctio*. Nam λείφω, *ungo*. Tralatio igitur est ab unguentis, cùm quid anteà erat inunctum; sed mox, alio superveniente unguento, deletur.

3 In caussa est, quia affectus in iis orationem multum sistit.

4 Vide Carrionem lib. 3. Antiquarum Lectionum cap. 5. Hoc cùm fit, *Hiare versum* dicebant: quomodo & Tullius loquitur in Oratore. Ut synalœpha, & hiatus, opponantur.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
Idem 1. Æn.

Posthabita coluisse Samo[5]. *Hic illius arma.*
At rarissimè id fit, si vocalis sit brevis. Ut illo 1. Æn.

Et vera incessu patuit Dea[6]. *Ille ubi matrem.*

Vocales, & diphthongi, quando non eliduntur, sunt communes.

Breves; ut, *Victor*[7] *apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.* Item,

Insulæ[8] *Jonio in magno, quas dira Celæno.*
Longæ; ut,

Lamentis[9], *gemituque, & femineo ululatu.* Item, *Ante*[10] *tibi hoc Eoæ Atlantidas abscondantur.* At eodem versu, & correptæ, & productæ vocalis, exemplum est:

Ter[11] *sunt conati imponere Pelio Ossam.*

Ecthlipsis[12] est, quando *m* finale cum præcedente vocali eliditur ob sequentem vocalem. Ovid.

Utendum est ætate, cito pede labitur ætas.

Pers. *O curas hominum! ò quantum est in rebus inane!*

Olim per ecthlipsin etiam elidebatur: ut,

Arboribus veteres decidere falcibu' ramos[13].

5 Alii dicunt H hìc habere vim consonantis: simileque esse isti: *Clamassent, ut litus Hyla, Hyla, omne sonaret.* Sed magis placet, quod priùs dixi.
6 Ubi hiatũ ejusmodi nõ refugit Maro; quia periodus accepit finem, ac nova quasi inchoat oratio; cujus non par est vis in priorem.
7 5. Æn.
8 3. Æn.
9 4. Æn.
10 1. Ge.
11 1. Ge. Fit hiatus iste ad repræsentandum conatum, ac difficultatem.
12 Quasi dicas, *expressio* vel *elisio*. Nam ἐκθλίβειν, *extundere, exprimere*. Vide de ea Eustathium.
13 Ennius: *Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.* Lucretius: *Usque adeò largus haustus de fontibu' magnis.* Catullus: *At fixus nostris in dabi' supplicium.* Etiam v consonum Comicis in media voce elidebatur. Ut And. act. 1. sc. 1. *Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.* Et sc. 3. *Enimverò, Dave, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ.* Priori loco in *invidia*, altero in *enimverò*, v vim deperdit. Quod exemplo fit Æolum: apud quos digamma itidem vim quandoque amittit; teste Prisciano.

Utraque autem, & synalœpha, & ecthlipsis, etiam invenitur in extrema versus syllaba; ubi elisio fit à vocali versus sequentis [14]. Ovid. -- *Barba color aureus, aureaque*

Ex humeris medios coma dependebat in armos.

Maro: *Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,*

Et crines flavos.

Molliùs autem, & synalœpha, & ecthlipsis, incidit in longam: sed durè longa in brevem [15]. Etiam videndum, ne horridiùs, & asperiùs, id sonet, quod ex collisione resultat. Nec crebræ esse debent elisiones [16]: nec plures, quàm duæ, nisi gratiam afferant: ut illo Virgilii; *Phyllida amo ante alias.* Quod suavitatis est. Uti contrà horrorem incutit, cùm de Polyphemo ait:

Monstrum horrendum, informe, ingens.

Nec temerè elidendum initio versus, etsi Virgilius venustè:

Si ad vitulam spectes; nihil est, quod pocula laudes 17.

Duriùs quoque elisio fit initio sexti pedis heroici. Ut illo Juvenalis:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Item post penthemimerim pentametri: ut Propertii illo:

Herculis, Antæique, Hesperidumque comes.

14 Hujusmodi versus dicuntur *hypermetri*: ut antea monitum.

15 Ut illo Catulli: *Troja, nefas, commune sepulchrum Europæ, Asiæque.*

16 Quod magis in elegiaco spectandum, quàm heroico. In elegiaco enim laudatur, si molliter influat in aures. In heroico verò plures synalœphæ interdum gravitatem adferunt, ac majestatem. Catullus tamen etiam in elegiaco frequentat. Sed ea parte imitandi potiùs Tibullus, Propertius, Ovidius.

17 In heroico id rarum admodum. Crebriùs paullò in jambico senario. Nævius in Tarentilla: *Quæ ego in theatro hic meis probavi plausibus.* Adducit Sosipater cap. de Adverbio in *Quando*. Neque id prisci modò fecere; sed etiam melioris ævi. Ut Petronius Arbiter: *Cum inter sepultos Priamidas nocte, & mero.* Item Seneca in OEdipo vers. 602. *Cum examen alto nectitur densum globo.*

Imò

Imò & heroicus duriùs ferè elisionem patitur extremo quincti pedis; ut hoc Catulli:

Difficile est longum subitò deponere amorem [18].

Quemadmodum & postremo dactylo pentametri, nisi id magno cum judicio fiat: ut Ovidii illo in quarto Trist. el. 2.

Quadrijuges cernes sæpè resistere equos.

Atque ex his, qui aurium judicium adhibet, facilè statuet de cæteris.

18 Ejusdem est carm. de nuptiis Pel. & Thet. *Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis*. Et carmine ad januam: *Atqui non solũ hoc se dicit cognitum habere*. In quibus posteriores potiùs imitabimur. Sic poterat auspicari Propertius: *Prima suis miserum me cepit Cynthia ocellis*. At quanto meliùs scripsit: *Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis*. Virgilius verò singulari judicio prætulit: *Juturnamque parat fratris dimittere ab armis*. Item, *Sic genus amborum findit se sanguine ab uno*. Cùm tamen posset, *Dimittere fratris ab armis*. Item, *Sic sanguine findit ab uno*.

De Diæresi, & synecphonesi.

Diæresis, sive *dialysis*, est unius syllabæ distractio in duas. Tibullus ad Messallam:

Stamina non ulli dissoluenda Deo [1].

Huc pertinet dissolutio diphthongi: ut, *aulai*, *vitai*, pro *aulæ*, *vitæ*.

Synecphonesis, quæ & *synizæsis* dicitur [2], fit,

1 Ac similiter in eadem voce Pedo Albinovanus, eleg. ad Liviam, de morte Drusi Neronis: *Vita data est utenda, data est sine fœnore nobis Mutua, nec certa persoluenda die*. Quæ sententia est gemina illi Lucretiano lib. 3. *Vitaque mancupio nulla datur, omnibus usu*. Id Græcis est χρήσει, οὐ κτήσει. 2 Συνεκφώνησις etiam Hephæstioni nominatur; quia duæ diversarum syllabarum vocales, quatenus id fieri potest, simul pronunciantur. Nam σὺν, *cum unà*: ἐκφωνεῖν, *pronunciare*, *efferre*. Eadem συνίζησις à Servio dicitur in 2. Æn. nempe quia duæ vocales, sive vocalis, & diphthongus, quasi in unam considunt syllabam. Puta τὰ σὺν & ἱζάνω, quod est *sido*, *subsido*. Ut ad verbum sonet, *consubsidentia*. Eadem Victorino etiam ἐπισυναλοιφὴ, *episynalœphe* vocatur: cujus nominis ratio cognoscitur ex iis, quæ de synalœphe diximus. At synæresis propriè aliud est. Quia in hac duę vocales manent; sed in diphthongum coalescunt: in synecphonesi autem earum altera in pronunciando absorbetur.

cùm duæ vocales in unam contrahuntur 3. Ut in *alvearia*, cùm quatuor fit syllabarum. Virgil.

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.

Aut cùm *eodem* est disyllabum 4. Idem,

Vno, eodemque tulit partu; paribusque revinxit
Serpentum spiris.

Hæc figura imprimis frequentatur in genitivis nominum in *eus* 5. Ut, *Theseı*, *Ulyssei*, *Achillei*; pro *Theseï*, *Ulysseï*, *Achilleï*, Item cùm *i*, & *u* vocales ante aliam vocalem in *j*, & *v* consonans, mutantur: ut, cùm apud Maronem *omnia* disyllabon, *ariete* trisyllabon, *abietibus* tetrasyllabon fit. Adhæc in his vocibus, *huic*, *cui* 6, *dii*, *diis*, *ii*, *iidem*, *iis*, *iisdem*, *dein*, *deinde*, *proinde*, *deest*, *deeram*, *deessem*, *deero*, *deesse*, *anteambulo*, *anteit*, *antehac*, *semihomo*, *semianimis*, & aliis paucis, quæ tutò quivis imitabitur.

3 Pleniùs, planiùsque dixeris: Cùm duæ vocales diversarũ syllabarum, sed nulla intercedente consona, unam in syllabam contrahuntur.

4 Simile in hoc ejusdẽ: *Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens*. Nam *ferrei* fit dissyllabum, quasi eliso *E*. Puto, itidẽ, συνίζησιν esse statuendam in illo Juvenalis Sat. 3. *Grammaticus, Rhetor, Geometres, pictor, aliptes*. Nam Græcè est γεωμέτρης. Unde aliqui reposuere, *geometra*: quasi foret à γελα: sed invitis libris. Potiùs igitur statuo, primam vocalem elidi. Par ratio in *eadem*. Ut apud Calpurnium Ecloga 4: *Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat*. Sic in *eosdem* apud Propertium lib. 4. *Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos, Eosdem oculos, lateri vestis adusta fuit*. Ubi aliqui, cùm συνίζησιν non attenderent, pro *eosdem* reposuere *hosdem*. Apud Comicos crebra hæc συνίζησις in *meo, tuo, suo, eo*: quæ illis sunt monosyllaba.

5 Cujusmodi proprio nomine dicitur συναίρεσις. Nempe, quia duæ vocales coalescunt in diphthongum.

6 Ut in *cui*, sic in *cuique* & *unicuique*: quod tetrasyllabum est Propertio lib. 2. Eleg. 22. *Vnicuique dedit vitium natura creato*. Hoc dum nonnulli parum considerant, collegere ex eo versu, secundam in *unicuique* esse ancipitem; cùm ea semper sit longa.

De

De Systole, & Diastole.

Systole [1] est correptio syllabæ longæ. Ita poëtæ corripiunt penultimam in tertia plurali præteriti perfecti: ut 3. Æneid.

Obstupui, steteruntque comæ.

4. Ecl. *Matri longa decem tulerunt fastidia menses* [2].

Diastole, sive ectasis [3], est productio syllabæ natura brevis. Ac imprimis locum habet in carmine heroico, cùm tres breves concurrunt: ut in *Priamides* [4]. Virg.

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto.

* *Per diastolen etiam primam in Diana quandoque produci ajunt.*

Exercet Diana choros. ——

Sed Diana *factum ex* dea Jana; *quia* Jana *olim Luna. Inde si per syncopen solam derives, corripietur natura. Sin per contractionem, ut integrè magis sit Deiana, natura fuerit longa* 5.

1 Συστολὴ dicta ἀπὸ τοῦ συστέλλειν, quod est *contrahere*. Ut διαστέλλειν, *diducere, distendere*: unde διαστολή. 2 Fabius l. 1. cap. 6. systoles exemplũ facit Maronis hoc, *Vnius ob noxam*: diastoles illud ejusdem, *Italiam fato profugus*. 3 *Productio* Acroni, *extensio* vocatur Donato. 4 Similiter apud Græcos in ἀθάνατος. 5 At justiùs diastole statuitur in illo Nasonis l. 12. Met. fab. 12. *Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque sarissa Conspicuus*. Nam secunda in *Macedonia* natura est brevis. Sed ea in re secutus poeta fuit exemplum poetarum Græcorum, qui, ob concursum tot brevium, pro Μακεδονία interdum ponunt Μακηδονία. Ut Mimnermus apud Athenæum in 13. Contrà vera est systole, cùm Maro, & alii, in *Amazonides* corripiunt tertiam: quamvis Græcè sit Ἀμαζών, & inde patronymicum femininum Ἀμαζονίς, quasi Ἀμαζωνίδης, ut à Δαρδανίδης in Δαρδανίς. Verùm in isto etiam Latinis præiverunt Græci. Hoc colligere est inde, quòd apud Dionysium in Periegesi sit Ἀμαζονίς, ac similiter Quinctus Smyrnæus pro Ω substituat O.

DE CARMINE.

D*Ifferunt carmen, & versus, quòd carminis appellatio conveniat toti* 1; *seu illud epigramma, seu ecloga, seu satyra, seu oda fuerit, vel aliud. Quomodo Car-*

1 Ideò Charisius lib. 1. carmen interpretatur ποίημα.

minum libri vocantur, quibus Horatii odæ continentur. *Et Lucretius primum de natura librum carmen vocat:*

—— Quod in primo quoque carmine claret 2.

Interdum tamen fit, ut carmen uno versu absolvatur: ut illo Martialis:

Omnia, Castor, emis; sic fiet, ut omnia vendas.

Item hoc ejusdem:

Pauper videri Cinna vult, & est pauper.

Atque ita Maro etiam carmen vocat inscriptionem hanc qua consecrata erant Abantis arma:

Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Sed rarus est ejus vocis usus. Atque inde est, quòd plerique attendentes, non quid semper, sed quid plurimùm fiat, carmen definierint, concinnam versuum in unum corpus congeriem.

2 Similiter Martialis quindecim Metamorphoseos libros vocat carmina quindecim: *Carmina Nasonis quinque decemque gerit.*

DE CARMINE ADONIO.

Adonium, vel Adonicum [1] carmen constat dactylo, & spondeo. Ut,

Gaudia [2] *| pelle.*
Pelle ti- | morem.

1 Ita vocatur ab Adone, Cyprii regis filio; cujus in threnis eo utebantur.
2 Boeth.

DE PHERECRATIO.

Pherecratium [1] constat spondeo [2], dactylo, & spondeo. Ut,

Nigris [3] *| æquora | ventis.*

1 Nomen illi à Pherecrate Atheniensi, qui & comœdiis inclaruit, ac Aristophanis temporibus vixit. Porrò, quia pleraque carmina nomen habent à poetis, id universè hìc dixisse sufficerit: à Theone in Progymnasmatis, ubi de fabula agit, tradi, metrum aliquod Aristophanicum, Sapphicum, Alcaicum, vel aliter dici, non semper quia primi invenerint, aut soli illo usi sint; sed quia plurimùm metro illo sint usi. 2 Sed pro spondeo hoc trochæum frequentat Catullus. Ut, *Prodeas nova nupta.* Boethius & anapæstum habet: *Simili surgit ab ortu.* 3 Horat.

DE ARCHILOCHIO.

Archilochium [1] constat duobus dactylis, & syllaba [2]. Ut,

Dulcibus [3] | *alloqui-* | *is*.

1 Cui nomen ab Archilocho poeta. Ita autem generali nomine vocatur vulgò, quod distinctiùs à Servio in Centimetro dicitur *dactylicum dimetrum hypermetrum*. Sunt enim varia carminum genera, quibus artis metricæ scriptores ab Archilocho nomen fecerint. Aliud quidem jambicum: ut, *Trahuntque siccas machinæ carinas*. Aliud trochaicum: ut, *Duc ades Lyæe*. Aliud choriambicum: ut, *Nullam, Vare, sacra vite priùs severis arborem*. Quoddam ex choriambico præcisum: ut, *Lydia, dic, per omnes*. Quoddam heptametrum: ut, *Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni*. Pluraque id genus; quæ ex Diomede, Servio, & aliis, petere licebit. 2 Unde δακτυλικὴ πενθημιμερὴς vocatur ab Aristophanis scholiaste in εἰρήνῃ ad illud chori: Μοῦσα, σὺ μὲν πολέμους. 3 Horat.

* *Atque hæc tria versuum genera pars sunt heroici. Uti ecloga* 1. *Adonius est*, Tegmine fagi. *Pherecratius est*, Quò discordia cives. *Archilochius est*, Fronde super viridi. *Itaque etsi inter carminum genera, heroicum familiam ducit, unde & plerique ab eo auspicari solent: tamen hæc tria visum est præmittere, quia ad heroicum meliùs intelligendum pueritiæ munirent viam. Possis similiter iis addere quartum, nempe Alcmanium* 1, *ut Servius vocat, quod Archilochium dactylo exsuperat. Ut*, Lurida brachia cur retegis? *Ergo ut Archilochium est penthemimeris heroici; velut*, Tityre, tu patulæ: *ita Alcmanium est hephthemimeris ejus; hoc pacto*, Tityre, tu patulæ recubans. *Hujusmodi sunt hæc, quæ quasi ἐπῴδια Virgilius hexametris adtexuit*. Munera, lætitiamque Dei. Infabricata fugæ studio. Exitiis positura modum. *Septimius, viro Terentiano teste, integrum de agricultura poëma eo carminis genere conscripsit*.

1 Quemadmodum de Archilochio diximus; ita & de Alcmanio statuendum, appellationem eā esse valdè generalem: cū & alia sint Alcmanii genera: ut ex Diomede, atque aliis, constat Hexa-

DE HEROICO.

Carmen Heroicum ita vocatur, quòd eo gesta Heroum cani soleant. Dicitur &

Hexametrum [1]; quia sex pedibus constet [2]: quorum quincto est dactylus, sexto spondeus [3]: quatuor verò prioribus promiscuè sunt, vel dactylus, vel spondeus. Ut,

Discite | justiti- | am moni- | ti, & non | temnere | divos [4].

Pedum autem vicissitudo gratum hìc præstat temperamentum. Ut,

Ludere, | quæ vel- | lem, cala- | mo per- | misit a- | gresti [5].

Ac suaviùs ferè sonant, quæ dactylis, quàm quæ spondeis, abundant. Ut,

Adspicis, | ut veni- | ant ad | candida | tecta co- | lumbæ [6].

1 Sic & Cicero vocat l. 2. de Orat. *Antipater ille Sidonius solitus est versus hexametros, aliosque, variis modis, numerisque fundere ex tempore.*

2 Hoc commune quidē habet cum jambico senario; sed Græci id per dipodian metiuntur, ut inferiùs videbimus. Vocatur & *Homericum*, ab Homero. Adhæc (ut Proclus etiam in Chrestomathia testatur) *epos* dicitur κατ' ἐξοχὴν, unde poetis epicis nomen. Nominatur & *carmen longum* ab Ennio, teste Tullio in 2. de Legg. De eodem sic Fortunatianus in re metrica: *Hexametrum carmen, quod Ennius longum vocat, Græci Deliacon: quia hoc genere Phemonoë, Appollinis vates, vaticinata est.* Ennii exemplo versus hosce etiam Ovidius longos appellat lib. 3. Eleg. *Et longis versibus adde breves.* Fortasè autem sic distinguere liceat inter *heroica*, & *hexametra*; ut *hexametra* etiam sint, quibus Horatius satyras scripsit: non *heroica*, cùm sermoni sint propriora, ut ipse agnoscit; *heroica* verò sint, quibus heroica adest majestas. Quæ etiam in Ovidiana est metamorphosi, etsi non descripserit gesta heroum. Species heroici est versus *bucolicus*; cùm quartus pes dactylo finitur. Ut, *Ab Jove principium Musæ Jovis omnia plena. Theocritus*, ut ait Fortunatianus, *hanc legem custodivit, Virgilius neglexit.* 3 Ubi si pro spondeo fuerit jambus, μείουρον vocatur. Hujusmodi volunt plerique esse illud Maronis: *Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit.* Sed cum Servio potiùs censeo, *refugit* esse temporis præteriti. Accommodatius exemplum est illud Livii Andronici: *Dirige odorisequos ad cæca cubilia canes.* Quod aliqui esse Livii arbitrantur. Negant enim, Livium scripsisse ullum carmen heroicum. De quo Ivo adversus Rob. Titium. Sed hanc sententiam alibi refellimus.
4 Æn. 5. Ecl. 1. 6. Ovid. lib. 1. Trist. eleg. 8.

In-

Interim varietate nihil jucundius [7].

Magnæ etiam virtutis est, si ita versus rebus accommodentur, ut pro rerum diversitate, nunc spondei, nunc dactyli, præferantur. Ita multis spondeis difficultas, ac tarditas fabrorum in librandis ictibus, depingitur versu isto 3. Georg.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt.

Contrà incitatus equi cursus dactylis multis repræsentatur:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum [8].

Interdum autem in quincto loco spondeus ponitur, cujusmodi versus dicitur *spondiacus* [9].

Atque is ferè [10] habet in quarta sede dactylum.

Et sæpè desinit in vocem tetrasyllabam. Ut,

Clara deùm soboles, magnum Jovis incrementum [11].

Item,

Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit [12].

Nec id perpetuum tamen. Maro:

7 Ac contrà, ut Cicero ait lib. 1. de Invent. *Omnibus in rebus similitudo satietatis mater.*

8 8. Æn.

9 Perperam vulgò *spondaicus* vocatur, cùm Græcè sit σπονδειακὸς à σπονδεῖος. Hujusmodi nec tres versus continuare dubitavit Catullus, carmine de Nuptiis Thetidis, & Pelei. 10 Duo tantùm versus sunt apud Maronem, qui in tres exeant spondeos. Nempe hi, *Aut leves ocreas lento ducunt argento.* Et, *Saxa per, & scopulos, & depressas convalles.* At Ennio etiam erat ex puris spondeis. Ut cujus sit: *Olli respondit rex Albai Longai.* Imò ipsius Catulli est epigrammate ultimo: *Queis te lenirem nobis, neu conarere.* Etiam Diomedes hoc Cæsii Bassi citat, quod carmen vocat Molossicum: *Romani victores Germanis devictis.* 11 Ecl. 4. 12. Æn.

Caulonisque arces, & navifragum Scyllaeum [13].

Item,

Cum sociis, natoque, penatibus, & magnis dis [14].

In cæteris hexametris rarò tetrasyllabum [15] extremum occupat locum. Nec ferè, nisi proprium sit. Ut,

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho [16].

Aut si ad singularem affectum exprimendum fiat. Ut,

Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos [17].

Interdum & vox pentasyllaba, atque octo temporum, ad majestatem facit. Ut,

Hyrtacidæ ante [18] *omnes exit locus Hippocoontis*.

Item,

Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeiam [19].

Cujusmodi, quia singulare [20] judicium desiderant, poetarum lectione melius discentur.

Ferè autem duriores esse hujusmodi versus, argumento est hoc Lucretii in secundo:

Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.

Itidem duriores sunt, si desinant in plures voces disyllabas. Ut ille Tibulli [21]:

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus.

13 Æn. 3. Sed fortasse hic *Scylaceum* malis. In quo & Pierius imprimis acquiescit. Ac vide de eo quoque Ludov. Carrionem Castigationibus posterioribus in Valerii Flacci Argonautica, & Salmasium Plinianis in Solinum Exercitationibus p. 82. 14. Ibid.

15 Longeque minùs quinque, aut sex syllabarum: quale illud Horatii: *Quisquis luxuria, tristive superstitione*.

16 Ecl. 1.

17 Æn. 4.

18 Æn. 5.

19 Æn. 1. Horatii etiã est: *Fortissima Tyndaridarum*; sed in libris Sermonum: ubi dicit sermoni propria; ut ipse agnoscit. 20 Nam, ut in Orat. Cic. ait, *aurium judicium est superbissimum*. 21 Lib. 1. eleg.

Rarò

Raro quoque terminantur monosyllabo, nisi accentu adjuventur; ut cùm desinunt in encliticam: aut, nisi præcedat monosyllabum. Ut in hoc Horatii[22]:

Principibus placuisse viris, non ultima laus est[23].

Vel nisi id faciat ad rem, de qua agitur, meliùs ob oculos ponendam. Ut,

——*Procumbit humi bos*[24].

Cæteroquin versum reddunt duriorem: ut in Horatii illo[25]:

Prælia rubrica picta, aut carbone, velut si.

Fugiendi etiam versus Leonini[26]; etsi nec poetæ principes semper eos effugerint. Virgil.

Trajicit, i, verbis virtutem elude superbis[27].

Ovid.

Si Troja fatis aliquid restare putatis[28].

22 Lib. 1. ep. 17.

23 Sic illo Juvenal. — *Sed te Nos facimus, Fortuna, deã, cæloque locamus.*

24 5. Æn.

25 Sat. 7. lib. 2.

26 Nomen illis, non ex eo, quòd instar caudæ leonis reflectantur, ut nugantur: sed à Leonio, S. Benedicti Canonico Parisiensi, & monasterii S. Victoris religioso; qui anno vixit MCLX. ac carminis hoc genus non quidem reperit, sed tamen imprimis frequentavit. 27 Sic idem Maro: *Ora citatorum dextra contorsit equorum.* Item, *Cornua velatarum obvertimus antennarum.* 28 13. Met. & quidem in artificiosa illa oratione Ulyssis. Simile hoc 3. Met. *Nec nisi finitæ per plurima tempora vitæ.* Item in epistola Hermionis ad Orestem habes: *Vir, precor, uxori; frater, succurre sorori.* Adhæc lib. 2. Amorum: *Et nondum natis dira venena datis.* Ac lib. 1. de Arte: *Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.* Et alibi: *Ecce suburbana templum Nemorense Dianæ.* Propertii quoque est iste: *Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.* Item, *Nec tibi Tyrrhena solvatur puppis arena.* Ejusdem quoque est: *Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.*

* *De versibus heroicis, & raris eorum numeris, accurata est explicatio Oberti Giffanii in indice Lucretiano*. Sed cùm vir ille doctissimus, quæ maximè inso-*

* Litera U, inter versatile & vertere.

lita

lita sunt, consectetur; nec semper lectionem eam, quam veram autumat, eruditis satis probet: omninò in imitatione talium judicio opus est.

Præter heroicum hexametrum, de quo dictum hactenus, est & heroicum, *sive* dactylicum, tetrametrum; *quod constat quatuor postremis hexametri pedibus. Hexametro id subjunxit Horatius:*

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi, *&c.*

Vicinum huic est tetrametrum dactylicum alcmanium; *quod primos quatuor hexametri pedes continet; sed ita ut tribus sedibus primis utrumque pedem recipiat, quarto autem dactylum requirat. Hexametro hoc subdit Boethius:*

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibusque prior rediit vigor.

Etiam Iambico dimetro præmittit:

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli.

Idem usurpat trimetrum alcmanium catalecticum; *quæ est hephthemimeris hexametri. Subdit ei Pherecratium:*

Unus enim rerum pater est,
Unus cuncta ministrat.

DE ELEGIACO.

Carmen elegiacum est, cùm versui hexametro subjungitur pentameter [1]. Atque ita vocatur, quia primum adhiberi solitum sit lamentationi funebri.

* *Nam* ἔλεγος *idem ac* θρῆνος. 2 *Nempe nomen* ἀπὸ τοῦ ἒ λέγειν, *quæ flentium vox.* Ovid. 3.

Flebilis indignos elegeia solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

1 Pentametrum rarò seorsim invenitur. Habes sic apud Ausonium; qui septem sapientum dicta septem pentametris conclusit. Et apud Martianum Capellam sunt continui triginta duo pentametri. Etiam apud Heliodorum in Historia Æthiopica ode est è solis pentametris. 2 Proclus in χρηστομαθίᾳ. 3 In funere Tibulli.

Recipit

Recipit autem pentameter duobus primis pedibus dactylum, vel spondeum, sequente syllaba longa. Exinde consequuntur duo dactyli, itidem syllaba remanente. Ut illo Propertii lib. 3.

Natu- | ræ sequi- | tur | semina | quisque su- | æ.

Alii tamen aliter metiuntur. Nam tertio pede spondeum statuunt, sequentibus duobus anapæstis [4]; hoc pacto:

Natu- | ræ sequi- | tur se- | mina quis- | que suæ.

In hoc carmine durè elisio fit in penthemimeri; ut in illo Catulli:

Troja virum, & virtutem omniũ acerba cinis [5].

Durè etiam post secundum pedem sequitur vox duarum, aut plurium syllabarum: ut,

Hæc quoque nostræ sententia mentis erat.

4 Ita & dimensus Fabius lib. 9. & auctor fragmenti Censorino tributi: ac videtur eum modulandi modum probasse Ovidius, cùm ait ad Cupidinem lib. 3. de Ponto: *Apposui senis, te duce, quinque pedes*. Et Sidonius de laudibus Narbonis: *Per quinos elegi pedes ferebant*. Ob hoc dimetiendi genus negant nonnulli, penthemimerim posse corripi cæsuræ caussa. Nam, inquiunt, sic extremo loco non essent duo anapæsti. Atqui Simonides id neglexit hoc versu: Τείτων Ἵππαρχον ἦγε καὶ Ἁρμόδιος. Nisi, ut apud Hephæstionem est, pro ἦγε legendum κτεῖνε. Utcunque de illo visum, in confesso est apud Catullum legi, *Perspecta est igitur* (sive, ut alii malunt, *exigitur*) *unica amicitia*. Adderem & illud Tibulli lib. 2. eleg. 3. *Lacteus & mistus obriguisse liquor*. Sed Auratus malebat: *Lacteus è mistis obriguisse liquor*. Lipsius, ac Duza, *Et mistis*. Scaliger verò versum hunc, & tres præcedentes, expungebat, ut ὑποβόλιμαις, ac ab ineptis insertos. Suppetunt verò alia aliorum. Ita Propertii est lib. 2. eleg. 8. *Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota est*. Et ejusdem lib. 2. el. 24. *Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor*. Nec Ovidius id curavit; nam secundo Fastorum ait: *Qui dederit primus oscula, victor erit*. Et de Ponto lib. 1. eleg. 4. *Thessalicamque adiit hospes Achillis humum*. Et eleg. 5. *Illo, quod subiit Æsone natus opus*. Et lib. 4. eleg. 3. *Indigus effectus omnibus ipse magis*. 5 Quem versum præterea duriorem reddunt synaloephæ in proximis pedibus. Quod & fit in isto ejusdem: *Quam modo, qui me unum, atque unicum amicum habuit*. Item illo: *Illam affligit odore, ipse perit podagra*. Item: *Nec desistere amare, omnia si facias*. Simileque exemplum in prosa observarunt apud vulgatum interpretem Psal. L. *Imponent super altare tuum vitulos*.

Item

Item durè ibidem usurpatur monosyllabum. Catull.

O dì, reddite mi hoc pro pietate mea.

Nec temerè committendum, ut in monosyllabum desinat. Quale hoc ejusdem:

Aut facere: hæc à te dictaque, factaque sunt.

Molliùs tamen id fit, si monosyllabum antecedat. Ut in hoc Ovidii:

Præmia si studio consequar ista, sat est.

Aut si ultima à verbo *est* elidatur: ut illo ejusdem:

Invitis oculis, litera lecta tua est.

Plurimùm autem desinit in disyllabum. Interdum & tetrasyllabum, aut pentasyllabum: rariùs in trisyllabum[6]. Solet etiam unumquodque distichon sententiam absolvere: aut saltem in colo desinere. At illud omninò rarum, nec facilè imitandum, ut commatis ejusdem vox una ad præcedens, altera ad sequens distichon pertineat. Leoninos hìc etiam vitabimus: qualis Ovidii ille[7], *Quærebant flavos per nemus omne favos.*

*Vicinum est elegiaco carmen illud, quo Archilochium subjicitur Hexametro. Nam hoc solùm differt ab

6 Trisyllabo finit Catullus: *Jucundum cum ætas florida ver ageret.* Et Tibullus: *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.* Tetrasyllabo idem Tibullus: *Pomaque non notis legit ab arboribus.* Propertius: *Libera jam duris cotibus, Andromache.* Ovid. lib. 4. eleg. 14. *Nil, me præterea quod juvet, invenies.* Et lib. 3. de Ponto: *Non duris lacrymas vultibus adspiciant.* Pentasyllabo Catullus: *Cum quibus illa malum fecit adulterium.* Et Propertius: *Illis ampla satis forma pudicitiæ.* Hexasyllabo idem: *Contactum nullis antè cupidinibus.* 7 Lib. 3. Fast.

ille-

elegiaco, quòd penthemimeris 8 *pentametri abest. Horat. epod. Od. 7.*

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ.

8 Hoc est, duo pedes cum parte: ut Fabius exponit l. 9. cap. 4.

DE JAMBICO.

Jambicum [1] ita dicitur à primario pede jambo. Nam paribus locis jambum, (quandoque & tribrachyn, præterquam in ultima sede,) imparibus autem locis tum jambum, tum spondeum [2], tribrachyn, dactylum, & anapæstum recipit [3].

Quòd si ex meris constet jambis, *Jambicum purum* dicitur. Catullus:

Phaselus ille, quem videritis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

1 Usi eo primitus ad côvitiandum: unde ἰαμβίζειν pro λοιδορεῖν. Inventor autem ejus est Archilochus: teste, inter alios, Vellejo. Ac quia Archilochus ille è Paro insula erat, eò *Parios jambos* dixit Horatius in Arte. 2 Quia jambus pes est citus, eò & spondeum recipit; ut Horatius ibidem. 3 Nempe, ut optimè Rufinus inquit, jambicum recipit jambum, & spondeum, cum suis solutionibus. Jambus solvitur in tribrachyn: spondeus, si prior syllaba solvatur, fit anapæstus; si posterior, fit dactylus. Unde liquet, cur tribrachys quidem paribus sedibus locum habet; at non anapæstus, & dactylus: quippe in quos jambus solvi non possit, cùm is tantùm sit trium temporum; in his autem sint quatuor tempora, uti in spondeo; qui imparibus tantùm sedibus locum habet, præterquam apud Comicos; de quibus posteà.

Jambici duo sunt genera usitatiora; Dimetrum, & Trimetrum.

Dimetrum quatuor sedibus constat. Sed dimetrum dicitur, quia Græci in dimetiendo duos pedes conjungunt. Horat.

Fortu-|na non||mutat|genus.||

Prudent.

Prudent.

Veni | redem- | | tor gen- | tium. | |

Trimetrum sex sedium est. Sed trimetrum vocatur, quia id Græci itidem metiuntur per διποδίαν. Horat.

Quid ob | sera- | | tis au- | ribus | | fundis | | preces? | Terent.

Obsequi- | um ami | | cos, ve- | | ritas | | odium | | parit. | | 4.

* *Etiam subjungitur hexametro. Horat.*

Altera jam teritur bellis civilibus ætas:
Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Ac similiter hexametro etiam dimetrum additur. Idem,

Nox erat, & cœlo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera.

Sæpè autem trimetro dimetrum subjicitur. Horat.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium.

Item:

Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.

Idem & inter trimetrum, ac dimetrum, interseris Archilochium 5.

Pecti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos,
Amore perculsum gravi.

At Boëthius etiam pentametrum trimetro subdit:

Quamvis fluente dives auri gurgite,
Non expleturas cogat avarus opes.

4 Commendarunt tritum penthemimeri. Quod non satis attendunt, quibus passim tertius pes una voce constituitur. Aliter sanè Horatius, & alii optimi ævi. Objectant hos Catulli: *Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.* Sed cùm carmen totum meris constet jambis: certum est, Catullum non sic scripsisse. Quare vel spurius est versus, ut censet Scaliger: vel cum Turnebo legendum, *Timentque Galliæ hunc, Britannia.* Vulgo etiàm in carmine Ithyphallico legitur: *Non brassicæ fero gulosior carnes.* Sed omninò locus est corruptus. Neque displicet Scaligeri emendatio: *Non brassicarum ferculum prius caules.*

5 Nisi cum plerisque veterum malis, ex Archilochio, & dimetro, unum conflare versum.

Est & versus jambicus, senarius, sive trimeter, qui σκάζων, sive *claudicans*, dicitur, vel etiam choliambus [5]. Hic in sexta sede habet spondeum, in quincta jambum. Persius:

Nec fonte labra prolui Caballino.

* *Huic quoque interdum subjungitur dimeter. Martial.*

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est.

Est & jambicus tetrameter, sive octonarius 6; præsertim apud Comicos.

Concedite 7, atque abscedite, omnes de via decedite.

Tetrameter catalecticus est Terentii iste 8:

Nam si remittent quippiam Philumenam dolores.

Item Catulli hic ex puris jambis:

Remitte pallium mihi meum, quod involasti.

Comici autem, quò magis ad pedestrem orationem accedant, etiam pedes eos, quos imparibus sedibus adhibent alii 9, usurpant paribus, excepto ultimo loco, quo semper est jambus, vel pyrrhichius.

Ut prol. Andr.

Poëta cùm primùm animum ad scribendum appulit.

Secunda sede pro jambo est dactylus, quarta verò spondeus. Sic Amphitr. 10

5 A χωλὸς & ἴαμβος. Etiam *Hipponacticus*, vel *Hipponactius*, vocatur, teste Diomede. Est & ea appellatio apud auctorē fragmenti Censorino tributi: qui ejusmodi exemplum adfert: *Calentibusque lympha fontibus fervens.* Sic enim locus is supplendus videtur: ubi vulgò postrema vox desideratur. 6 Qui & Latinis, *quadratus*.

7 Amph. 3. 4. 8 Similis iste oraculi, ut vocant, arietini, apud Gellium: *Peribo, si non fecero; si faxo, vapulabo*. 9 Quæritur, an non & addi iis debeat creticus, sive amphimacer. Puto, id si esset, veteres, cùm de Comicis versibus agunt, hujus etiam pedis meminissent. Objiciuntur, scio, multa è Comicis, ubi is pes se offerre videatur. Sed verisimile fit, illis in locis contractionem esse adhibitam olim. Uti illo Terentii senario, *Student facère, in apparando consumunt diem*. Ubi *apparando*, in dimetiendo versu, effertur, quasi *apprando*. Atque ita in aliis. Quæ & Camerarii in problematis sententia est. Sed imprimis eum vide libello de Comicis dimensionibus, quæque nos opere de re Poetica. 10 Act. 1. sc. 1.

Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum semper, qui rectè facit.

Ubi paribus sedibus semel anapæstum, ter spondeum habet. Eadem est ratio in tetrametris. Ut,

11 Adel. 2. 2. Pecuniam 11 in loco negligere maximum interdum est lucrum.

12 Adel. 4. 3. *Item* 12,

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Similiter comparatum in catalecticis. Sed tragicis non est eadem in jambico libertas: hi enim jambum amant paribus sedibus. 13. *Unde de eo Horatius in Arte:*

—— Sed non ut sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

13 Seneca tamen sede quarta non refugit anapæstum. Ut qui Euripidis sic versum reddat Latinè epistola 115. *Benè moritur, qui, dum moritur, lucrum facit.*

DE ANACREONTEO.

Carmen Anacreonteum nihil aliud est, quàm Jambicum dimetrum catalecticum. Prudentius:

Ades, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam.

Boëthius:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes.

* Anacreon prima sede & creticum usurpat 1. Ut, Μέλπομαι ῥόδον θέρειον. Ac fortasse similiter Hadrianus Cæsar: *Ambulare* 2 *per popinas.*

1 Oda, cujus initium, στεφανοφόρου.

2 Nisi *ambulare* dixit pro *amblare*. Quomodo Plauto *ambulando* est trisyllabum: ut mox dicam in trochaico.

DE TROCHAICO.

Trochaicum carmen in regionibus imparibus recipit trochæum, vel etiam tribrachyn; præterquam penultima sede: ubi

tantùm

tantùm est trochæus. Paribus autem sedibus, præter trochæum & tribrachyn, etiam recipit spondeum, dactylum, anapæstum. Jambum verò planè respuit: uti & jambicus versus trochæum.

Et hoc carmen non minùs varium, quàm jambicum: sed usitatissimum est tetrametrum, sive octonarium, catalecticum [1]: ut,

Punico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam Romuli in gentem feram. Item in floridis veteris poëtæ:

Consules fiunt quotannis, & novi proconsules:
Solus aut rex, aut poëta non quotannis nascitur.

* *Comici autem, quos pedes habere diximus sedibus paribus, iisdem etiam utuntur imparibus, præterquam in regione septima.*

Ut in hoc Plauti:

Proba merx | facilè em- | torem | reperit, | tametsi 2 in | abstru- | so si- | ta est.

Est & trochaicum dimetrum brachycatalecticum; quod ithyphallicum dicitur, & tribus constat trochæis. Ut, Bacche, Bacche, Bacche.

Ex trochaico, & jambico, conflatur Hipponactium, *quod δίκωλον est. Prior versus 3 trochaicus dimeter catalecticus; qui tribus constat trochæis, & syllaba longa. Alter versus est jambicus senarius catalecticus.*

1 Hujusmodi versum ex Jambico trimetro feceris, præmittendo creticum. Ut Horatiano isti trimetro, *Suis & ipsa Roma viribus ruit*, præpone *præpotens*; & trochaicus erit. Ac contrà de trochaico aufer primũ sesquipedẽ, habebis jambicum trimetrum: ut in exemplo allato, si vocem *Punico* auferas. Erit enim, *Bello secundo Musa pinnato gradu*. Et ita in aliis. 2 *Tametsi* dissyllabon fit, quasi *tamtsi* efferas, ut simile sit, ac *apprando*; de quo in jambico dictum. Et ut in trochaico persistam, *vapulando*, quasi *vaplando* effertur in hoc Plautino Aulul. 3. 3. *Heu senex? pro vapulando Hercle ego abs te mercedem petam*. 3 *Glyconium* vocat Diomedes: sed quia aliud versus genus hoc sibi nomen vulgò vindicavit, malui ea appellatione abstinere.

qui quinque est pedum cum syllaba longa; ac paribus sedibus jambum 4; *imparibus, præter jambum, etiam admittit spondeum; excepta sede quincta, ubi semper est jambus. Horat.*

4 Secunda sede & tribrachyn.

Non e | bur, ne- | que aure- | um
Mea | reni- | det in | domo | lacu- | nar.

At dimetro acatalectico Boëthius subdit Pherecratium:

Quos vides sedere celso
Solii culmine reges.

Ausonius tetrametro catalectico subjungit jambicum trimetrum:

Ore pulcro, & ore muto, scire vis, quæ sim? volo.
Imago Rufi rhetoris Pictavici.

DE SAPPHICO.

Carmini Sapphico nomen dedit Sappho, poëtria Lesbia; quæ vel invenit, vel expolivit. Pedes recipit quinque. Primo loco trochæum, secundo spondeum, tertio dactylum, reliquis duobus trochæum. Commendatur hoc carminis genus penthemimeri. Ac plurimùm post ternos versus subjicitur Adonius. Horat.

Inte- | ger vi- | tæ, scele- | risque | purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

* *Catullus sede secunda interdum trochæum habet: ut,*

Pauca nunciate meæ puellæ.

Item,

Seu Sacas, sagittiferosque Persas 1.

Seneca verò nec abhorret à dactylo: ut,

1 Idque exemplo ipsius Sapphus; cujus est: ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτη. Sed non caret ratione, quòd trochæo sit prælatus spondeus. Nam sic versum reddidere stabiliorem: ut judicium est Cæsaris Scaligeri lib. 2. de re Poetica cap. 38.

Quæque

Quæque ad Hesperias jacet ora metas.

Ac similiter;

Sumere innumeras solitum figuras.

Cujusmodi non temerè imitanda.

Reperias & hic versus hypermetros. Horat.

Plorat, & vires animumque, moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.

Ac duriùs ferè princeps vocis syllaba ad præcedentem versum, reliquæ ad sequentem referuntur. Idem Horat. lib. 2. od. 16.

Grosphe non gemmis, neque purpura venale,
nec auro.

Item lib. 1. od. 2.

Labitur ripa Jove non probante uxorius amnis [2].

Etiam Sapphico absque Adonio usi Seneca, & Boëthius.

Sed hic etiam Glyconium Sapphico subjungit:

Cum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit.

2 Nec parte ea Horatio deficit exêplum. Est enim Sapphus, Ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι, βομβεῦσιν ἀκοαὶ μοι. Quod Catullus vertens, numeros mutavit. Ejus est: *Tinniunt aures, gemina & teguntur Lumina nocte.*

DE PHALÆCIO [1].

Hoc carmen ab inventore Phalæco nomen habet, ac, quia undecim est syllabarum, aliter Hendecasyllabon [2] appellatur. Pedes recipit quinque: primo loco spondeum,

1 In Servii Centimetro, & alibi interdum, *Phaleucium* vocatur. Ac similiter plerisque auctor ejus *Phaleucus* dicitur. Sed Græcis est φάλαικος. Unde Hephæstioni quoque hoc carmen φαλαίκιον nominatur. 2 Ausonius; *Quos scis Hendecasyllabos vocari, Istos composuit Phalæcus olim.* Non tamen hoc solum genus vocant *hendecasyllabon*; sed duplex est ejus nominis carmen, Sapphicum, & Phalæcium. Quid mirum, si nomine conveniant, quæ adeò vicina sunt, ut unum in alterum facilè commutetur? quemadmodum mox patebit. Si Turnebum audimus, in Plinii præfationem; pro hendecasyllabis, sive phalæciis, *syllabas* dixerit Martialis hoc versu: *Verona docti syllabas amat vatis,*

(Catullo [3] etiam jambum, aut trochæum) secundo dactylum [4], reliquis tribus trochæum. Martial.

Vitam | quæ faci- | unt be- | ati- | orem [5].

* *Propter summam Sapphici, & Phalæcii, similitudinem, sæpè fit, ut vocibus trajectis, unum in alterum commutetur. Vt Sapphicus ille Horatii,*

Non eget Mauri jaculis, nec arcu:

Phalæcius fiet hoc pacto:

Non Mauri jaculis eget, nec arcu.

Et contrà Martialis ille Phalæcius,

Nympharum pater, amniumque, Rhene:

Sapphicus fit hunc in modum:

Rhene, nympharum pater amniumque.

Boëthius etiam utrumque carminis genus junxit:

Huc omnes pariter venite capti,
Quos ligat fallax gravibus catenis.

Idem Phalæcio etiam subdit pentametrum:

Quid tantos juvat excitare motus,
Et propria fatum sollicitare manu?

Item tetrametrum Alcmanium 6:

Quamvis se Tyrio superbus ostrô
Comeret, & niveis lapillis.

3 Sed hanc Catulli consuetudinem posteà improbarùnt. Sanè Plinius, præfat. in Naturalem Historiam, illud Catulli, *Meas esse aliquid putare nugas*, duriusculum censet. Ac proinde ita adducit, *Nugas esse aliquid meas putare*. Vel omninò solutum citavit; quandoquidem in codicibus nonnullis legitur, *Putare esse aliquid meas nugas*. Neque Martialis unquam initio alium habet pedem, quàm spondeum. Objici video illud lib. I. ep. 25. *Veterno, resinaque, pigriores*. Sed legendum: *Vatreno, Rasinaque*. Qua de re in majori opere Grammatico pluribus. 4 Catullus interdum pro dactylo habet spondeum. Ut, *Oramus, si forte non molestum est*. Item, *Non custos si fingar ille Cretum*. At non facilè imitandum. Putant aliqui, & amphimacrum eadem sede usurpasse. Ut in illo, *Vno in lectulo erudituli ambo*. Sed in *lectulo* corripitur ultima ob synalœphæ neglectum; de quo superiùs dictum 5 Cæsura in phalæcio non requiritur. Multa cæsura in illo: *Quot dono lepidum novum libellum?* Nulla in isto: *Tecum ludere, sicut ipsa, possem*. Uterque versus venustus. Et sanè alibi quoque sæpè eam negligit Catullus. 6 Quod duobus dactylis, & totidem trochæis, constat; ut in Alcaico inferiùs dicetur.

DE CHORIAMBICO.

Ita vocatur à Choriambo. Primum ejus genus est *Glyconium* [1].

Quod tres pedes habet. Prima sede recipit spondeum: secunda choriambum: tertia Jambum. Seneca:

Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.

* *Catullus prima sede & jambum admittit: ut,*
Puellæ, & pueri integri.
Item trochæum: ut,
Magna progenies Jovis.
Imò hunc pedem semper 2 *adhibet carmine in nuptias Juliæ, & Manlii: ubi & quatuor ejusce generis versibus subjungit Pherecratium:*

Collis ò Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ò Hymenæe Hymen,
Hymen ò Hymenæe.

Alterum choriambicum genus dicitur

1 A Glycone poëta ita dixere; quē invenisse illud, ait Hephæstion in Enchiridio. At Diomedes *Anacreonteum* vocat. Fit ex eo Phalæcium, addendo Bacchium, vel amphibrachyn: ut si ad Glyconium illud, *Sic te diva potens Cypri,* adjeceris *beatæ*: vel si ad illũ, *Fratrum composuit minas*, addas *protervas*.

2 Unicum locum excipit Scaliger; sed qui corruptè legatur, planèque juris sit controversi. Utcunque verò aliquid sit discriminis in prima sede; in cæteris est nullum. Quòd si metrum hoc satis perspexisset Aldus Manutius Nepos in Quæsitis per epistolam, numquam scripsisset, in carmine memorato legi oportere, non, *Prætextate, puellule*; sed, *Prætextatæ, puellulæ*. Videat hinc pueritia quàm turpiter sedent viri non exigui etiam nominis, si prima ætate artem metricam neglexerint. Occurrunt & alii, qui similia effutiendo nominis sui decus deterant. Sed nolo culpandis aliis insistere. Solùm ista dixi, ut planum omnibus facerem, sine metricæ artis doctrina totam literarum scientiam claudicare.

Asclepiadeum [3]: quod constat spondeo, duobus choriambis, & jambo: ut,

Mæcenas, atavis edite regibus.

In hoc carmine etiam pedes singuli interdum vocibus singulis non indecorè absolvuntur: ut,

Quassas, indocilis pauperiem pati.

Duriusculè autem syllaba remanet post pedem secundum. Ut,

Vitabis, strepitumque, & celerem sequi.

Et,

Auditam moderere arboribus fidem [4].

* *Sæpè Asclepiadeo præmittitur Glyconius. Horat.*

Sic te diva potens Cypri,
    Sic fratres Helenæ, lucida sidera.

Interdum etiam tribus Asclepiadeis Glyconius subjungitur:

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti! jam galeam Pallas, & ægida,
    Currusque, & rabiem parat.

Nonnumquam & duobus Asclepiadeis subjiciuntur Pherecratius, & Glyconius.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus: ò quid agis! fortiter occupa
    Portum, nonne vides, ut
        Nudum remigio latus?

Imò Boëthius Asclepiadeo etiam Jambicum dimetrum subdit. Ut,

Heu heu, quàm miseros tramite devio
    Abducit ignorantia!

Aut Pherecratium. Ut,

Si quantas rapidis fluctibus incitus
    Pontus versat arenas.

3 Ab Asclepiade poeta, qui id frequentavit: ut Attilius ait. Fit hoc syllaba addita pentametro. Ut si prima Horatii oda sic efferatur: *Mæcenas, atavis edite remigibus, O & præsidiũ, dulce decusque meum: Sunt quos curriculo pulverem Olympiacum Collegisse juvat; metaque fervidulis Evitata rotis, palmaque nobilior Terrarum dominos evehit ad superos*, &c.

4 Simile est hoc lib. 1. od. 3. *Perrupit Acheronta Herculeus labor.* Ubi & tertia primæ vocis corripitur ob cæsurã. Quod addo, nequis hinc colligat in *Th* esse cõmunia; etsi id scripserit Capella.

Tertium choriambici genus est *Alcaicum*; in quo tres sunt choriambi: ut,

Seu plures hyemes, seu tribuit Jupiter ultimam.

* *Prudentius & oden habet sensim increscentem: nempe ab Glyconio ad Asclepiadeum, ab eo ad Alcaicum, hoc pacto:*

Per quinquennia jam decem,
Ni fallor, fuimus; septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.

Est & carmen, quod quibusdam Epichoriambicum 5 *dicitur. Hoc Asclepiadei primo pedi præmittit trochæum, ut pro spondeo 6 fiat epitritus secundus: ac ultimo pedi addit syllabam longam, ut pro jambo fiat bacchius. Cæteris cum Asclepiadeo convenit. Subjicitur hic versus Aristophanio; qui constat choriambo, & bacchio. Horat.*

Lydia dic, | per omnes
Te Deos o- | ro, Sybarim | cur properas | amando.

Est apud Boëthium *& Alcmanii carminis genus, quod priori versus parte habet duos primos pedes choriambici, (hoc est spondeum cum choriambo:) posteriori autem Adonium: ut,*

Heu quàm | præcipiti | mersa pro- | fundo.

Est denique choriambici genus quinque constans choriambis, & bacchio, vel amphibrachy. Hoc dicitur Philicium à Philico Corcyræo, uno τ Πλειάδος, *quæ sub Philadelpho vixit. Is non quidem reperit, maximè tamen frequentavit, totaque eo metro poemata perscripsit. In his fuit carmen in honorem Cereris, ac Liberi; cujus initium hoc, teste Hephæstione:*

Τῇ χθονίῃ | μυστικὰ Δή- | μητρί τε, καὶ | Περσεφόνῃ, |
καὶ Κλυμένῳ | τὰ δῶρα.

Latinè pro eo, reservato metri genere, habet Attilius Fortunatianus in Arte:

Frugiferæ | sacra Deæ | quæ colitis | mystica, jun- | ctæque Jovi | nefasto.

Marius Plotius (apud quem perperam Philicũ *pro*

5 *Choriambicum* vocat & illud Diomedes.

6 Diomedes ait pro spondeo etiam esse posse choriambũ: hoc pacto, *Ergo ades huc ambrosia de Veneris corolla.* Et reperio hoc carminis genus apud Ausonium in dictis: *Nolo minor me timeat, despiciatque major.*

Philicium *scribitur*) *tale adfert exemplum*: Te posui, Bacche pater, teque decens canto Venus, qui modicos amatis.

DE ANAPÆSTICO.

Anapæsticum ita dicitur, quia ubique recipit anapæstum.

Attamen pro anapæsto etiam licet uti spondeo, vel dactylo. Atque hoc promiscuè ita fit, ut interdum in versu, qui anapæsticus vocatur, nullus sit anapæstus [1].

Cùm autem varia sint genera anapæstici, primum locum tenet Aristophanium, quod quatuor pedibus constat: ut,

Quanti [2] | *casus* | *huma* | *na rotant*.
Minus in | *parvis* | *fortu* | *na furit*,
Levius- | *que ferit* | *levio* | *ra Deus*:
Servat | *placidos* | *obscu-* | *ra quies*;
Præbet | *somnos* | *casa se-* | *curos*.

Venustè & singuli pedes voce absolvuntur. Ut [3],

Noctem quoties summovet Eos,
Regem toties credite nasci.

Et mox:

Plures fulgor convocat aulæ:
Cupit hic, regi proximus ipsi,
Clarus claras ire per urbes:
Urit miserum gloria pectus.

1 Ut in Herc. OEt. *Qualis Baccho saucia Thyas*. Nam istic loci non dactylicum; sed anapæsticum esse arguit reliquum carmen.

2 Sen. in Hippol.

3 Herc. OEt.

* *Solent Tragici anapæsticis aliquot subjicere Adonium*.

Dimetrum anapæsticum est apud Senecam, in ludo de morte Claudii:

De-

Deflere virum,
Quo non alius
Potuit citiùs
Discere caussas,
Una tantùm
Parte audita,
Sæpè & neutra, *&c.*

Sæpè & Anapæsticum Partheniacum 4; *quod prima sede habet spondeum, vel anapæstum; hinc geminum anapæstum, cum syllaba longa. Boëth.*

Qui se | volet es- | se poten- | tem,
Animos | domet il- | le fero- | ces.

Estque residua pars Hexametri, cui penthemimerim ademeris: non tamen cujusvis Hexametri; sed ejus, quod sede quarta habeat dactylum. Ita in duobus primæ eclogæ versibus habemus hos Anapæsticos Partheniacos:

Recubans sub tegmine fagi,
Musam meditaris avena.

4 *Phaliscum* vocat Marius Victorinus lib. 3. Nusquam eo usi Catullus, Horatius, aut Martialis: sed usurpant Prudentius, Boethius, & Capella.

DE ALCAICO 1.

Alcaicum constat penthemimeri Jambica, hoc est, Jambo, vel spondeo, & Bacchio, ac duobus dactylis. Ut,

Vides, | ut alta | stet nive | candidum.

1 Nomen est ab Alcæo, magni spiritus poeta, cujus fragmenta quædam supersunt. De eo Horatius: *Et te sonantem pleniùs aureo, Alcæe, plectro.* Quod autem de Archilochio, & Alcmanio, superiùs diximus, varia carmina ita appellari, id de Alcaico etiam verum est. Ut alia genera mittam, Alcaicum, de quo hic est sermo, secundùm Diomedem, est triplex. Primum constat penthemimeri Jambica; qualis, *Ibis Liburnis*: & postremis duobus pedibus Asclepiadei, ut, *Edite regibus*. Ex quibus fiet talis Alcaicus, *Ibis Liburnis edite regibus*. Hoc versus genere sine ulla mixtura hymnum in S. Hagnen scripsit Prudentius. Alterum Alcaicum est Jambicum dimetrum hypercatalecticum. Ut, quod mox adferetur, *Audita Musarum sacerdos*, Quod senarius fiet, addito cretico, hoc pacto, *Audita Musarum sacerdos nobilis*. Tertium una syllaba minùs habet, quàm dactylicum tetrametrum. Ut si in illo, quod postremo est loco, *Virginibus, puerisque canto*, pro *canto* dicas *recanto*. Hæc eò addo, quia declarant naturam ejusce carminis; simulque docent; quomodo unum genus in alterum commutetur.

Duobus

Duobus Alcaicis subjici solet jambicum dimetrum hypercatalecticum: quod prima sede jambum habet, vel spondeum: secunda jambum: tertia spondeum: quarta jambum cum syllaba longa.

Quarto item loco ponitur Alcmanium, in quo duo dactyli cum totidem trochæis. Horat.

Odi | profanum | vulgus, & | arceo.
Fave- | te linguis. | Carmina | non prius
Audi- | ta, Mu- | sarum | sacerdos,
Virgini- | bus, pue- | risque | canto.

DE ALIIS QUIBUSDAM CARMINUM

generibus minus usitatis.

* Archilochium 1 heptametrum *constat quatuor primis pedibus heroicis, & tribus trochæis. Horat.*

Solvitur | acris hy- | ems gra- | ta vice | veris, & Fa- | voni.

Ei subjicitur jambicus *senarius catalecticus* 2; *qui prima sede jambum habet, vel spondeum; hinc jambum; tum spondeum; mox jambum; ac postremò jambum cum syllaba longa.*

Trahunt- | que sic- | cas ma- | chinæ | cari | nas.

Hoc carminis genere semel duntaxat usus est Horatius.

Galliambicum *sex obtinet regiones: quarum prima habet anapæstum; secunda, tertiaque, jambum; quarta & quincta, dactylum; sexta anapæstum. Catullus:*

Super al- | ta ve- | ctus A- | tys cele- | ri rate | maria,
Phrygium | nemus | cita- | to cupi- | dè pede | tetigit.

Ac tertia quidem regio semper jambum; sexta semper anapæstum exigit. Sed in secunda non rarus est tribrachys:

1 Quàm variè Archilochii carminis vox sumi à Grammaticis soleat, diximus suprà.
2 Jambicum Archilochiũ vocat etiam Diomedes. Fiet justus senarius, si addas syllabam. Ut sequenti versu, si pro *carinas*, scripseris *carinulas*.

chys; ut nec in quarta spondeus. Imò & alios admittit pedes. Sed in carmine minùs usitato usitatiores solùm ponere satiùs duximus. Cæteros Atys Catulli indicabit 3.

3 De Galliambico metro agit & Terentianus Maurus. Uti quoque Petrus Victorius lib. 11. Var. Lect. cap. 12. E junioribus poetis imitatur Marullus in hymnis. Scaliger, qui Atyn Catulli vocat divinum, sæpiùs sibi tentatum ait, sed frustrà. Vide eum lib. 6. Poet. cap. 7.

Jonicum à majore 4 *quatuor habet regiones: prima, & secunda sede est jonicus à majore, tertia ditrochæus, quarta spondeus. Martial.*

Has cum gemi- | na compede | dedicat ca- | tenas,
Saturne, ti- | bi Zoilus | annulos pri- | ores.

Etiam prima sede pæonem secundum, & tertia epitritum secundum admittit. Prima item longa resolvitur in duas breves. Vt in illo Terentiani Mauri:

Elementa ru- | des, quæ pue- | ros docent ma- | gistri 5.

Tertia quoque sede est jonicus à majore. Vt illo ejusdẽ,

Vocalia | quædam memo- | rant, consona | quædam 6.

Quin & ubique is locum habet: quod cùm sit, Jonicum purum *nuncupatur.*

Jonicum à minore, *vel trimetrum est, vel tetrametrum. Vbique autem est pes ille, unde nomen accepit. Duobus trimetris tetrametrum subjicitur. Horat. l. 1. od. 12.*

Miserarum est | neque amori | dare ludum,
Neque dulci | mala vino | lavere, aut ex-
animari metuentes | patruæ ver- | bera linguæ.

Antispaticum 7 *constat Glyconio prima sede trochæum habente, & Pherecratio itidem initio habente trochæum. Catullus:*

O Co- | lonia, quæ | cupis | ponte | ludere | longo.

Dactylicum Ithyphallicum tetrametrum *resultat ex tribus dactylis, & pyrrhichio. Semel eo usus Boëthius:*

Qui fere- | re ingenu- | um volet | agrum,
Liberat | arva pri- | ùs fruti- | cibus,
Falce ru- | bos, sili- | cemque re- | secat.

4 Aliter Sotadeum dicitur, à Sotade poeta, qui eo usus: ut testis est Terentianus.

5 Imitatus & Cæsar Scaliger Epidord. lib. 3. *Benefac malefacientibus: hoc Deo supremo Fies similis, qui reficit bonos, malosque.* Ubi primus pes est *Benefac male.* Mesomacrum vocant: qualis est, *Prohibebimus.*

6 Sic in isto apud Hephestionem, Ἥρην ποτέ φασιν δία τὸ Τερπικέραυνον.

7 Diomedi Priapeium nuncupatur.

Idem

Idem etiam carmine usus, in quo prius cum penthe-
mimeri trochaica, mox cum jambica, componatur
Adonium. Vt,

Siquis | Arcturi || sidera | nescit
Propin- | qua summo || cardine | labi.
Cur le- | gat tardus || plaustra Bo- | otes,
Negat- | que feras || æquore | flammas.

Saturnium, (*quo usus est Nævius, & Nævio*
minati sunt Metelli) *conflatum erat ex Jambico dime-*
tro catalectico: quale est, Dabunt malum Metelli:
& trochaico dimetro brachycatalectico, cujusmodi,
Nævio poëtæ. *Vnde resultat Saturnius hic ver-*
sus,

Dabunt | malum | Metelli || Nævi | o po- | ētæ.

Proceleusmaticus ex meris constat brevibus: qua-
tuor nempe proceleusmaticis, & tribrachy: quale il-
lud Sereni 8: Animula miserula properiter obiit.
Pro tribrachy etiam est pyrrhichius. Vt illo in Dio-
genem cognomento Canem 9:

Διογένες 10, ἄγε, λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρος
Ε'ς Α'ίδος; ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ.

Molossicum carmen est ex sex molossis: ut apud Dio-
medem hoc Cæsii Bassi:

Romani victores sunt Gallis devictis.

De quo dictum in metro heroico. Est & versus ge-
nus, quod carcinus *nuncupatur, verè curiosi otii*
inventum. Sic dicitur, quia retrogradus sit instar
cancri; qui Græci κάρκινος, & καρκῖνος. Recurren-
tem *versum dixeris cum Sidonio Apollinare* 11, *&*
Diomede 12. *Alioqui* ἀντιστρέφοντα, & reciprocum
appellant. Nonnulli Sotadeum *ob versiculum Mar-*
tialis 13 *malè intellectum.* Retrò *autem commeat,*
vel vocibus solùm, vel etiam literis singulis. Ac in-
terdum eodem metri genere, interdum diverso. Ali-
quando eadem sententia, aliquando contraria. Voci-
bus in se, sensu eodem, recurrit hoc 1. Æn.

Musa mihi caussas memora, quo numine læso.

Si retrò legas, fiet: Læso numine quo, memora caussas mihi Musa.

Hìc redit idem versus genus. At non item in illo Sa-
tadeo:

8 Apud Diomedem l. 3.

9 Apud Laertium in Diogenis vita, & Suidam in Διογένης.

10 *Diogenes, age, dic, quænam correptum traxit te mors in Plutonis domos? Corripuit me canis sævus, mordicus.*

11 Lib. 8. epist. 3. & lib. 9. ep. 14.

12 Lib. 3.

13 Lib. 2. epist. 26.

Messem area, classes mare, cœlum tenet astra.

Recurre enim; atque erit heroicus iste:

Astra tenet cœlum, mare classes, area messem.

In his sententia eadem. At contrario sensu in se recurrit distichon hoc Sidonii Apollinaris 14. 14 Lib. 9. epist. 14.

Præcipiti modò quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumtum jam citò deficiet.

Vides hic statui, fore ut flumen deficiat. Sin ordine legas inverso, contrà fore dicitur, ut succrescat flumen. Nam sic erit;

Deficiet citò, nec succrescet tempore flumen,
Tramite decurrit quod modò præcipiti.

At literæ singulæ retrò leguntur in hoc vulgato 15.

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Cui simile, sed extra carmen, est hoc l. VI. Ἀνθολογίας tit. XIII 16.

Νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν 17.

Pluraque ejus generis ibidem vide 18.

Atque hæc de variis carminum generibus; non illis modò quæ unius generis versibus constant, sed iis etiam, quæ ex diversis componuntur. Cujusmodi, præter ea, quæ diximus, & alia apud veteres, interque eos Diomedem, reperiuntur, præcipuè ex Sereno desumta: & plura possunt excogitari. Et horum, & illorum appellationes utile est nosse. Quare paucis de eo agemus.

15 Sidon. Appoll. l.2. epist. 14.

16 Habes quoque in Gruteriana Inscriptionum veterum collectione pag. 1046. num. 9. Insculptũque labro Constantinopoli eruto, in quo ad vestibulum templi aqua lustrali faciem adspergebant: 17 *Lava peccata, non solam faciem.* 18 Etiam Rodolphus Goclenius in Lexico Philosophico permultos collegit versus recurrentes, voce *Carcinus*. Vide & Scaligerum Patrem in Hyle cap. 20. & 42. nec non Yvonem Villiomarum, sive Scaligerum filium, adversus Rob. Titium lib.3. num.21 22. 23.

DE VARIIS CARMINIS NOMINIBUS

Pro metri numero, ac diversitate coli, & stropha.

Carminis appellatio diversa est pro numero metrorum. Unde vocatur μονόμετρον, δίμετρον, τρίμετρον, πεντάμετρον, ἑξάμετρον.

Aristo-

* Quæ si numerum excedant, περίοδος appellatur. Itaque vetus Anonymus de metris, agens de Aristobulio versu, qui est octametros, deque pæonio, qui est δωδεκάμετρος, ait, *circuitus* magis esse, quàm *versus*. Audiamus quoque Victorinum: *In modo ac mensura membrorum, minimum esse, ac dici* μονόμετρον: *maximum verò usque ad periodum decametron porrigi*. Ejusdem est: *Periodum dicitur omnis versus hexametri modum excedens* 1.

1 Sic legi oportere, monitum, Salmasio, notis in Ovum Simmiæ Rhodii.

Variat & carminis appellatio pro duabus rebus aliis, quibus distinguitur.

Primùm pro vario versuum genere, qui adhibentur.

Hinc dividitur carmen in monocolon, dicolon, & tricolon.

Monocolon est, quod constat unius generis metro 2.

2 At non quòd uno constet pede; cùm omne carmē constet pedibus. Etsi non ignoré, κῶλον esse pedem: & Solino inde *monocolos* dici, qui *singulis nascuntur cruribus*. Monocoli carminis novem statuūt genera, quasi primiformia, & reliquorum prototypa.

Dicolon est, ubi duo sunt genera versuum.

Tricolon, ubi triplex metrum.

* *Ita monocolon est, cùm omnes versus sunt Asclepiadei; vel dactyli omnes, aut jambici; & ita in aliis. Aliter vocant* μονοειδὲς, *vel* ὁμοειδές. *Cui opponitur* ἀσυνάρτητον καὶ ἐπισύνθετον.

Dicolon fit, si cum uno, vel pluribus Asclepiadeis, unus jungatur Glyconius. Tricolon, cùm duobus Alcaicis subjicitur Jambicus, & Alcmanius; ut antè vidimus. Item si concurrant heroicus, jambicus dimeter, & Archilochius. Exempla omnium Horatius suggeret.

Altera distributio solùm est carminis polycoli: sive in quo plura metri genera concurrunt. Estque pro multitudine versuum, quibus constat, priusquam fiat στροφὴ, sive reditus ad idem versuum genus.

Ita

Ita Horatio carmen, quod quidem monocolon non sit, vel distrophon est, vel tristrophon, vel tetrastrophon: Catullo etiam pentastrophon.

Distrophon vocatur, cùm post secundum versum redimus ad primi generis versum.

Tristrophon est, cùm post tertium versum primum genus repetitur.

Tetrastrophon similiter, cùm post quartum: pentastrophon, cùm post quinctum versum ad idem genus revertimur.

* *Exempli gratia: si post quemque jambicum trimetrum subjiciatur dimeter, erit carmen distrophon: si post tres Sapphicos subjungatur unus Adonius, erit tetrastrophon. Atque ita in aliis. Pentastrophi exemplum est apud Catullum in epithalamio Iuliæ, & Manlii; ubi post quatuor Glyconios unus sequitur Pherecratius.*

PLURA *verò qui hoc de argumento requirit, consulat Terentianum Maurum, grammaticorum omnium cultissimum: item Servium in Centimetro, Marios duos, Victorinum, & Plotium: adhæc Atilium Fortunatianum; atque è Græcis, Hephæstionem in Enchiridio, ac alios tum veterum, tum juniorum. Sed imprimis, si serò aveat poetari, adeat ipsam Hippocrenen; quæ non alibi, vel tutiùs quæritur, vel fructuosiùs invenitur, quàm in poetis antiquis. Horum assidua lectio suppeditabit multa, quæ Grammaticorum, atque adeò omnium tum Metricæ, tum Poeticæ artis scriptorum industriam longissimè superent.*

FINIS.

Casus sunt sex: nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus. Declinationes, quinque. Numeri duo, singularis, & pluralis. Vocat. ferè similis est nomin. In neutris etiam accus. abl. pl. dativo.

	N.	G.	D.	Ac.	Vo.	Ab.		N.	G.	D.	Ac.	V.	Ab.
toga.	æ.	æ.	am.	a.	a.		æ.	arum.	is.	as.	æ.	is.
liber.	i.	o.	um.	er.	o.		i.	orum.	is.	os.	i.	is.
Sing. pater.	is.	i.	em.	er.	e.	*Pl.*	es.	um.	ibus.	es.	es.	ibus.
fructus.	us.	ui.	um.	us.	u.		us.	uum.	ibus.	us.	us.	ibus.
Species.	ei.	ei.	em.	es.	e.		es.	erum.	ebus.	es.	es.	ebus.

Pronomina.

Ego. mei. mihi. me. *c.* me. *p.* nos. nostrum. nobis. nos. *c.* nobis.
v. nostri.
tu. tui. tibi. tu. te. *p.* vos. vestrum. vobis. vos. vos. vobis.
v. tri.
car. sui. sibi. se. *c.* se. *p.* sui. sibi. se. *c.* se.

hic.			hunc.	hoc.	hi.	horum.		hos.	
hæc.	hujus.	huic.	hanc. *c.*	hac. *p.*	hæ.	harum.	his.	has. *c.*	his.
hoc.			hoc.	hoc.	hæc.	horum.		hæc.	

is.			eum.	eo. *p.*	ei, *v.* ii.	eorum.	eis.	eos.	eis.
ea.	ejus.	ei.	eam. *c.*	ea.	eæ.	earum. *v.*		eas. *c. v.*	
id.			id.	eo.	ea.	eorum.	iis.	ea.	iis.

quis, *v.* qui.			quem.		quo.
quæ, *v.* qua.	g. cujus.	d. cui.	ac. quam.	*voc. car.*	ab. qua. *v.* qui.
quod, *v.* quid			quod. *v.* quid.		quo.

qui.	quorum.	quibus, *v.*	quos.		quibus, *v.*
quæ.	quarum.	queis, *v.*	quas.	*voc.* caret.	queis, *v.*
quæ, *vel.* qua.	quorum.	quis.	quæ, *vel* qua.		quis.

Tabula

Tabula quatuor conjugationum, & quinque declinationum cum anomalis.

Indicativus modus, tempus præsens.

passiv. r.	*ris. v. re.*	*ur.*	*r.*	*mini.*	*ur.*
1. amo.	as.	at.	amus.	atis.	ant.
2. doceo.	es.	et.	emus.	etis.	ent.
pass. r.	*eris, v. ere.*		*pl.*		
3. lego.	is.	it.	imus.	itis.	unt.
4. audio.	is.	it.	imus.	itis.	iunt.

Imperfectum.

pass. r.	*r.*	*r.*	*r.*
amabam.	docebam.	legebam.	audiebam.

Perfectum.

amavi. isti. it. imus. istis. erunt, *v.* ere.
sic docui. legi. audivi.

Plusquamperf.

amaveram. docueram. legeram. audiveram.

Futurum.

pass. r.
amabo } is. it. imus. itis. unt.
docebo }

r
legam. } es, &c.
audiam. }

Imperativus, Præsens.

pass. re.	*mini.*	*r.*	*r.*	*r.*	*minor.*	*r.*
ama.	ate.	*fu-*	amato:	ato.	atote.	anto.
doce.	ete.	*tu-*	doceto:	eto.	etote.	ento.
lege. *p.*	ite.	*rum.*	legito:	ito. *p.*	itote.	unto.
audi.	ite.		audito:	ito.	itote.	unto.

Optativus, & subjunctivus, præsens.

paff. r.	*r.*	*r.*	*r.*
amem.	doceam.	legam.	audiam.

Imperfectum.

p. r.	*r.*	*r.*	*r.*
amarem.	docerem.	legerem.	audirem.

Perfectum.

amaverim. docuerim. legerim. audiverim.

Plusquamperfectum.

amavissem. docuissem. legissem. audivissem.

Futuro-Præteritum.

amavero. is &c. docuero. legero. audivero.

Infinitivus.

Præsens & imperf.

paff. ri.	*ri.*	*i.*	*ri.*
amare.	docere.	legere.	audire.

Perf. & plusq. perf.

amavisse. docuisse. legisse. audivisse.

Gerundia.

amandi, o, um. *sic* docendi. legendi. audiendi.

Supi-

Supinum.

amatu, *pass.*	*u.*	*u.*	*u.*
amatum.	doctum.	lectum.	auditum.

Participia. *Præsens.*

amans.	docens.	legens.	audiens.

Futurum.

amaturus.	docturus.	lecturus.	auditurus.

Præteritum passivum.

amatus.	doctus.	lectus.	auditus.

Futurum pass.

amandus.	docendus.	legendus.	audiendus.

Per *participia*, & verbum *sum*, nec non per *supinum act.* & *ire*, supplentur tempora, quæ verbis desunt.

futur. infin. activi. amaturum esse, *vel*, amatum ire. *pass. iri.*

pass. præterita, amatus { sum, *vel* fui. / eram, *vel* fueram. / sim, *vel* fuerim. / essem, *vel* fuissem. / ero, *vel* fuero. / esse, *vel* fuisse.

VERBA ANOMALA.

ſum. es. eſt. ſumus. eſtis. ſunt.
poſſum. potes. poteſt. poſſumus. poteſtis. poſſunt.
proſum. prodes. prodeſt. proſumus. prodeſtis. proſunt.
imperf. eram. poteram. proderam.

perfect. fui. potui. profui.
fut. ero. potero. prodero.
imper. es. eſte. *fut.* eſto. eſto. eſtote. ſunto.
ſub præſ. ſim. poſſim. proſim.
imperf. eſſem. poſſem. prodeſſem.
infin. eſſe. poſſe. prodeſſe.
part. fut. futurus.

volo. vis. vult. volumus. vultis. volunt.
nolo. nonvis. nonvult. nolumus. nonvultis. nolunt.
malo. mavis. mavult. malumus. mavultis. malunt.
præ. volui. nolui. malui.
imper. noli. ite. *fut.* ito. itote. volo, & malo *carent.*
ſub. præſ. velim. nolim. malim. *imperf.* vellem. nollem. mallem.
infin. velle. nolle. malle.
paſ. *imini.*
præſ. fero. fers. fert. ferimus. fertis. ferunt.
paſ. erre. imini. *iminor.*
imper. fer. ferte. *fut.* ferto. ferto. fertote. ferunto.
ſubj. imperf. ferrem. *infin.* ferre. *præt.* tuli. *ſup.* latum.
reliqua ex analogia ſciri poſſunt.

eo. is. it. imus. itis. eunt.
ibam. ivi. ibo. i. ite. ito. itote. eunto. eam. irem. ire.
itum. eundi. iens. iturus. *ſic.* queo.

FINIS.